

PETRI CARDINALIS PÁZMÁNY
ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS ET PRIMATIS REGNI HUNGARIAE

OPERA OMNIA

PARTIM E CODICIBUS MANUSCRIPTIS, PARTIM EX EDITIONIBUS
ANTIQUIORIBUS ET CASTIGATORIBUS

EDITA

PER SENATUM ACADEMICUM
REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
RECENSIONEM ACCURANTE
COLLEGIO PROFESSORUM THEOLOGIAE,
IN EADEM UNIVERSITATE.

SERIES LATINA.

TOMUS VI.

I. IN TERTIAM PARTEM

SUMMAE THEOLOGICAE S. THOMAE AQUINATIS. DE INCARNATIONE ET SACRAMENTIS.

II.

OPERA MINORA: PRO SOCIETATE IESU. PENICULUS PAPPORUM. LOGI ALOGI. FALSAE
ORIGINIS. VINDICIAE ECCLESIASTICAE. SYNODUS STRIGONIENSIS DISSERTATIO. ORATIO
AD URBANUM VIII.

BUDAPESTINI
TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
MDCCCCIV.

PETRI CARDINALIS PÁZMÁNY
ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS ET PRIMATIS REGNI HUNGARIAE

THEOLOGIA SCHOLASTICA

SEU

COMMENTARI ET DISPUTATIONES QUAE SUPERSUNT IN
TERTIAM THEOLOGICAE S. THOMAE AQUINATIS SUMMAE
PARTEM.


EX CODICE BIBLIOTHECAE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS, PARTIM AUCTORIS PROPRIA
MANU EXARATO, PARTIM ALIENA MANU SCRIPTO, SED AB IPSO AUCTORE MULTIS IN
LOCIS CORRECTO ET AUCTO

QUÆSTIONES ADHUC RESTANTES LXVIII—LXXV.

RECENSUIT

DESIDERIUS BITA,

Ordinis S. Benedicti de Monte Pannoniæ presbyter, S. Margarethæ V. M. de Bela Abbas tit.,
SS. Theologæ Doctor collegiatus, Regiæ Scientiarum Universitatis Budapestinensis Rector,
Ordinisque Theologorum in eadem Universitate sæpius emeritus Decanus, Theologæ Fun-
damentalis Professor p. o.



BUDAPESTINI
TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
MDCCCCIV

I.

Quæstio LXVIII.

DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

ARTICULUS I—VIII.

An et quomodo Baptismus sit necessarius Adulti?

Supponendum est ex iis, quæ fuse diximus 22. q. 2. ar. 3., ea quæ necessaria sunt ad iustificationem et salutem, quædam esse necessaria necessitate medii, sine quorum causalitate et influxu finis haberi non potest. Si enim medium est, utilitatem aliquam habere debet ad finem, si vero necessarium medium est, suppleri eius utilitas respectu finis non potest, ac proinde sive scienter, sive ignoranter, sive cum peccato, sive absque peccato desit tale medium, finis obtineri nunquam poterit. Alia sunt necessaria necessitate præcepti, quæ scilicet tanquam res graves a Deo præcipiuntur, et tales res dicuntur necessariæ ad salutem solum, quia necessariæ sunt ad vitandum peccatum voluntariæ omissionis. Unde si sine peccato omittantur ex ignorantia inculpabili, adhuc finis obtineri poterit. Rursus id, quod necessarium est necessitate medii, vel necessarium est in re, vel in voto, hoc est vel ipsum re ipsa habitum est medium omnino necessarium, ita ut eius defectus suppleri per votum seu desiderium illius non possit, vel ita est necessarium, ut si absque culpa haberi re ipsa non possit, eius votum seu desiderium suppleat vices illius. Hoc rursus votum duplex esse potest. Aliud explicitum, nimirum expressum et elicitum desiderium talis medii; aliud implicitum eo, quod licet actu explicito nec intellectus, nec voluntas verisetur circa talem rem, habetur tamen aliquis actus, qui implicite continet desiderium talis medii, qualis actus est contritio et quilibet alias actus charitatis Theolo-

gicæ, quo cum Deus diligatur super omnia, et optetur illi bonum observationis omnium, quæ ad amicitiam ipsius conservandam requiruntur, implicite continetur votum servandi omnia præcepta et utendi omnibus ad amicitiam Dei requisitis. Verum etsi hoc sufficiat, ut recte dici possit aliquid esse votum implicitum alterius, tamen ut aliquid dicatur esse necessarium necessitate medii in re, vel voto, non satis est, ut votum implicitum illius sit necessarium ad salutem. Nam actus charitatis est votum implicitum observationis omnium mandatorum Dei et Ecclesiæ, et tamen non omnia præcepta dicuntur esse necessaria necessitate medii in re vel voto ad salutem; ergo ad hoc, ut aliquid sit necessarium necessitate medii, non sufficit votum ipsius implicitum esse necessarium ad salutem. Quando ergo Baptismus verbi gratia dicitur necessarius necessitate medii in re, vel voto, significatur sub hac disiunctione habere Baptismum vim causandi gratiam, et utrolibet modo sufficiens medium esse. Unde ut aliquid vere dicatur necessarium esse necessitate medii in re vel voto ad iustificationem, requiritur, ut opus illud in re exhibatum ordinatum sit ad aliquem effectum necessarium ad salutem, qui tamen effectus causari etiam possit per certum quoddam propositum seu desiderium talis operis, quod in re ipsa non exhibetur. Hoc vero quia non invenitur in omnibus operibus præceptis, idcirco illa non dicuntur necessaria necessitate medii in re, vel voto, etiamsi votum illorum, seu actus charitatis necessarius sit nonnunquam.

Dico 1. Baptismus in re susceptus non est simpliciter necessarius necessitate medii adultis ad obtinendam primam gratiam. Est contra quosdam relatos a *D. Bernardo* Epistola 77. et contra Bajum lib. de Charitate cap. 2. Conclusio tamen certissima est ex iis, quæ iam q. 66. ar. 11. diximus de Baptismo flaminis et sanguinis; ostendimus enim ex Scriptura et Patribus per veram pœnitentiam et charitatem, vel per martyrium dari gratiam, si quando in re suscipi sacramentum hoc non possit. Et bene ponderat *Bernardus* Epistola 77. Christum Dominum postquam dixerit: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, non subiunxisse: qui baptizatus non fuerit, condemnabitur, sed tantum: qui non crediderit, condemnabitur, indicans fidei necessitatem in adultis suppleri aliunde non posse, posse vero Baptismi necessitatem, et votum Baptismi includi in actu charitatis iam diximus. In actu etiam Martyrii idem votum includitur, quatenus est virtualis quæ-

dam dilectio, qua præfertur Deus et eius veritas omnibus rebus. Patres vero, qui negant catechumenum salvari posse, quomodo explicandi sint, diximus illa q. 66. ar. 11., initio solum enim volunt catechumenum, qui cum baptizari possit, neglexit, salvari non posse.

Dico 2. Baptismus in re, vel voto est necessarius necessitate medii ad iustificationem et salutem adulti. Ita definitum est in Concilio *Tridentino* sess. 6. cap. 4., ubi iustificationem fieri non posse post Evangelii provulgationem sine Baptismo, aut eius voto, ex illo *Ioan.* 3. v. 5. probatur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto. Illud enim est necessarium, sine quo finis haberi non potest. Sed sine Baptismo aquæ salus haberi non potest, ut Christus Dominus ait. Eo vero loco de vera aqua, et de Baptismo aquæ agere Christum Dominum q. 66. ar. 3. conclusione 1. ostendimus. Idem patet ex *I. Petri* 3. v. 20. 21., ubi Baptisma aquæ simili forma nos salvos facere. qua Noe salvatus est in diluvio; *Act.* 2. v. 38., suadet *S. Petrus* compunctis, ut pœnitentiam agant et baptizentur in remissionem peccatorum. Idem confertur ex c. 3. ad *Titum* v. 5., et aliis locis, ubi Baptismus vocatur regeneratio. Sicut enim unica via contrahendi peccatum originale est naturalis generatio ex Adamo: ita unica via novæ creaturæ est regeneratio. Unde Concilium *Florentinum* Baptisma vocat ianuam vitæ spiritualis. Id docent communiter Sancti Patres, ut videre est apud *Suarium* 3. p. disp. 27. Sect. 1. Unde *Irenæus* lib. 3. c. 19. v. 2., ut ex arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis, ita nec nos multi unum corpus fieri in Christo possumus sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos lignum aridum existentes primum, nusquam fructificamus vitam sine pluvia voluntaria. Corpora enim nostra per lavacrum illud, quod est ad incorruptionem, unitatem acceperunt, animæ vero per spiritum, unde et utraque necessaria, cum utraque proficiunt ad vitam Dei. Quod ^{Vide q. 73. ar.} vero hæc necessitas sit medii et non tantum præcepti, ex eo col-
^{3. Ad 1. pri-}
^{mæ sententiae.} ligitur 1. Quia sacramentum Baptismi est necessarium, et cum reipsa confertur, operatur remissionem peccatorum, quod votum ipsius supplet, cum in re haberi non potest, ergo. Deinde illud *Joan.* 3., de tali necessitate intelligi debet, quæ etiam in infantibus locum habeat, cum, ut mox dicemus, etiam illos complectatur illud Christi dictum: at respectu illorum non potest esse neces-

sitas præcepti, ergo solum est illis necessarium necessitate medii; ergo si illis verbis exprimitur necessitas respectu omnium, et hæc non sola necessitas præcepti, sequitur respectu omnium contineri necessitatem medii, ita, ut per se loquendo seclusa impotentia naturali vel morali, nemo salvari possit sine Baptismo aquæ. Ad veritatem enim testimoniorum quæ attulimus, minime talis necessitas requiritur, licet, ut conclusione prima diximus, suppleri hæc necessitas possit per charitatem, vel Martyrium, si quando propter impotentiam haberi non possit Baptismus inse, impotentia autem ista non solum tunc est, quando aliquid eorum haberi nullo modo potest, quæ necessaria sunt ad substantiam Baptismi, sed etiam quando moraliter impotens est quis ad susceptionem Baptismi in eodem verbi gratia instanti, quo iam plene instructus est in fide et quo conteritur. Addit tamen bene *Suarius* illa disp. 27. sect. 2. §. Ex quibus infero: ex illis verbis non haberi Baptismum in re

Vide 22. q. 2. suscep^{tum} per se loquendo esse medium necessarium ad iustifi-
ar. 3. dub. 2. cationem, sed solum ad salutem; potest enim catechumenus etiam cum moraliter baptizari posset, differe Baptismum, et tamen inter-
rim iustificari per actum contritionis, finalem tamen gratiam non habebunt, si absque reali susceptione Baptismi, quum habere pos-
sent, moriantur, ut docet *Augustinus* 4. de Baptismo c. 21., verbis
recitatis supra q. 66. ar. 11. initio. Et lib. 2. ad Simplic. q. 2.
In quibusdam, ait, tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad capessendum regnum cœlorum, sicut in catechumenis, sicut in
Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporentur Ecclesiæ. Licet ergo fas non sit sine revelatione divina fingere aliquid esse necessarium ad salutem, quod necessarium non sit ad iustificationem, ut alibi diximus, hic tamen ea, quæ ex Patribus et Scriptura cognovimus, urgent ad hoc fatendum.

Illud ultimum addendum est in hac conclusione: nec suffi-
cere, nec necessarium esse votum explicitum, seu explicitum desi-
derium Baptismi ad iustificationem et salutem, sed sufficere votum
implicitum in actu contritionis et Martyrii. Nam, ut iam ostendimus,
Martyrium et actus charitatis habent infallibiliter promis-
sionem gratiæ, ergo etiamsi quis per inconsiderationem naturalem
non recordaretur Baptismi, si eliciat actum charitatis, iustificabitur;
econtra vero desiderio espresso baptismi nusquam talis promissio
facta est a Deo; ergo.

Dico 3. Adultis necessarius est Baptismus necessitate præcepti,

ac proinde, si possunt, tenentur sub peccato mortali baptizari suo tempore ac modo. Ita definitum in *Tridentino* Sect. 7. can. 5. de Baptismo. Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit. Et ex Scripturis citatis patet; nam omne, quod necessarium est necessitate medii ad salutem, si sit in nostra potestate, cadit sub præceptum charitatis, quo tenetur homo providere suæ saluti spirituali et uti remediis ad eam necessariis. Deinde ex illis Christi verbis: Nisi quis renatus fuerit, constat etiam adultum, etiamsi iustificatus fuerit, ita teneri baptizari, ut non salvetur sine Baptismo per se loquendo. At id non esset, nisi datum fuisset præceptum de Baptismo suscipiendo; qui enim iustificatus est, damnari non potest, nisi peccet et gratiam amittat, nemo autem peccat, nisi transgrediatur præceptum; ergo qui non baptizatur, cum posset, transgreditur mandatum. Quamvis igitur *Matth.* ultimo postquam Christus Dominus dixerat: Qui crediderit etc. non dixit: Qui baptizatus non fuerit, condemnabitur, id tamen ideo factum est, ut scimus, absque reali susceptione baptismi posse hominem salvari, quando non voluntas, sed necessitas excludit Baptismum, eo quod tunc impotentia excuset a peccato; utilis autem est Baptismus etiam post iustificationem, tum ad gratiam uberiorem, et auxilia particularia obtainenda, tum ut, ius habeatur ad alia sacramenta, et fructum ex eis percipiamus, quem in nova lege nemo percipit, nisi charactere baptismali insignitus. Dixi in conclusione (suo tempore etc.). Cum enim hoc præceptum sit affirmativum, non obligat pro semper, quod autem sit illud tempus, quo obliget, non est facile determinare. Nam licet in periculo vitae, seu articulo mortis certum est obligare hoc præceptum: extra illum tamen articulum difficile est determinare, quando obliget. Licet enim melius sit mature et quamprimum moraliter fieri potest baptizari, non tamen obligatur homo semper ad id, quod optimum est. Unde nec statim post commissum peccatum tenetur confiteri. Unde *Tertullianus* lib. de Bapt. c. 18. suadet, ut Baptismus differatur, et *S. Ambrosium*, *D. Martinum* et alios distulisse constat. Existimo tamen præcepto Baptismi obligari adultos, ut moraliter, quamprimum digne et eo modo possunt, bapti-zentur. Ita *Nazianzenus* orat. 40. Baptizemur ait hodie, ne cras in aliqua cogamur ne beneficium tanquam iniuriam differamus, nec expectemus, ut plura peccata congeramus, quo plura nobis condonentur etc. Et de Cons. d. 4. can. 128. quando quis, novi, ait, moriebantur.

*Abrogata hæc
consuetudo,
quia ut Socrat.
lib. 5. Hist.
cap. 19. multi
sine Baptismo*

qui spe Baptismi multa peccabant, circa diem mortis discessisse vacuos. Deus enim propter hoc Baptismum instituit, ut solvat peccata, non ut addat. Ratio est; nam et charitas propria id exigit, ut reliquorum sacramentorum non se reddat extorrem, nec ab unione Ecclesiæ, in quam per Baptismum ingreditur, diu maneat seiunctus, nec incerta expectatione futuri eventus periculo se exponat moriendi sine Baptismo. Et id confirmat consuetudo Apostolicæ Ecclesiæ, in qua fideles statim ac crediderunt et sufficienter sunt instructi, baptizati leguntur passim in *Actis Apostolorum*. Quamvis igitur differri aliquandiu possit, donec moraliter commode et bene dispositus quis suscipiat, hoc sacramentum, qua ratione *D. Ambrosius* et *Martinus* distulerunt, eo præsertim tempore, quo bis tantum in anno hoc sacramentum ministrabatur adultis, quo tempore facile aliquod impedimentum occurrere potuit in istis, ob quod ab uno anno in aliud differri possit Baptismus ipsorum, præsertim si ignorantia invincibili laborarunt obligationis istius, per se tamen loquendo obligat etc.

Recte vero notat *Suarus* disp. 31. Sect. 2., non esse iure Ecclesiastico determinatum tempus suscipiendi hoc sacramentum, sicut determinatum est tempus suscipiendi Eucharistiam. Similiter

Quæ autem dispositio suscipiendi adulti necessaria sit, ut illud impleri: directe tamen lege sua obligare non posse quemquam valide et cum fructu percipi ad susceptionem Baptismi, quia, ut mox dicemus qui baptizati atur, infra dictum non sunt, non subiiciuntur iurisdictioni Ecclesiæ.

ARTICULUS IX.

An pueri ante usum rationis sint baptizandi?

Omissis antiquioribus hæresibus circa Pædebaptismum, anabaptistæ, ut referunt *Prætolus*, *Cassio*, *Sandæus* et alii putant illicitum esse baptizare parvulos ante usum rationis. Fundamentum est: nam *Matth.* et *Marci* ultimo, cum Dominus ad baptizandum mittit Apostolos, iubet ut doceant, et qui crediderit et baptizatus fuerit, eum salvum fore renunciat; ergo illi soli baptizandi, qui doceri et credere possunt. Unde anabaptistæ eos, qui in infantia baptizati fuerunt, rebaptizant iterum.

Lutherus lib. de Captiv. Babylonic. cap. de Baptismo, et alii Lutherani, *Chemnitius* in examine Concilii Tridentini sect. 7. can. 13., docent etiam parvulos, cum baptizantur, credere et fide iustificari, quamvis nec recordentur postea serius suæ fidei, nec libere credant quemadmodum adulti. Fundamentum est partim; quia *Marci* ultimo dicitur: Qui crediderit etc., partim quia Scriptura fidei passim adscribit iustificationem, et, ut iam diximus, non alio modo putant novatores per sacramenta conferri gratiam, quam quod per ipsa excitatur fides in suscipiente. Hoc vero confirmant exemplo *Ioannis*, qui in utero exultavit, eodem ergo modo potest Deus parvulos, dum baptizantur, fidei motu instruere.

Ultimo demum *Calvinus* lib. 4. c. 16. v. 24., 25., 26., censet quidem parvulos baptizandos, non ideo tamen, quasi sine Baptismo salvari non possint, et quasi in Baptismo iustificantur, sed solum ut in ipsis obsignetur per Baptismum promissio Dei, qua se promisit Deum illis futurum. Fundamentum *Calvini* est; nam *Gen.* 17. v. 7. Ero Deus tuus et seminis tui post te. Et *Apostolus* I. Cor. 7. v. 14., 15. Sancti dicuntur filii parentum sanctorum et quidem etiamsi alter tantum parentum fuerit fidelis. Contra has tamen hæreses breviter:

Dico 1. Posse et debere a Christianis parvulos baptizari. Probatur: 1. Ii omnes baptizari possunt ac debent, quibus et per Christum possunt dimitti peccata, et hæreditatem gloriæ cælestis adire possunt: sed parvulis per Christum remitti potest peccatum originale, in quo nascuntur filii iræ, et participes esse possunt hæreditatis cælestis; ergo. Maior patet ex illo *Ioan.* 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit, ergo non possunt salvari, nec peccatorum remissionem consequi etiam parvuli sine Baptismo; ergo, ut possint salvari extra Martyrium, necesse est, ut possint Baptismum suscipere, quicunque salvari possunt. Minor probatur tum ex illo 1. *Timoth.* 2. v. 1. Deus vult omnes salvos fieri, tum ex illo 1. *Corint.* 15. v. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur; et *Rom.* 5. v. 18. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Confirmatur: ubi iubentur baptizari omnes gentes, iubentur et infantes baptizandi. Nam parvulis aliquod remedium datum est, per quod originale peccatum illorum deleri possit et participes fieri redemptionis Christi. At respectu parvolorum nullum aliud est medium

præter Baptismum et Martyrium, cum ipsi credere non possint, ut mox dicemus, ergo. Confirmant alii 2. Nam parvuli possunt esse membra Ecclesiæ ut colligitur ex *Isai* 49. v. 22. Levabo ad gentes signum meum et offerent filios tuos in ulnis etc. At ianua Ecclesiæ est Baptismus, ut docet *Concilium Florentinum*, et colligitur

Baptismus Ianua Ecclesiæ. ex *Ephes.* 5. v. 25., 26. Christus dilexit Ecclesiam, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ, in verbo vitae, et ad *Titum* 3. v. 5., dicitur Deus per lavacrum regenerationis salvare et admittere ad ius hæreditatis æternæ. 2. Ex prophetiis et figuris Baptismi id ostenditur. Nam *Iœl.* 2. v. 28. Effundam super omnem carnem etc. Circumcisio etiam, quæ figura erat Baptismi *Coloss.* 2. v. 11. sicut et transitus iudeorum per mare rubrum, parvulis etiam conveniebat. Bene autem ostendit *Cyprianus* Epistola 59., non debere octavum diem expectari cum Baptismo, ut cum circumcisione; hæc enim et difficilior erat et sæpe periculosa in tenellis, et sine illa salvari infantes poterant, ut supra diximus. 3. Idem habemus ex usu Ecclesiæ et traditione Apostolica. Nam imprimis cum Apostoli *Act.* 10. v. 4. cap. 16. v. 15. 1. *Corint.* 1. v. 16., totas interdum familias baptizarent, credibile est fuisse ibi etiam infantes, tametsi dubium non sit familias multas esse, in quibus nullus sit infans. Deinde paedobaptismi tanquam sacrosanctæ traditionis meminit *Dionysius* c. 7. *Eccl. Hierar. Irenæus* lib. 2. c. 39. n. 30. ibique *Fevardentius*, *Clemens* 6. *Constit. Apost.* c. 15., qui ad hanc rem adfert illud *Matth.* 19. v. 18., 19., *Lucæ* 18. v. 15., 16. Sinite parvulos ad me venire, qui, ut apud *Lucam* est, infantes erant. Patres omnium ætatum idem sensisse late ostendit *Iodocus Coccius* Tom. 2. *Thesauri Cathol.* lib. 5. art. 5. fol. 515.. *Bellarminus* lib. 1. de Baptismo c. 8. *Valentia* hic. disp. 4. q. 3. p. 4. *Suarius* disp. 25. sect. 1. et 2. et aliis omissis *Augustinus* lib. 4. de Bapt. contra Donatum c. 23., 24. Traditionem Ecclesiæ docet esse, imo, quia ubique observatur, Apostolicam ait traditionem, ut infantes, qui nondum credere possunt corde, baptizentur. Quod enim, ait, universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum est, id nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. Ad Fundamentum anabaptismi mox respondebimus.

Dico 2. In parvulis, dum baptizantur, non esse necessarium motum fidei actualem, sed sufficere, si una cum gratia iustificante infundatur illis fides habitualis. Ita definit *Concilium Tridentinum* sess. 7. can. 13. Probatur. 1. Nam fides Christiana qualis ad iusti-

ficationem requiritur, debet esse ex auditu, nec credere possunt qui non audiunt prædicationem verbi; *Rom.* 10. v. 14., 17. Debet esse ex corde *Rom.* 10. v. 10.; ex obedientia *Gal.* 3. v. 1. *Rom.* 6. v. 17. Debet esse cum captivatione intellectus in obsequium Christi, II. *Corint.* 10. v. 5. At in parvulis hæc esse non possunt, qui nesciunt distinguere inter malum et bonum, *Deut.* 1. v. 39. *Ionæ* 4. v. 11. 2. Quia absurdissimum hoc figmentum nullum nec in Scriptura, nec in Patrum aut Ecclesiæ doctrina habet fundamentum. 3. Contrarium docent S. Patres et præsertim *Augustinus*, qui etiam ab adversariis magni fit. *Augustinus* igitur lib. tom. 1., 3. de lib. arbit. c. 23. refertur de Consec. d. 4. cap. 7. Illud perscrutari, postquam dixisset: prodesse parvulo fidem eius, a quo offertur, subdit: quisque ergo sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest alienæ commodari. Tom. 10. Serm. 14. de verbis Apostoli: Ad verba, ait, aliena servantur, quoniam ob factum alienum vulnerantur, et sub finem sermonis: credunt infantes in altero, qui in altero peccaverunt. Hoc habet authoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatur veritatis canone, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur. Et Epistola 57. post medium: Parvuli, ait, regenerati per ætatem nondum possunt cognoscere Deum. Idem alii Patres, qui videri possunt apud authores citatos, præsertim *Valentiam* loco citato p. 3.

Dico 3. Iuxta legem Dei ordinariam parvulis, qui pro Christo non occiduntur, necessarius est Baptismus in re susceptus necessitate medii, adeo ut sine illo in re suscepto salvari ordinarie non possint. Ita colligitur ex iis, quæ habentur in *Tridentino* sess. 6. cap. 4. Sess. 7. Can. 5., et docent omnes catholici doctores. Probatur 1. Absurdum et contra fidem est a generali regula et sententia Scripturæ facere exceptionem sine autoritate Scripturæ vel Ecclesiæ, cui clavis scientiæ rectæ expositionis Scripturarum commissa est. Sed id faciunt, qui parvulos extra Martyrium salvari posse docent sine Baptismo aquæ in re suscepto, ergo. Minor patet, nam *Ioh.* 3. v. 5. generaliter dicitur, nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.

Eo vero loco de vero Baptismo aquæ sermonem esse diximus q. 66. ar. 3. concl. 1. A qua generali sententia nec Scripturæ; nec Ecclesiæ consensus excipit nisi martyres et eos, qui proprio actu charitatis divinæ et Spiritus sancti elicitæ, iustificantur; ergo præter hos nulli alii sunt excipiendi. 2. Hæc veritas definita est in

6. *Synodo* can. 2. In Concilio *Toletano* 12. can. 2. Concilio *Florentino* in literis *Eugenii*. 3. Sancti Patres idem docent. *Augustinus* initio Sermonis 14. de verbis Apostoli: nos, inquit, dicimus infantes aliter salutem et vitam æternam non habituros, nisi baptizentur in Christo. Et lib. de natura et gratia c. 8. Ubi ex eo, quod Apostolus ait omnes homines in Adam peccasse, nasci filios iræ, etc. colligit, non salvari, si sine Baptismo excedant. Idem latissime prosequitur Epistola 28., 89., 90., 95. etc., quibus locis urget illud *Rom.* 5. v. 18., ubi unius hominis delicto omnes condemnationis reos factos legimus; *Cyprianus* etiam Epistola 59. n. 5. Ipsi cum universo concilio visum esse ait baptizandos etiam infantes intra secundum vel tertium diem a nativitate, quia ait, si fieri potest, quantum in nobis est, nulla anima perdenda est; quam Epistolam citat et laudat *Augustinus* Serm. 14. de verbis Apostoli. Et ibi ait *Cyprianum* non novum condidisse decretum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servasse. Et Epistola 28. lib. 3. de peccat. merit. c. 5. lib. 4. contra duas Epistolas Pelagii c. 8. et sequent. Alii Patres videri possunt partim apud eos, quos iam citavimus, partim apud *Pamelium* in illa Epistola 59. Cypriani. Unde optime probat *Suarius* hic disp. 26. sect. 3. Contra *Caëtanum* hic q. 68. ar. 2., in antiquis editionibus: parvulos, etiam si propter impotentiam non baptizentur, salvari non posse, et sine fundamento limitari a *Calvino* illam Christi sententiam, nisi quis renatus etc., ut sensus fit, si possit illi applicari Baptismus. Eodem modo sine fundamento dicunt *Alensis*, *Sylvester* ab eodem citati ex privilegiis interdum salvari quosdam, quibus applicari non potuit Baptismus. Hæc enim finguntur sine ulla divina revelatione et Ecclesiastica traditione.

Ad fundamenta hæreticorum respondeo: ad anabaptistarum quidem ex illis locis colligimus eos, qui baptizantur, doceri et credere teneri, sed eo tempore, quo possunt. Unde ibi non præscribitur, ut semper præmittatur ante Baptismum fides et catechesis, sed solum ut doceantur sive ante Baptismum, si adulti sint, sive post Baptismum, cum ad eam ætatem venerint, cum doceri et credere possunt.

Ad fundamentum *Lutheri* iam dixi. Eodem modo probare posset *Lutherus* pueros ante Baptismum docendos esse, quo probat illos credere. Nam et illa sunt Christi verba: docete baptizantes etc. Sed, ut diximus, neutrum probat. Quod vero fidem requirat Scriptura ad iustificationem, si de fide actuali loquamur, eam

solum in iis requirit, qui possunt credere, sicut similes pœnales sententiæ inveniuntur, quæ pœnitentiam requirunt, sed in iis dum taxat, qui possunt pœnitere. Fundamentum vero illud de effectu sacramentorum iam superius q. 62. est reprobatum. Nec exemplum *S. Ioannis* est ad propositum. Nam ut eleganter ait *Augustinus* Epistola 57. ad Dardanum, neque cum hæc in Evangelio narrantur, dictum est: credidit infans in utero, sed exultavit, neque mater dixit: exultavit in fide, sed in gaudio. Videmus autem exultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum, non utique de aliqua fide, vel rationali cognitione veniente. Et subdit: Quanquam etiamsi in illo puer acceleratus sit usus rationis, ut intra viscera materna iam possit agnoscere, credere, consentire, hoc in miraculis est habendum, non ad humanæ trahendum est exemplar naturæ; nam quando Deus voluit, etiam iumentum, rationabilius est locutum, nec ideo sunt admoniti homines in deliberationibus suis etiam asinina expectare consilia. Quocirca non ex eo, quod factum est in *Joanne*, regulam quid sentiendum sit de parvulis, figo. Hæc *Augustinus*. Si igitur originale peccatum contrahitur, infantes absque proprio consensu peccant, potuerunt etiam per Christum liberari absque proprio consensu, et certe motus illi signa, eiulatus parvuli, quantum potest reluctantis Baptismo aperte ostendit, vel nescire illos, quid agatur, vel sacrilegos esse non fideles, qui remedium divinum detrectant.

Ad fundamentum *Calvini* respondeo: Locum illum Gen. 17. nihil ad propositum facere; ut enim aliquod faveat *Calvino*, intelligendus est de semine secundum carnalem generationem. Apostolus *Rom.* 4. v. 9. de filiis spiritualibus explicat, non de carnalibus, quod exemplo Esau declarat, qui carnaliter filius erat. Si vero eo modo intelligatur, ad illos solos spectat ea promissio, qui secundum carnem ex Abraham descenderunt, proinde omnes iudæi salvabuntur, imo ne quidem in peccato originali concipiuntur. Si enim esse Deum seminis Abrahæ est idem ac semen Abrahæ coram Deo iustum esse et liberum a peccato, cum in primo instanti, quo esse incipiunt, sint semen Abrahæ, liberi sunt ab omni peccato. Verus igitur loci illius sensus est, vel quod Deus se posteros Abrahæ secundum carnem in suum populum et peculium, ac proinde in suam tutelam sit accepturus, vel potius eos, qui secundum spiritum semen sunt Abrahæ, et per Christum iustitiæ Abrahæ, velut pinguedinis olivæ participes facti, habituros Deum propitium.

Illud vero I. ad *Corint.*, quam nihil ad rem faciat, eleganter ostendit *Augustinus* Ser. 14. de verbis Apostoli in fine, ut modo non quæram ait modum sanctificationis huius, quia longum est; numquid quia ut ibidem dicitur, modus aliquis est sanctificationis, quo vir infidelis sanctificetur in uxore fideli, ideo securitatem habet accipiendi regnum cælorum etiam non baptizandus? Quomodo ergo sanctificatur vir infidelis et tamen perit, nisi baptizetur, sic et filii fidelium ad quemdam modum sanctificati pereunt, nisi fuerint baptizati; hæc Augustinus et eadem illa repetit lib. 2. de peccat. merit. c. 26., ubi neminem tam infideliter. ait intelligere illam sanctificationem, ut putet maritum infidelem licet aliquo modo sanctificatum salvare. Idem repetit lib. 3. de peccat. merit. c. ultimo et alibi. Quæ autem et qualis sit ista sanctificatio liberorum, de qua Apostolus loquitur, varie explicant Patres. *Ambrosius* in eum locum ait liberos illorum sanctos esse, id est, legitimos, non inmundos et spurios, quasi ex adulterio genitos; hoc enim argumento persuadet Apostolus, ne mulier fidelis virum infidelem deserat, quando sine Christi iniuria vult cohabitare; neque enim verendum nobis est, ne filii nostri sint illegitimi. *Hieronymus* lib. 1. contra Iovinianum cap. 5., et alii sanctos ideo vocant, quia sunt fidei candidati, id est eo ipso deputati ad Christianam religionem, quod alter parentum fidelis est, sicut ergo vasa sancta dicuntur, quia deputantur ad sacros usus, ita etc.

ARTICULUS X.

An filii infidelium invitis parentibus possint baptizari.

Certum in primis est filios infidelium, cum ad usum rationis pervenerunt, posse invitis parentibus suscipere Baptismum; quamprimum enim habent rationis usum, sui iuris sunt in negotio salutis, atque ideo subdere se possunt iurisdictioni Ecclesiæ, ut ab illa instruantur et mysteriis initientur religionis. Quod si dubium sit, an habeat plenum usum rationis, nec ne, et velit baptizari, etiamsi parentes reclamarent, adhuc possit baptizari, quia in dubiis ratione possessionis, quam puer habet sui ipsius, præferri debet eius conditio; sicut e contra, si in tali dubio pater vellet filium baptizari, ipse vero reclamaret, non deberet baptizari ob eandem rationem, quia scilicet ius illius præferendum est.

Solum igitur disputatio est de filiis infidelium, qui non habent usum rationis, de quibus in duobus video doctores consentire: primo in eo, quod si alter parentum consentiat in Baptismum filii, etiamsi reclamet alter, posse et debere baptizari infantem. *Ita Suarius hic disp. 25. sect.* Nam patris consensum sufficere declarat *Gregorius* 9. cap. 2. Extra de Conversione Infidelium, ubi iudæi conversi filium quadriennem, quem mater iudæa apud se habebat, iubet patri tradi, ut ab eo in fide educetur. Quod vero solius matris consensus sufficiat, patet ex *Concilio Toletano* 4. can. 62. et refertur 28. q. 1. Can. 10. Iudæi, qui Christi, ubi iudæi Christianam uxorem habentes, si non convertuntur, iubentur separari et filii sequi fidem et conditionem matris. E contra vero si mulier esset infidelis et vir fidelis, iubentur filii Christiani fieri; et ratio est, nam ius educandi et instruendi liberos commune patri et matri ex natura rei ordinatur ad bonum filiorum. Unde fit, ut ius et voluntas parentis, qui vult filium applicari veræ Religioni, quæ filio est utilior, prævalere debeat in favorem filii.

Secundum, in quo doctores consentiunt, est infantes infidelium baptizatos contra parentum voluntatem vere et valide esse baptizatos, quod etsi cum quibusdam aliis *Durandus* 4. d. 4. q. 7. v. neget, colligunt tamen aliqui ex dist. 45. cap. 5. De Iudæis, ubi ex *Concilio Toletano* 4. statuitur: neminem quidem cogendum ad fidem, eum tamen, qui coactus vi, necessitate venit ad fidem et baptizatus est, cogendum, ut fidem teneat, quod qua ratione intelligatur, explicatur cap. Maiores F. Item Extra de Baptismo. Coactus enim et invitus ille dicitur suspicere, non quia aperte semper contradixit et reclamavit, sed quia metu coactus consensit. Sed hæc omnia manifeste intelliguntur de adultis, nulla vero ibi est infantium mentio expressa. Idem colligit *Suarius* hic disp. 25. sect. 1. §. Posterior pars conclusionis ex *Augustini Epistola* 23., ubi docet vere baptizari puerum, etiamsi parentes infideles non intendant ad salutem regenerare, sed tantum commodum temporale, ergo consensus voluntarius parentis non est necessarius, ut validus sit Baptismus. Confirmatur; nam Ecclesia non rebaptizat taliter baptizatos. Deinde filii Christianorum invitis parentibus baptizati valide baptizantur, ut omnes fatentur, ergo filii etc. Ratio ergo huius est quia parentum voluntas non requiritur essentialiter ad valorem sacramenti, quando ipsimet non administrant sacramentum, siquidem ut iam ex *Florentino* et aliis Conciliis diximus, sufficit ad valorem sacramenti, si materia,

forma, minister cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, reperiantur, et suscipiens non contradicat aperte, nec quicquam aliud præter hæc requisivit unquam Ecclesia ad valorem Baptismi; ergo. Solum ergo controversia est: an filii infidelium licite possint baptizari privata vel publica autoritate invitis parentibus.

Prima sententia est *Scoti* 4. d. 4. q. 9., *Gabrielis* ibidem, qui docent filios infidelium subditorum posse a principe baptizari invitis parentibus, dummodo id fiat cum cautela, ne parentes hoc futurum prævidentes filios occiderent. Fundamentum *Scoti* est. Nam ad principem supremum spectat compellere subditos, quantum in se est, ut subdentur superiori domino et qui maius ius habet, quam inferiori, ac proinde ut maius ius minori præferatur. Sed maius ius habet Deus in parvulos, quam parentes, ergo princeps cogere debet, ut ius Dei in illis servetur integrum, ac proinde tenetur princeps auferre parvulos ab infidelibus eosque applicare cultui supremi Domini. Maiorem multis exemplis civilibus ostendit *Scotus*. An vero in privatis locum habeat ista sententia, sub dubio relinquit *Scotus*, forte inquiens non licere etc. Confirmari potest hæc sententia. Nam princeps habet ius gubernandi subditos ea ratione, quæ maxime expediens est paci, tranquillitati, honestati morum, quæ principes tenentur procurare subditis. At baptizari filios infidelium, vel cogi eos ad fidem utilissimum est ad hos fines. Sic enim tollitur infidelitas et diversitas religionum, quæ plurimum obest tranquillitati; ergo. Confirmatur 2. Si parentes vellent filium occidere corporaliter, possit quisque eum defendere et vi adimere parentibus. Ergo multo magis cum occidere volunt spiritualiter. Confirmatur 3. Nam Christus supremus Dominus potuit dare potestatem baptizandi omnes etiam invitis parentibus. Dedisce autem colligitur ex illis generalibus præceptis, quibus iubentur Apostoli baptizare omnes.

Dico tamen 1. Filii infidelium non baptizatorum, nec subiectorum per servitutem alicui non possunt invitis parentibus baptizari. Dixi (non baptizatorum); nam sicut infideles baptizatos potest superior cogere ad fidem etiam poena mortis proposita, ita potuit eos privare potestate, quam in filios habent eosque baptizare. Dixi (nec subiectorum); nam de iis, qui subiecti sunt dicto modo

Valentia hic. inferius dicemus. Hæc conclusio est communis doctorum, *D. Thomæ* disp. 4. q. 3.

hic et 22. q. 20. ar. 12., ibique *Caetani* et aliorum, *Sotii* 4. d. 5.

p. 3. §.

Septimo dico. *Suarii* hic disp. 25. sect. 3. et 4. Et probari potest in primis

eodem modo, quo 22. q. 20. dub. 4. probavimus, non posse cogi infideles non baptizatos ad suscipiendam fidem. Nam nemo habet vim coactivam in eos, qui sibi non sunt subditi et in quos nullam exercere potest iurisdictionem, sed in eos, qui per ianuam Baptismi ingressi non sunt in Ecclesiam, nullam iurisdictionem exercere potest Ecclesia in rebus religionis, ut habetur in Concilio *Tridentino* sect. 14. cap. 2., et colligitur ex illo 1. *Corint.* 5. v. 12. Quid mihi de his, qui foris sunt, ergo. Deinde speciali ratione id probat de infantibus egregie *Suarus* loco citato. Nam vel infantes illi ita baptizarentur, ut simul eripiantur parentibus, qui possint in Christiana fide educari, vel relinquuntur in patria potestate. At utrumque est prorsus illicitum, ergo. Primum illicitum esse patet. Nam filius ex vi originis est aliquod patris, et ideo est sub patria potestate tamdiu, quamdiu filius propria voluntate regi non potest. Et ideo iure naturæ tenetur pater filii et rerum illius curam gerere, ac proinde ius educandi filios iure naturæ ad patres spectat, nec est alius, qui hoc ius potiori ratione subire debeat, quam parentes; ergo isto iure privari non possunt parentes infideles etiam subditi, si servi non sint, ideoque retinent dominium suarum rerum. Sicut enim non possunt hi privari dominio aliarum rerum, ita nec iure, quod habent in filios. Secundum etiam illicitum esse patet. Tum quia ut in Concilio *Toletano* 4. can. 59. Et refertur 28. q. 1. cap. 11. Iudæorum filios: Iudæorum filii baptizati tenentur a parentibus separari, ne rursus erroribus parentum involvantur cum sacrilega Baptismi et fidei Christianæ violatione. Tum quia etiamsi aliquando non separarentur hi a parentibus, hoc ipso tamen, quod infans baptizatus est, potest Ecclesia ad tenendum honorem Baptismi et ut sui iurisdictioni per Baptismum subiectus in fide instruatur, a patria potestate ipsum eripere; ergo si Ecclesia non potest filios horum infidelium eripere, nec potest illos invitis parentibus baptizare. Confirmatur; nam nusquam Christus Dominus hanc potestatem dedit Ecclesiæ, cum nec ex Scriptura nec ex Traditione et usu Ecclesiæ talis potestas colligatur, siquidem Ecclesia nunquam hoc ius usurpasce legitur. Quæ ratio non solum probat filios infidelium non subditorum baptizari non posse, sed etiam subditorum secundum iurisdictionem et gubernationem politicam absque servitute. Nam temporalis iurisdictionio Ecclesiæ, vel principis Christiani solum est ad communem tranquillitatem et naturalem morum honestatem, non autem ad

finem supernaturalem et spiritualem, cuius ordinis est susceptio sacramentorum. Cum enim potestas politica et humana, licet radicaliter dicatur a Deo esse, immediate tamen ab ipsis hominibus originem ducat media ratione naturali per se ac directe excedere non potest ea, quæ cadunt sub lumen naturale rationis. Ex qua ratione illud consequitur, quod quemadmodum illa 22. q. 20. dub. 4. dicto 4. dicebamus, posse Ecclesiam et principes Christianos cogere infideles sibi subiectos ad observationem legis naturalis, ita similiter hic dicendum est posse eosdem cogere, ut edificant filios secundum ius naturale, et si necesse esset, separare ab illis, ut iuxta legem naturalem instituantur. Nam iurisdictio naturalis extenditur ad finem naturalem observationis legis naturalis.

Id vero, quod diximus de parvulo sub patris infidelis potestate constituto, dicendum proportionaliter est de parvulo, qui est sub tutore infideli, qui succedit in iure paterno, quod si etiam tutore careat, ex voluntate principis, ad quem in eo casu tutela spectat, baptizari poterit. Denique recte infert *Caëtanus*, *Soto*, *Suarius* loco citato sect. 3., quod si infans sit in extremo periculo mortis, vel si infans sit extra patriam potestatem, eo quod nesciatur, qui sit eius parens, aut tam longe distet, ut moraliter non possit restituiri, posse tunc baptizari infantes. Ratio est 1. quia, tunc iam moraliter quasi extinctum est ius patrium et pro nihilo reputatur ius illorum ad educationem. Et eiusmodi iura in casu extremæ necessitatis solent cessare. Quod si verum est, non video, quomodo consequenter dicat *Suarius* non licere per manifestam violentiam tunc baptizari eo quod violaretur ius parentis. Nam licet ratione scandali talis violentia non possit adhiberi, tamen si hoc ius patris cesseret in extrema necessitate, non magis peccat per se loquendo, qui vim inferret, quam qui in extrema necessitate vi adimeret panem ei, qui habet superfluum, si vero hoc ius patrium non cesseret eo casu, non video, quomodo non sit contra ius naturæ patre non consentiente subdere filium iuri Ecclesiæ. Ratio secundi est. Nam in eo casu, cum pater non possit moraliter uti patria potestate et curare suam prolem, ne omni auxilio destituatur infans, alius in eam curam succedere debet, qui eius curam habeat, velut tutor. Unde *I. Machab.* 2. v. 46. *Mathatias* circumcidit parvulos gentilium, qui fugerant, quamvis hi non solum ob istam causam, verum etiam quia iure belli in servitutem redacti erant, iure potuerint baptizari, ut mox dicemus.

Dico 2. Si infidelis et eius filius sint servi, possunt baptizari infantes invitis parentibus. Hanc conclusionem infirmat *D. Thomas* hic ad 2. et 22. q. 20. ar. 12. ad 3., ubi iudæorum filios ait non posse baptizari, quia non sunt servi servitute poenali, quæ sit contraria libertati, sed tantum servitute civili. Expresse vero docet hoc *Durandus* 4. d. 4. q. 6. v. 11. *Caetanus* hic et illa 22. Et confirmat factum *Mathatiæ*. Ratio est. Nam servitutes introductæ sunt tanquam iustæ poenæ eorum, qui poterant occidi in bello, ita, ut hi, ne priventur vita, privantur libertate et dominio, adeo ut ipse et ipsius res subditæ sint domino, quo fit, ut servi privari possint etiam filiis, et vendi hi possint invitis parentibus, ut ex iis, quæ 22. de servitute diximus, et ex usu et consuetudine constat. Ex quo tale argumentum fieri potest. Qui potest aliquid honeste facere propter aliquam suam utilitatem, multo magis poterit id facere propter finem supernaturalem et salutem spiritualem proximi; sed dominus potest separare filium servi et vendere propter suam utilitatem absque ulla iniustitia, ergo poterit etiam ob salutem spiritualem infantis et consequenter baptizari et subiici iuri Ecclesiæ. Quamvis enim lege naturali ius habeant parentes educandi filios et consequenter ut nequis illos contra parentis voluntatem separat a parentibus, hoc tamen ius naturale est in parentibus existentibus in libertate et quamdui iusto aliquo titulo filii non sint facti servi alterius. Notant vero communiter doctores, iudæos, etsi quadam civili servitute sint servi, ut loquitur *D. Thomas* citatus et *Innocentius* 3. cap. 13. Etsi Iudæos Extra de Iudæis, ubi ait: Iudæos propria culpa perpetuæ subiecit servituti, quia scilicet more servorum nullibi habent ius civium, aut natalium, quod habent alii, qui nascuntur in illa provincia: tamen proprie servos non esse consuetudo declarat; nam neque vendi possunt eorum filii, ut filii servorum, nec dominio rerum suarum carent, ut declarat *Clemens* 3. cap. 9. Sicut Iudæi titulo citato, ubi vetat, ne ullus possit illos rebus suis sine iudicio privare.

Dices: Si ius educandi et instituendi infantes infidelium in servitutem ductorum est penes dominum, ergo non possunt illos vendere infidelibus, vel reddere parentibus, cum hoc modo infans constituatur in evidenti periculo damnationis, quod avertere poterat dominus. At experientia est in contrarium; redundunt enim parentibus capti in bello iusto, si pretium offeratur, ergo. Respondet *Suarius* illa disp. 25. sect. 6. Dominos Christianos non teneri hos

infantes retinere propter bonum ipsorum spirituale, cum tanto damno et periculo infantium Christianorum, qui ab infidelibus redimi nunquam possent, si infideles scirent Christianos non restituere infantes ipsorum; proinde ad retinendam istam æqualem commutationem et consequenter ad impedienda damna Christianorum licita est talis commutatio. An vero si infideles nunquam redderent tales infantes, possent nihilominus Christiani sine peccato vendere parentibus infidelibus propter solam utilitatem propriam hos infantes, disputat fuse *Suarius*, et concludit licere, quia per se malum non est reddere filium patri, nec cum notabili damno proprio tenentur Christiani procurare salutem spiritualem infidelium; ergo sicut accipere pecuniam ab usurario ob propriam utilitatem licite possum, quia exerceo actum ex se indifferentem, ex quo ob alienam malitiam sequitur damnatio proximi, ita etc. Unde concludit *Suarius* non esse in conscientia obligandos Christianos, qui patrem et filium infantem captivos habent, ut filium separant a patre et baptizent.

Disputant præterea hoc loco authores: an quando servorum infidelium infantes baptizantur, separari debeant a parentibus? et ratio difficilis est ex una parte, quia videtur præceptum Ecclesiasticum esse illa causa 28. q. 1. can. 11. superius citato, ut separantur; et ratio id suadet; tum ne infans manifesto periculo exponatur apostatandi a fide, quam per Baptismum suscepit, tum ut reverentia Baptismo debita servetur, non permittendo parenti infideli, ut superstitiones actiones et ritus suæ religionis circa illum exerceat infidelis.

Ex alia parte id non videtur necessarium. Nam si ob periculum apostatandi deberet infans separari, sequeretur nec filius hæreticorum posse licite baptizari, qui sub cura parentum mansuri sunt, aut certe si baptizentur, deberent separari, ne in infidelitatem labantur. Et idem dici posset de parente fideli, sed corruptis moribus, qui moraliter certo putatur filium educaturus malis moribus, et periculum moraliter certum est eum amissurum iustitiam baptismalem statim ac ad usum rationis perveniet.

Omnino tamen asserendum est filios baptizatos a parentibus servituti subiectis separandos esse. Ad argumentum vero secundo loco allatum respondeo: disparitatem esse inter parentes infideles nondum baptizatos et inter hæreticos. Nam Ecclesia habet directam potestatem in hæreticum, ut ipsum coercent, ne filium falsis erroribus

decipiat, quam potestatem non habet in eum, qui baptizatus non est; verum quia parum referre videtur ad periculum tollendum, quod Ecclesia ius habeat in hæreticum, si illud non potest exercere propter aliquod impedimentum: idcirco *Suarius* hic disp. 25. sect. 5., docet in primis hæreticum ministrum baptizantem semper peccare mortaliter, quia id faciunt animo instruendi baptizatum in falsa doctrina; Catholicum vero, ut licite baptizet filios hæretorum, debere habere probabilem spem fore, ut, qui baptizatur suo tempore, possit in vera fide instrui. Quod si talis spes haberi non posset, extra casum extremæ necessitatis non posse baptizare filios hæretorum. De parente vero corruptis moribus multo minor est difficultas. Nam et periculum amittendi gratiam baptismi generale est et commune omnibus, et scandalum parentis perversi facile inter Christianos suparari potest remediis quam plurimis, quibus abundat Ecclesia.

Ad Fundamentum *Scoti*, et ad 1. Confirmationem respondeo. Principes temporales ex vi iurisdictionis temporalis solum posse eo modo gubernare subditos, quo secundum legem naturæ et lumen naturale rationis tranquillitati et morum honestati magis congruit, non autem per media ordinationis supernaturalis; siquidem per potestatem naturalem, quam accipit ex consensu subditorum, non habet ius compellendi subditos ad media supernaturalia, quæ sunt extra eorum potestatem, ut latius diximus in prima conclusione.

Ad 2. Confirmationem respondeo. Parentes, quia non habent ius occidendi filios, idcirco impediri possunt titulo iustæ defensionis, si eos occidere velint et ad propulsandam innocentis iniuriam separari poterunt a parentibus. At vero qui non vult baptizare filium, nihil agit contra iustitiam, sed contra religionem ac fidem, et utuntur iure suo parentes infideles, cum volunt, ut ipsorum filii, quamdiu parvuli sunt, ab ipsis gubernentur et instituantur, quare nullus potest sine iniustitia hoc ius ipsorum impedire. Ratio horum a priori est, quam innuit *Suarius* hic disp. 25. sect. 3. ad 2. primæ sententiæ. Defensio enim non habet locum, nisi ubi vis aut coactio intercedit, vel manifesta fraus repugnans naturali iustitiæ. At parentes infideles, etsi abutantur patria potestate non baptizando filium, tamen ille abusus non est cum iniuria contra legem naturalem iustitiæ, sed contra legem fidei et pietatem non mere naturalem, sed ut regulandam per fidem supernaturalem, ergo.

Ad 3. Confirmationem respondeo. Christus dedit potestatem baptizandi omnes, sed convenienti modo et servato ordine iustitiae, ac proinde ut adulti quidem non nisi volentes et consentientes, infantes vero ex consensu parentum, quorum voluntati sunt commissi, ut ab iis gubernentur.

ARTICULUS XI.

Concludit *D. Thomas* cum *Augustino* 6. Contra Iulianum cap 6. et refertur de Cons. d. 4. cap. 35. Si quidquid. Intra uterum maternum non posse quemquam baptizari; ideoque prægnantis Baptismum ad infantem non pertinere: ratio patet ex dictis q. 66. ar. 3. dicto 2. Nam ablutio est materia proxima baptismi, unde qui ablui non potest, nec potest baptizari.

ARTICULUS XII.

An amentes, furiosi baptizandi? Iam diximus supra partim q. 62. ar. 1. dub. 1. conl. 1., partim q. 64. dub. 3. dicto 1.

Quæstio LXIX.

DE EFFECTIBUS BAPTISMI.

Dubium I.

QUIS SIT EFFECTUS BAPTISMI CHRISTI ET IOANNIS?

Innumeri fuere tum veterum, tum recentiorum hæreticorum errores circa effectum baptismi. *Iovinianus* apud Augustin. hæres. 82. *Hieronym.* lib. 2. contra Iovinianum cap. 1. docuit per Baptismum fieri hominem inpeccabilem, et eum, qui peccat, non fuisse baptizatum, sed tinctum aqua. Eadem *Calvinus* lib. 3. c. 2. §. 11. 12., veram fidem semel habitam negat amitti posse, et in Antidoto Concil. sess. 7. can. 7. de Baptismo, ait: Baptismo tanquam chirographo nos certos redi de perpetua adoptionis gratia. Fundamentum est ex illo *I. Ioan.* 3. v. 9., *I. Ioan.* 5. v. 18., omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. Verum hic absurdissimus est error;

nam is, qui stat, cadere potest, et fornicarius Corinthius baptizatus fuit; non enim erat ex iis, qui foris erant, ideo correptus est, ut spiritus salvus fiat; et si dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est, D. autem *Ioannes*, ut exponit *Augustinus* Tract. 5. in Epistola *Ioannis*, solum docet simul consistere non posse veram iustitiam cum peccato mortali, proinde quamdiu quis filius Dei est, non peccat.

Alii docuere baptizatum non posse damnari, etiam si perdite vivat, ita quidam apud *Augustinum* 21. Civit. c. 25. Sed contra est *Rom.* 8. v. 13. Si secundum carnem vixeritis, morimini; I. ad *Corint.* 6. v. 9. Neque fornicarii etc. regnum Dei possidebunt. Idem *Galat.* 5. v. 21., qui talia agunt etc. *Ephes.* 5. v. 5. Omnis fornicator, avarus non habet hæreditatem etc. Hanc hæresim instauravit *Lutherus*, qui sæpe docet nullum aliud peccatum posse damnare, nisi infidelitatem, id quod necessario ex iis, quæ docet paradoxis sequitur, quod scilicet omnia iustorum opera sint peccata, et quod in iustis non tolluntur, sed teguntur tantum et non imputantur peccata, tamen et paradoxa ista absurdissima sunt, et quod ex illis necessario sequitur.

Alios effectus Baptismi excogitarunt moderni hæresiarchæ suæ libertati carnis accommodatos, ut late refert *Bellarminus* lib. 1. de Bap. c. 15. 16. 17. 18. Nam docent in primis Christianos liberari ab obligatione omnium legum divinarum et solum teneri credere. Et in eo collocant libertatem Christianam, quod licet, qui præcepta transgrediuntur, peccent, tamen si Christiani sunt et credunt, hæc transgressio eis non inputatur, nec propter eam damnantur, ideoque salus hominis Christiani non pendet ab observatione mandatorum, sed a sola fide. Quæ omnia et sæpe docent, et necessario docere debent, cum existiment et legis observationem impossibilem esse, et omnia opera hominum peccata esse, unde si salus Christiani hominis penderet ab observatione legis, nemo omnino salvariatur. Quia vero Scriptura passim inculcat eum, qui vult salvus esse, servare debere mandata et unumquemque recepturum secundum opera, eleganter ad hoc respondet Lutherus in cap. 3. ad *Galat.*: Cum illaqueant te, ait, argumentis ex Scriptura, simpliciter respondeo: Mecum est Christus, vobiscum Scripturæ testimonia pro operibus, tu urges servum, id est Scripturam, quam relinquo tibi, ego urgeo Dominum Scripturæ.

Eodemmodo docent liberari hominem Christianum ab omnibus

præceptis humanis, ita ut eorum transgressio non sit peccatum in baptizato, quia Baptismus nos Deo addicit. Idque probant ex illo *Iacob.* 4. v. 12. Unus est legislator et iudex. Verum *Iacobus* loquitur ibi de summo legislatore, qui ita fert leges, ut nullas accipiat, et ita potest perdere et salvare, ut nullius ope egeat, a nullo impediri possit. Sicut ergo alibi unus dicitur pater noster, unus magister, et tamen *Paulus* se et Patrem Corinthiorum et magistrum gentium vocat II. Timoth. 1. v. 12., ita similiter; unde Rom. 8. v. 15. legum conditores vocantur principes etc. Ex quo deinde principio inferunt illud quoque novatores et præsertim Lutherus lib. de Captivitate et De Votis Monasticis, Calvinus lib. 4. c. 13. v. 21. Vota omnia irrita fieri per Baptismum, quamvis idem Calvinus lib. 4. c. 13. v. 4. et 5., contrarium etiam doceat. Demum et Lutherus lib. de Captivitate Babylonensi, et Calvinus lib. 4. c. 16. v. 3. et 4. et in Antidoto sect. 7. can. 10. de Baptismo per Baptismum ita omnia peccata ablui docent, ut memoria Baptismi præteriti deleantur deinceps peccata omnia. Atque ideo pœnitentiæ sacramentum ait Calvinus non esse aliud, quam ipsum Baptismum, et graviter in eos invehitur, qui præter Baptismum aliam pœnitentiam agnoscunt. Et hoc omnino consequenter docent suis principiis; cum enim velint Baptismum non alio modo iustificare, nisi obsignando divinam promissionem de peccatorum remissione et hoc modo excitando fidem quæ sola iustificat, sequitur quod, sicut Baptismus præsens, ita et memoria Baptismi animo nostro subiicere possit sigillum pacti Dei, sicque excitando fidem iustificare. Verum hæc quoque absurdissima est opinio. Tum quia Scriptura præter Baptismum etiam pœnitentiam exigit a fidelibus, qui in peccatum lapsi sunt, dolorem scilicet de peccatis et alia ad Pœnitentiæ sacramentum necessaria, ut in materia de pœnitentia probabitur. Tum quia Heb. 7. v. 4. Apostolus ait impossibile esse, ut baptizati iterum renoventur per pœnitentiam baptismalem ad gratiam; ubi Apostolus deterrire vult fideles a peccatis, eo quod iterum per Baptismum renovari non possint, at si tantum vellet non posse secundo baptizari, licet per memoriam Baptismi præteriti eundem effectum habere possint, quem per susceptionem Baptismi, non solum non deterruisset, sed potius libertatem dedisset ad peccandum, cum facilius sit meminisse Baptismi, quam multis præcedentibus dispositionibus baptizari in ipsa. Tum quia si id verum esset, frustra omnes veteres, quorum libri extant, gravissimas pœnitentias imposuissent peccatoribus

post Baptismum. At imposuisse docet etiam *Calvinus* lib. 3. c. 4. v. 38. Argumenta novatorum in contrarium nullius momenti sunt et bene refutat *Bellarminus* lib. 1. c. 18. de Baptismo. Nam promissiones illæ: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit etc. conditionatae sunt; alioquin omnes apostatae salvarentur, cum illi vere crediderint et baptizati fuerint, sensus ergo est: qui crediderit et baptizatus fuerit, si permanserit in fædere baptismali, salvus erit, si ab eo defecerit, per Baptismum quidem non salvabitur, sed aliud remedium divinitus institutum est adhibendum.

Ultimo demum ex eodem falso principio de modo, quo sacramenta iustificant excitando fidem, docent novatores Baptismum Ioannis eandem vim habuisse, quam habet Baptismus Christi. Ita *Philippus* in locis citatis de Baptismo, *Calvinus* 4. Inst. c. 15. v. 18. et in Antidoto sect. 7. can. 1. de Baptismo. Verum multo rectius Ecclesia cum *Augustino* lib. 5. de Baptismo c. 9. docet diversa fuisse hæc Baptismata et ideo baptizatos a Ioanne iterum fuisse baptizatos Baptismo Christi Act. 19. v. 4., ad quem locum etsi plurima effugia excogitarint hæretici, ut videre est apud *Bellarminum* lib. 1. c. 22., omnia tamen conficta et vana sunt. Deinde ipse Ioannes Marci 1. v. 8. manifestum discriminat inter suum et Christi Baptismum, cum ait: ego vos baptizavi aqua, ille vos baptizabit Spiritu Sancto. Matth. vero 3. v. 11., Lucæ 3. v. 16. eadem verba repetuntur, nisi quod loco præteriti (baptizavi) dicatur, in præsenti (baptizo); de Christo autem ubique in futuro (baptizabit). Ex quo constat ibi non solum distingui a Ioanne ministerium externum, quod sibi conveniebat, a ministerio internæ sanctificationis, quæ solius Christi est. Si enim de eo loqueretur, si de suo ministerio loquitur in præterito, vel præsenti, ita de ministerio Christi loqui debuisset in præsenti vel præterito, non in futuro, quemadmodum loquitur Apostolus I. Corint. 3. v. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit etc. Ergo Ioannes vere distinguit inter Baptismum suum et Christi, quod ipse quidem in aqua solum baptizat, Christus autem baptizabit in Spiritu Sancto. Quod enim Ioan. 1. v. 33. dicitur: hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto, non significat Christum tunc baptizasse, cum Ioannes loquebatur, sed significat Christum, cum baptizabit, in Spiritu Sancto baptizabit, non in sola aqua. S. quoque Patres, quos late referunt partim *Bellarminus* lib. 1. cap. 22. partim Iodocus *Coccius* Tom. 2. Thesauri lib. 5. art. 5. fol. 505., et *Calvinus* ipse lib. 4. c. 15.

v. 7., fatetur veteres, et nominatim *Chrysostomum*, et *Augustinum* contrarium sentire, sed negat argutias *Augustini* recipiendas contra *S. Lucam*, quasi *Augustinus* vel non intellecterit, quid D. Lucas diceret, vel sciens cum eo pugnare voluerit. Aliorum patrum verba *Coccius* refert nominatim *Iustini* quæst. 37. *Nazianzeni* orat. 39. *Tertulliani* lib. de Baptismo c. 10. et aliorum pæne omnium Patrum. Et Scriptura passim vocat Baptismum Ioannis Baptismum pœnitentiæ, ut Matth. 3. v. 11. Marci 1. v. 4. Lucæ 3. v. 3. Act. 13. v. 24. Act. 19. v. 4. At vero Baptismus Christi dicitur lavacrum regenerationis, mundare Deus lavacro vitæ; et quamvis Act. 2. v. 38. requirat *D. Petrus* ad Baptismum propriam pœnitentiam, non tamen vocat Baptismum Christi Baptismum pœnitentiæ. Ideo autem dicitur Ioannes prædicasse Baptismum pœnitentiæ, quia prædicabat Baptismum, qui excitaret ad pœnitentiam, per quam peccati remissio obtinebatur. Et hoc sensu aliqui patres dicunt Baptismum Ioannis remisisse peccata ex fide et contritione scilicet, quam concio Ioannes et Baptismus excitabat, ut bene ostendit *Bellarminus* lib. 1. c. 21. initio, quod nec *Augustinus* 5. de Baptismo c. 20. improbat, quamvis *Augustinus* eo loco, *Tertullianus* loco citato, *Gregorius*, *Beda* et alii, quos late refert Bellarminus loco citato c. 23. illud (In remissionem peccatorum) non ad Ioannis, sed ad Christi Baptismum referunt, ut sensus sit: Ioannem prædicasse Baptismum pœnitentiæ et remissionem peccatorum dandam per Christi Baptismum.

*Cur Christus
a Ioanne bap-
tizatus?*

Causæ vero, cur Christus a Ioanne voluerit baptizari, variæ adferuntur a Patribus, quas illo c. 20. colligit Bellarminus 1. Ad exemplum humilitatis iuxta illud Christi Matth. 3. Sine modo sic oportet implere omnium iustitiam; *Augustinus* in Euchirid. c. 49. postquam dixisset: per Ioannis Baptismum non renascebantur homines, subdit: in aqua ergo voluit baptizari, non ut eius iniquitas ulla dilueretur, sed ut magna commendaretur humilitas. 2. Ut confirmaret Baptismum Ioannis tanquam bonum et gratum Deo; ita *Hieronymus* in c. 3. Matth. 3. Ut ostenderet, quanti facere debeant peccatores Baptismum Domini, quando ipse Dominus et Iustus tanti fecit Baptismum Ioannis; ita *Augustinus* Tract. 4. et 13. in Ioannem. 4. Ut in Iordanе lavaret nostra crimina, ut canit Ecclesia, et ut veterem Adam in aqua suffocaret, novumque emergere faceret, quod quidem facit non vi Baptismi accepti, sed merito humilitatis suæ. 5. Ut ipse in persona sua figuraret Baptismum nostrum et gratiam, quam in eo accipimus, ut ait *Augustinus* 15.

Trinit. c. 26. 6. Ut aquas sanctificando corporis sui tactu et sic institueret Baptismum salutarem, ciusque vim ac effectum figurate ostenderet, dum cælum aperiri voluit et Spiritum Sanctum descendere et vocem adoptantis audire etc. Ita enim nobis per Baptismum cælum aperitur etc. Spiritus incubat aquis, de novo generat, non ex sanguinibus etc.

His igitur omnibus hæreticorum figmentis reprobatis conclusio Catholica est: Baptismum ex opere operato conferre gratiam iustificantem et remissionem peccati, deinde imprimere characterem, 3-o Pænam omnem temporalem peccatis debitam relaxare, 4-o Auxilia quædam particularia ad particulares fines conferri a Deo baptisatis.

Primum effectum Baptismi late probavimus q. 62. ar. 1. in 2. Suppositione. Nam Scriptura clare docet mundari nos lavacro aquæ, effusione aquæ mundæ mundari nos ab omnibus inquinamentis, regenerari, salvos nos fieri per lavacrum regenerationis; per Baptismum spiritualiter circumcidere, mori, consepeliri, convivificari Christo. At si non iustificamur, non vere mundamur, sed solum efficimur, ut sepulchra dealbata; nec tegi possunt, aut imputari peccata a Deo, si vere manent in nobis; ergo. Unde per Baptismum non tantum originale peccatum, sed etiam si quod præcessit actuale deletur, ut ex iisdem locis colligitur, et clarissimum ex Act. 2. v. 38., pænitentia et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum; et Act. 22. v. 16., baptizeris et ablue peccata tua, ubi ad adultos sermo est et eorum peccata ablui dicuntur omnia, etiam illa, quorum pænitere debent, quæ sunt sola actualia. Sicut ergo omnes ægyptii in mari rubro submersi sunt, qui israelitas prosequabantur, ita Dominus proiicit in profundum maris omnia peccata nostra, ut Mich. 7. v. 19. dicitur.

Secundum effectum Baptismi admittendum esse nempe characterem, ostendimus supra q. 63.

Tertium effectum docet *D. Thomas* q. 69. ar. 2., quod ut intelligatur, supponendum est: in homine lapso quosdam esse defectus, qui ex principiis intrinsecis illi convenient, ut sunt passibilitas, ægritudo, dolores, mors, fomes peccati etc. quæ homini etiam in puris naturalibus convenient; verum quia per iustitiam originalem Deus hos defectus impediebat, idcirco in præsenti statu, hæ quoque naturales affectiones pænalitates sunt. Aliæ sunt pænalitates, quæ non convenient homini ex principiis naturæ, quales sunt pænæ

peccatorum huius vel alterius vitæ. Recte ergo docet *D. Thomas* hic q. 69. ar. 4. Prioris generis pænalitates non decuisse tolli per Baptismum. 1. Quia, ut ait *Augustinus* lib. 2. de peccat. merit. c. 31., licet potuerit hoc conferri credentibus, ut ista non sentirent, si tamen hoc fuisset factum, carni quidem fælicitas addita fuisset, minutum tamen fuisset fidei meritum; sic enim homines mortem timent, ut non ob aliud felices dicerent Christianos, nisi quod mori non possent. Et ideo nemo propter beatam vitam ad Christum festinaret, sed propter removendam mortis molestiam, ne ergo fides enervaretur, relictæ sunt pænalitates. 2. Ut homo in hac vita semper secum ferat testimonium sui lapsus et quantum Deus superbis resistat, ut idem *Augustinus* I. Confess. c. 1. ait. 3. Ut quia per Baptismum Christo incorporamur, sicut ipse passibilis et mortalis fuit in hac vita, ita expedit, ut nos pro illo et cum illo patiamur, ut si compatimur, et conglorificemur. 4. Oportuit in homine manere concupiscentiam ad exercitium pugnæ spiritualis, quod præclare explicat *Tridentinum* Sect. 5. can. 5. de peccato originali. Docet insuper *D. Thomas* ar. 2. A pænis posterioribus peccatorum liberari hominem per Baptismum. Et definitur in Concilio *Florentino*, ubi definitur Baptizatis non esse imponenda opera satisfactoria, quod late prosequitur *D. Thomas* q. 67. ar. 5., cuius rei alia non est causa, nisi quia pænae omnes per Baptismum dimituntur. Unde ibidem ar. 6. docet *D. Thomas* ob eandem causam baptizandis non esse necessariam confessionem præviam. Licet enim *Tertullianus* lib. de Baptismo c. 20. v. 135. dicat ante Baptismum non solum præmitti solita ieunia prævigilia, sed etiam secutam omnium retro delictorum confessionem; idem fere *Nazianzenus* orat. 40. et alii, quos in illum articulum enumerat *Suarus*: tamen illa non erat sacramentalis Confessio, sed solum consilii, directionis et cuiusdam humiliationis causa fiebat. Clarius tamen definitus est hic tertius effectus Baptismi in *Tridentino* sect. 5. canone ultimo de peccato originali, ubi ait baptizatos nihil impedire ab ingressu cæli, et sect. 6. cap. 14. Totam pænam remitti ait per Baptismum, cui similia habet sect. 14. cap. 8., ubi pulchram rationem dat, cur peccata in Pœnitentia non ita dimittantur, ut in Baptismo, cum tota pæna. Eadem est communis traditio Patrum, *Cypriani* Serm. de ablutione pedum n. 4., ita lavari nos ait, ut nullum nec originalis, neo actualis peccati vestigium relinquatur. Idem colligitur ex locis Scripturæ, in quibus effectus Baptismi explicatur.

Quatum effectum explicavimus q. 62. ar. 2., ubi diximus ex vi Baptismi conferri auxilia, maiora frequentiora, vehementiora, ad superandum seruitium concupiscentiæ, ad servandam legem Dei, cui se subiicit homo, ad digne accipienda cætera sacramenta etc., ad quæ ianua est Baptismus.

Dubium II.

AN RECEDENTE FICtIONE BAPTISMUS GRATIAM CONFERAT.

Supponendum est, ex dictis q. 64. dub. 3. In adulto suscipiente sacramentum Baptismi, duplices requiri dispositiones: quasdam, quæ necessariæ sunt, ut valide suscipiatur sacramentum, ut est consensus suscipientis, alias, ut non tantum sacramentum, sed et gratiam sacramenti percipiat, de quibus omnibus late disputat *Suarius* hic disp. 7. sect. 4. disp. 14. sect. 2. disp. 24. sect. 1. disp. 28. sect. 1. Et de prioribus quidem dispositionibus nihil præter ea, quæ illa q. 64. diximus, superest disputandum. De posterioribus certum est apud omnes, ut adultus gratiam recipiat in Baptismo, non solum requiri, ut suscipiens Baptismum non peccet actualiter mortali peccato, sed præterea aliqua dispositio actualis debet præcedere, nimirum fides et pœnitentia aliqua, ut probavimus eadem illa q. 64. dub. 3. dicto 3. ex c. 11. ad *Heb.* v. 6. *Act.* 2. etc. Nam recte dicit *Augustinus* Tomo 4. lib. de vera et falsa pœnitentia c. 8.: Baptismus sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccavit spontanee; et Tomo. 9. lib. de pœnitentia Medicina c. 2., omnis, ait, qui voluntatis suæ factus est arbiter, cum accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum veteris vitæ pœniteat, novam inchoare non potest. Notat vero *Suarius* illa disp. 38. sect. 1. concl. 2. ex *Augustino* id intelligendum esse de adulto, qui peccatum aliquod actualiter commisit, si enim nullum commisisset peccatum mortale, non esset necessaria pœnitentia, quæ aliud non est, quam retractatio et displicentia propriæ voluntatis, sed sufficeret fides et voluntas suscipiendi sacramentum. Verum id ego apud *Augustinum* non reperio. Ex eo vero, quod hæ dispositiones requirantur, non sequitur Baptismum non conferre gratiam ex opere operato, ut q. 62. ar. 1. dub. 2. dicebamus. Nam etiamsi minister cum peccato administret, imo etiamsi ipse recipiens venialiter peccet recipiendo, adhuc tamen confert gratiam iustificantem Baptismus, ut q. 64. dub. 3. dicto 3. ostendimus. In quo etiam a

Martyrio differt sacramentum, ut diximus q. 66. ar. 11. dub. 2. dicto 2.

Suppono 2. Quamvis *Gabriel*, *Marsilius* et alii existimant in adulto, qui peccata actualia contraxit, necessariam esse veram contritionem ad hoc, ut gratiam in Baptismo suscipiat, nec sufficere attritionem; cui ex parte consentit *Navarrus* cap. 1. Sum. v. 39., cum ait: attritionem solum per accidens sufficere; si vide-licet ex ignorantia invincibili putetur esse contritio; tamen multo probabiliorem esse communem sententiam aliorum, qui putant attritionem etiam cognitam sufficere ad effectum Baptismi, ut docent *D. Thomas* hic. q. 79. ar. 3. ad 2., cum ait accedere aliquem posse ad Baptismum cum conscientia peccati mortalis. Idem hic. q. 80. ar. 4. ad. 2., *Scotus*, *Paludanus* et alii, quos citat et sequitur *Suarius* disp. 28. sect. 2. concl. 1. et 2. Et probatur. Tum a posteriori. Nam in Baptismo facilius conceditur venia, quam in pænitentia, ut innuit *Trid.* set. 14. cap. 8. At in pœnitentia attritio cognita sufficit ad iustificationem, ut suo loco probabitur; ergo. Tum a priori ex fine, ad quem institutum est hoc sacramentum. Institutum est enim ad regenerandum hominem, ergo potest, institutum est ad remittendum peccatum contrarium spirituali vitæ, ergo hoc sacramentum, ut hunc effectum conferat, non supponit per se peccatum remissum, et hominem iustificatum, si enim supponeret necessario vitam et munditiam spiritualem, non posset ordinari ad eam dandam et inutile ac inefficax esset remedium contra peccatum, quod prius semper necessario supponeret dimissum peccatum. Confirmatur. Nam si ad remissionem peccatorum hodie quoque requireretur vera contritio, sicut in lege naturæ, et insuper additum esset præceptum Baptismi, difficilior iam esset via salutis, quam fuerat olim; et præterea Baptismus nunquam ex opere operato conferret gratiam; nam etiamsi quis dicat per contritionem de facto dari gratiam, ut est votum Baptismi, adhuc tamen sequitur non dari ex opere operato; nam quando per votum Baptismi iustificamur, non iustificamur ex opere operato. Deinde non vere diceretur Baptismus in re vel voto necessarius esse ad salutem, si nunquam in re susceptus conferret gratiam, sed eam collatam supponeret, ut ex iis, quæ diximus q. 68. ar. 1. initio, manifestum est. Ex quibus patet ad effectum huius sacramenti non esse necessariam necessitate medii contritionem, quod vero nec necessitate præcepti sit necessaria; patet, nam præceptum

quidem positivum nullum tale extat. Præcepto vero naturali solum tenemur sancta sancte tractare; at sancte tractatur hoc sacramentum, si ad illud accedatur cum dispositione sufficiente ad consequendum eius effectum. An vero quæcumque displicentia peccati, etiamsi supernaturalis non sit, sufficiens sit dispositio ad effectum Baptismi, ut vult *Soto*; et præterea: an attritio solum existimata sufficiens dispositio sit, ut voluit *Canus*, late disputat *Suarius* disp. 28. sect. 2. dicto 3. et 4. Ostendimus vero q. 62. ar. 1. dub. 2. dicto 4., in eodem sacramento pro maiori vel minori dispositione suscipientis maiorem minoremve gratiam conferri.

Ex quibus patet tunc solum ponи obiicem effectui huius sacramenti valide collati, 1. Cum quis in actuali peccato mortali suscipit hoc sacramentum, ut q. 64. dub. 3. dicto 3. ostendimus, 2. Cum deest aliqua dispositio necessaria ad effectum huius sacramenti, ut dolor de peccatis. Solum igitur superest disputatio, an si in ipsa susceptione sacramenti validi et omnia ad essentiam sacramenti necessaria habentis desit aliqua dispositio suscipientis, impediaturque, ne tunc gratia conferatur, postea sublato illo impedimento, seu, quod idem est, cessante fictione statim ex vi sacramenti ante recepti conferatur gratia, non quidem physice, cum sacramentum, quod iam non est, physice operari non possit, sed moraliter, eo quod Deus intuitu illius conferat tunc gratiam; deinde quæstio est, quomodo in quolibet eventu tollatur obex; demum: an proprium sit Baptismi, ut recedente fictione gratiam conferat.

Dico 1. Recedente fictione confertur adulto gratia ex vi Baptismi. Ita *D. Thomas* hic. ar. 9., Augustinus passim, ut lib. 1. de Baptismo contra Donatum cap. 12. ubi, baptizatos hæreticos vere baptizari ait, sicut et fictos, non tamen illis conferri gratiam; qui ergo fictus accessit, inquit, non denuo baptizetur, sed pia correctione et vera confessione purgetur. Quod non posset sine Baptismo, et quod ante dictum est, tunc valere incipit ad salutem, cum illa fictio vera confessione recesserit. Idem repetit lib. 3. c. 13., et ait illum eundem Baptismum postea operari salutem. Similia habet lib. 6. c. 5. et passim alibi, quem sequuntur omnes Theologi. Et docet *Cyprianus* Sermone de passione Domini sub finem, ubi de Baptismo et Chrismatis sacramentis loquens licet indigni sint, ait, qui accipiunt, sacramentorum tamen reverentia propinquiores ad Deum parat accessum, et ubi redierint ad cor, constat ablutionis donum et reddit effectus munera, nec alias repeti

necessum est salutiferum sacramentum. Ratio est. Nam peccatum originale et actualia ante susceptionem baptismi commissa non remittuntur sine lavacro regenerationis in re vel voto, ut iam diximus q. 68. ar. 1. dicto 2. Ex *Trid.* sect. 6. cap. 4., sed quando Baptismus suscipitur ficte et postea remittuntur peccata commissa ante Baptismum, ea non remittuntur ratione alicuius voti ad sacramentum Baptismi postea suscipiendum; tale enim votum esse non potest, cum hoc sacramentum iterari non possit. Ergo remittitur tunc peccatum vi Baptismi prius suscepti. Sed hac de re plura *Suarius* dis. 28. sect. 4.

Dico 2. Si quis propterea ficte accessit, quod in ipsa susceptione sacramenti actualiter peccavit mortaliter, vel certe post susceptum Baptismum incidit in peccatum mortale, non tollitur ficte, et consequenter ad recipiendam gratiam non disponitur suscipiens nisi per contritionem, aut sacramentum Pœnitentiæ cum atritione. Si vero solum propterea receptum sit sacramentum ficte, quia licet in eius susceptione non sit admissum peccatum actuale, ex ignorantia tamen invincibili caruit quis dispositione necessaria ad effectum Baptismi, si antequam mortaliter peccet, atteratur, statim recipiet gratiam ex vi Baptismi; hoc totum late probat *Suarius* illa disp. 28. sect. 5. Et prima pars colligitur ex *Augustini* loco citato, ubi ad tollendam fictionem requirit veram confessionem in re scilicet vel voto. Et ratione patet. Nam Baptismus non habet vim remittendi peccata post eius susceptionem commissa, ut iam diximus, et docet *Concilium Tridentinum* sect. 7. can. 10. de Baptismo et sect. 14. cap. 2. At peccatum mortale actuale, cum quo quis suscipit Baptismum in effectu impediendi actionem sacramenti posterius est sacramento Baptismi; si enim ante perfectum hoc sacramentum cessaret peccatum, in ipsa susceptione non committeretur peccatum actuale; ergo hoc peccatum per Baptismum non remittitur. At peccata, quæ per vim Baptismi non remittuntur, solum remitti possunt extra Martyrium et extra Sacraenta per contritionem, aut per sacramentum Pœnitentiæ etc.; ut docet *Tridentinum* illa sect. 14. cap. 1. et 2., ergo. Secunda pars patet. Nam illa attritio si adfuisset in ipsa susceptione sacramenti, fuisset sufficiens ad tollendam fictionem, ergo etiam postea sufficiet, cum nullum novum impedimentum novi peccati accesserit, ut supponimus. Deinde tollere fictionem non est formaliter tollere peccatum, sed solum tollere carentiam dispositionis neces-

sariæ ad gratiam. At hoc facit attritio, ergo. Denique peccata mortalia, quæ ante Baptismi susceptionem commissa fuerunt, non sunt materia sacramenti Pœnitentiæ, ergo per illud tolli non possunt, ergo tolli debent per sacramentum Baptismi, ergo tolli possunt cum dispositione, quæ perse sufficeret ad Baptismum.

Dico 3. Non solum Baptismus, sed cætera etiam sacramenta characterem imprimentia recedente fictione conferunt gratiam. Id etsi neget *Soto*, bene tamen ex communiori sententia probat *Suarius* illa disp. 28. sect. 6., et videtur aperte *Cypriani* loco citato. Idem dicit *Suarius* de sacramentis Matrimonii Extremæ Unctionis, imo etiam de sacramento Pœnitentiæ, si hoc sacramentum validum et informe dari potest. Sed rationes ipsius non adeo sunt efficaces, præsertim de Ordine Matrimonio, extrema Unctione, Confirmatione. De Pœnitentia res esset certior, si dari posset sacramentum Pœnitentiæ informe. Nam peccata mortalia post Baptismum commissa remitti non possunt sine Pœnitentia in re vel voto. At peccatum mortale ficte confessum remittitur postea per contritionem, et non in voto alterius confessionis eiusdem peccati, quia non tenetur homo iterum illud confiteri; imo potest habere expressum propositum nunquam illud peccatum confitendi; ergo remittitur tale peccatum ex vi prioris confessionis.

Quæstio LXX.

DE CIRCUMCISIONE.

Articolo 1. docet *D. Thomas* circumcisionem fuisse figuram Baptismi; idem *Augustinus* lib. 1. contra Crescon. c. 31. et lib. 6., contra Iulianum c. 3. Sacramentum ait, circumcisionis in figura præcessisse Baptismatis quis vel mediocriter sacris locis eruditus ignoret, cum aperte dicat Apostolus: In Christo circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione carnis peccati, sed in circumcisione Christi conseptuli ei in Baptismo *Coloss.* 2. v. 11. Ubi nomine figuræ res figurata appellatur, cum Baptismus vocatur circumcisione. Analogia inter hæc est. Nam sicut circumcisione fuit professio fidei et signaculum fidei, quo homines ad speciale illam congregationem fidelium spectantes signabantur, ita Baptismus; et

sicut per circumcisio expoliabatur homo particula carnis, ita per Baptismum expoliatur a carnali conversatione, ideo Rom. 4. circumcisio vocatur signaculum iustitiae. *Irenæus* lib. 4. cap. 30. n. 2. Secundum carnem circumcisio, circumcisio præfigurabat spiritualem; *Augustinus* 16. Civit. c. 26., quid aliud circumcisio significat, quam vetustate exuta naturam renovatam; 16. contra Faustum c. 29., quid significat circumcisio, nisi spoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus. Et 6. contra Faustum c. 3. In quo membro congruentius expoliatio carnalis concupiscentiæ figuratur, quam unde carnalis fætus exoritur? *Damascenus* 4. de fide c. 26. Circumcisio, ait, Baptismi figura erat; quemadmodum enim circumcisio non utile aliquod aut necessarium membrum, sed supervacaneum abscindit, ita per Baptismum peccatum nobis amputatur, quod cupiditatis excrementum est, non est utilis cupiditati. Figurabat ergo circumcisio, ut ait *Augustinus* 2. contra lit. Petil. c. 37., expoliationem carnalium concupiscentiarum dandam per Christum I. Corint. 10. omnia in figura illis contingere.

Articulo 2. Ostendit *D. Thomas* convenienter institutam circumcisio, quantum ad circumstantiam temporis et personarum, quibus data est circumcisio. Sicut enim Incarnatio dilata est, nec statim ab initio facta, ut ad illud homines disponerentur, ut naturæ infirmitates agnoscerent, ut postea donum æstimarent, ita par fuit homines relinqu cum communib[us] gratiæ auxiliis, ut suarum virium infirmitatem experirentur. Alia ratio, nam Abrahæ clarius promissum, quod in semine eius benedicuntur. Deinde quia initio non egebant homines determinatis cærimonii, quibus fidem suam protestarentur, cum adhuc per recentem traditionem ab Adamo fides magis vigeret, propterea non oportuit tunc separari populum, qui propriis ritibus a Deo præscriptis illum coleret. Prius enim permissi homines suo arbitrio, ut in ignorantias et errores lapsi, gratiæ Dei et Incarnationis beneficium magis claresceret. Demum et populus, ex quibus secundum carnem nasciturus erat Christus, præparari hoc modo debuit ad eius susceptionem. Cum ergo in nullum nomen religionis cœatur, nisi signaculorum visibilium coniunctione ex *Augustino* 19. contra Faustum. c. 11. ideo etc.

Ex hoc infert *D. Thomas*. Circumcisio non oportuisse dari omnibus, sed certo populo. Ratio est. Nam data fuit, ut disponeretur et designaretur populus, ex quo Christus erat nasciturus. Primarius

enim finis circumcisionis non fuit, ut daret gratiam, sed ut consignaret populum Dei, ut iam diximus.

Eodem modo ostendi potest conveniens fuisse, ut tantum viris daretur hoc signum. Ratio est. Tum quia datum est signum fidei Abrahæ, qui futurus erat pater credentium, tum quia illud signum datum est præcipue ad congregandum populum Dei, in unoquoque autem populo et republica viri sunt capita familiarum et totius reipublicæ. Ideo ut totus populus esset consignatus, et segregatus a cæteris, satis erat viros signari. An vero servos debuerint baptizare, late disputat *Suarius* hic ar. 2.

Articulo 3. Ostendit circumcisionem quo ad ritus illius fuisse convenienter institutam 1. Quod in parte occulta et pudenda posuerit signum, non in fronte aut loco patenti, præterea, quod voluerit abscindi et quidem in ætate tenera, in qua periculum aliquod mortis ex dolore abest. Horum enim ratio et 1. Quia circumcisio fuit signum fidei Abrahæ, qua credidit Christum ex suo semine nasciturum et ideo signum positum in organo generationis, quoniam Christus secundum carnem ex Abrahamo erat nasciturus *Gen. 17. v.* Circumciditis præputium carnis vestræ, ut sit in signum fœderis inter me et vos; fœdus autem præcipue hoc fuit Dei cum Abrahamo, quod promiserit Messiam ex semine Abrahæ 2. Quia circumcisio erat in remedium peccati originalis, quod per generationem contrahitur. Sed non urget. Tum quia non constat propter hunc finem primario institutam circumcisionem; tum quia Baptismus est in remedium peccati originalis, tamen in capite fit. 3. Quia circumcisio ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, non quod illam imminuet, sed quia significat imminuendam per Christum venturum, ut supra ex *Damasc.* et *Augustino* diximus. Secundus ritus circumcisionis quod fieret cultro lapideo; *Augustinus de Gratia Christi c. 31.* Ideo id factum, quia petra erat Christus et significabatur per ipsum circumcidendum corpus peccati. Amor enim Christi est culter, quo desideria vana refrenantur. Unde in Scriptura ubique explicatur materia illius circumcisionis, mentio fit petræ, ut *Exod. 4. v. 25., Iosuæ 5. v. 2.* Ait tamen *D. Thomas* hic ad 2., non fuisse necessarium talem cultellum, sed ferreum suffecisse. Nam *Gen. 17.*, ubi præceptum circumcisionis traditur, nulla fit mentio cultelli lapidei. Nam quod *Iosuæ* mandavit Deus in secunda circumcisione, ut petra circumcideret, id factum ob peculiare mysterium, ut *Iustinus dialog.* cum Triphono sub finem ait. Prima,

inquit circumcisio ferro facta est, et fit hodieque, ideo` permanet *Verbum Dei.* in nobis cordis duritia; at nostra, quæ secunda est, fit per acutos lapides, hoc est, per verbum Apostolicum, illius angularis lapidis excisi sine manibus. Tertius ritus circumcisionis fuit, ut die octavo circumcideretur. Necessere enim fuit necessitate præcepti eo die circumcidere, differri tamen potuit ob ægritudinem, sicut distulit populus in deserto, ut patet ex *Iosuæ* 5. v. 2. Ratio institutionis fuit. Nam si ante octavum circumciderentur infantes necdum solidati morerentur vi doloris; et ex alia parte ne differatur remedium *Amor Christi.* salutis. Potissima tamen causa, cur iussi infantes sanguinem fundere quam primum commode possent, est, ut Christus ex illo præcepto occasione sumpta possit statim in infantia pro nobis sanguinem suum fundere et statim solvere inciperet pretium sanguinis copiose postea effundendi. *Cyprianus* hic de ratione circumcisionis addit; Iussit, ait, in parvulis amputari, ut pueri primitia sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblatus erat, offerrent.

Locus circumcisionis nullus certus præceptus, unde *Iosuæ* in Gàlgala, *Siphora* in diversorio circumcidit filium, Christus in Betlehem.

Minister quoque nullus certus, unde et *Siphora* et *I. Machab.* aliæ fæminæ circumciderunt, *Abraham* seipsum *Gen.* 17. v. 24.

Denique imponebatur nomen infanti.

Articulo 4. disputat D. Thomas: an gratiam conferebat circumcisionio de quo iam egimus copiose.

Quaestio LXXI.

DE CAERIMONIIS BAPTISMI.

Fusissime de his disputat *Bellarminus* lib. 1. de Baptismo a cap. 24., *Suarius* et *Valentia* hic, *Iodocus Coccius* Tom. 2. Thesauri lib. 5. ar. 8. et sequentibus a folio 528. usque ad folium 588. *Pamelius* in Tertullianum initio libri de Baptismo.

Triplex cærimonie in genere: quædam ante Baptismum. Nam primo edunt nomina sua, deinde examinantur, an credant et sciant necessaria. Abrenuntiant Sathanæ, ut innuit Clemens 7. Constit. Apost. c. 41., 42. *Dionysius Areopag.* de Hierar. Eccl. et de Bap-

tismo, *Tertullianus* lib. de corona milit. c. 3. v. 3. In Baptismo, ait, aquam adituri sub antistitis manu contestamur nos abrenunciare diabolo et pompæ et angelis eius. Idem repetit lib. de spectaculis cap. 4. et 24. Hoc est pompa diaboli, adversus quam in signaculo eiuramus, quod autem eiuravimus, neque facto neque dicto, neque prospectu participare debemus. Similia multa alii Patres, de quibus *Pamelius* in Epistola 7. *Cyprian.* n. 15. Postea sequebatur fidei professio, signi crucis impressio, exorcismus, id est abiuratio dæmonis.

Quaestio LXXII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Dico 1. Confirmatio est Sacramentum novæ legis. Hoc probavimus argumentis generalibus desumptis ab authoritate Ecclesiæ supra q. 65. Ibidem ex *Act.* 8. v. 16., 17. *Act.* 19. v. 5., 6., id ipsum confirmavimus. Ex quibus locis probant hoc sacramentum *Hieronymus*, quem ibi citavimus, *Dionysius* c. 4. *Eccl.* hierar. Qui sacratissimo, inquit, regenerationis mysterio consecratur adventum sancti Spiritus, consummans inunctio largitur unguenti. Et cap. 2. parte 2. Sic indutum baptizatum ad pontificem ducunt, ille divino unguento virum signans, sacratissimæ communionis ponticipem facit, et alii Patres. Et certe si ex illis locis adiuncta Ecclesiæ expositione colligi non potest hoc sacramentum, nec de Baptismo quidem potuit colligi, quod sit sacramentum, ut illa q. 65. dicebamus. Hoc ipsum colligit *Ambrosius* lib. de his, qui initiantur myster. c. 7. ex illo *II. Corint.* 1. v. 21. Qui confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos et qui signavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris; *Cyrillus* vero Hierosol. Catach. 4. mystagog., ad hoc sacramentum applicat illud *Ecclesiast.* 9. v. 8., omni tempore sint vestimenta tua candida et oleum de capite tuo non deficiat, sicut et illud *Psal.* 22. v. 5. Impinguasti in oleo caput meum. Hæc ipsa veritas colligitur ex perpetua Ecclesiæ traditione. Patres enim veteres huius sacramenti særissime meminerunt. Aliqui illud proprio nomine Confirmationem vocantes, eo quod baptizatis quasi modo genitis infantibus robur et firmitatem præbeat; ita enim hoc sacramentum vocat Concilium *Aurelianum* de Confirmatione d. 5. can. 6. Ut ieun. et *Melchiades* papa Epistola ad Episcopos Hispaniæ: Hoc inquiens sacramento confirmari nos ad

pugnam. Alii a materia vocant Sacramentum Chrismatis, ut *Augustinus* 2. contra lib. Petil. c. 104. Idem *Augustinus* 5. de Baptismo contra Donatum c. 19., 20., vocat oleum sanctificatum, *Dionysius* c. 4. Eccl. Hierar. Sacrum unguentum. Alii a ritu vocant impositionem manuum, quomodo vocatur locis citatis *Actorum* et ab *Augustino* 3. de Baptismo contra Donatum c. 16., a *Cypriano* Epistola 72., ubi Baptismum et Impositionem manum vocat duo sacramenta. Alii demum a forma, effectu et ritu vocant sacramentum consignationis, signum et signaculum omnes tamen hoc sacramentum vocant, ut latissime ex Patribus ostendit *Bellarminus* lib. de Confirmatione c. 3. et sequentibus, *Valentia* hic disp. 5. q. 1. p. 1. Iodocus *Coccius* Tomo 2. *Thesauri* lib. 5. art. 20. fol. 588., quos consulite. Congruens ratio huius institutionis allata est illa q. 65.

Dico 2. Materia huius sacramenti est Chrisma seu unguentum ex oleo olivarum et balsamo mistum. Constat ex Traditione Ecclesiastica a Christo accepta, ut docet *Fabianus* papa Epistola 3. *Clemens* lib. 7. Constit. Apostolic. c. 28. 44. *Dionysius* c. 4. Eccl. Hierar., definitur in Concilio *Florentino*. Et veterum hac de re traditionem latissime persequitur *Fevardentius* in lib. 1. *Iren.* c. 18. v. 8. *Valentia* loco citato p. 2. *Bellarminus* loco citato cap. 8. Postquam vero de veritate huius conclusionis ex traditione Ecclesiastica cognita certificamur, congruentes etiam rationes afferrunt Theologi, cur in tali unguento decuerit hoc sacramentum institui. Nam et oleo nervi confortantur roburque acquirunt, et balsamum bonum odorem diffundit. Ideo athletæ constituuntur, qui sic unguntur, ut et pugnent constanter et Christo bonus odor sint.

Disputatio vero est: an uterque liquor sit necessarius necessitate sacramenti, vel tantum oleum sit necessarium simpliciter, balsamum vero solum necessitate præcepti sit adhibendum. Communis et verior sententia est, quam sequitur *Valentia* hic. p. 2. et quos late ipse refert *Soto*, *Caietanus*, *Navarrus*, *Victoria*: oleum quidem esse materiam necessariam necessitate sacramenti, balsamum vero tantum necessitate præcepti, ac proinde etiam sine illo perfici posse hoc sacramentum. Licet contrarium doceant *Suarius* disp. 33. sect. 1. concl. 4., *Bellarminus* cap. 18. propos. 2. Probat hoc *Valentia*, quia vix aut ne vix quidem hodie verum balsamum habetur, sed maiori ex parte adulteratum. Deinde id ipsum probat ex *Innocentio* 3. cap Pastoralis Epistola De Sacramentis non iterandis, ubi ait in eo, qui sine manus impositione ordinatus est

Suarius
disp. 32. sect. 1.

ad subdiaconatum, vel sine balsamo, solo oleo confirmatus, non esse aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum, id est cærimonia impositionis manus et unctionis balsami.

Respondent aliqui, Pontificem dicere non esse iterandam Confirmationem si quidem ante non fuit vere sacramentum Confirmationis, atque ideo iterari non potuit. Sed contra est. Nam hoc modo prorsus inanis et ridicula fuisset pontificis responsio. Non enim interrogabatur pontifex: an quando sacramentum non est valide collatum, iterum valide conferri possit; hæc enim veritas speculativa extra omnem controversiam vera erat, quod si sacramentum non sit valide collatum, conferri potest absque iteratione sacramenti. Interrogabatur ergo pontifex de practica quæstione: an scilicet illa actio Confirmationis collata dicto modo et illa actio Ordinationis iterum esset repetenda, et de utroque eodem modo respondet pontifex, nihil esse iterandum. Ergo sicut si quis vere ordinatus esset, manus tamen impositio defuisset, non deberet iterum ordinari, ita nec confirmari. Et confirmatur. Nam pontifex non ait non esse sacramentum iterandum, sed non esse aliquid iterandum; at si iteraretur forma etc., aliquid iteraretur, ergo. Fundamentum tamen præcipuum huius sententiae est. Nam ad essentiam sacramenti non requiritur materia sensibilis, quæ in quolibet individuo sacramenti prout de facto in Ecclesia administratur, non adhibetur, nec adhiberi moraliter potest. At balsamum est huiusmodi. Nam cum Chrismia consecratur, magna olei quantitas parva balsami adhibetur. Isti autem liquores propter lentorem et crassitiem non possunt secundum minutissimas partes misceri, ergo sæpe necesse est, ut cum exigua pars huius substantiae mistæ adhibeatur in Confirmatione, non adhibeatur nisi substantia olei, ergo balsamum non est de substantia materiæ huius sacramenti, sed solum præceptum divinum est, ut quando consecratur Chrisma, adhibeatur pars balsami, unde Concilia et Patres, qui balsamum necessarium aiunt, de necessitate præcepti debent intelligi. Sed obiicit *Suarius*: quod ex præcepto Christi necessarium est in materia sacramentali, necessarium est necessitate sacramenti. Si enim id ita non sit, scire non possumus, quæ sint necessaria necessitate sacramentali. Unde quilibet eodem modo diceret materiam aliorum sacramentorum in Conciliis expressam solum necessariam esse necessitate præcepti, non necessitate sacramenti.

*Unica gutta
balsami si
admisceatur,
sufficit.*

Respondeo: nego antecedens; nam evidenter contrarium constat in Pœnitentia, cuius materia dicuntur tres actus pœnitentis, qui tamen non eodem sunt modo omnes necessarii, cum et sine satisfactione constat essentia Pœnitentiæ; eodem modo vinum ex vite mistum aqua dicitur a Patribus materia Eucharistiæ, tamen sine aqua est verum sacramentum; ergo aliqua materia potest esse in sacramentis necessaria necessitate præcepti, non sacramenti. Ad id, quod inferebatur, respondeo: cognoscere possumus: an aliqua materia sit necessaria necessitate sacramenti, si de illius absoluta necessitate ad sacramentum est absolute constans traditio doctorum Ecclesiæ absque opinionum diversitate. At vero licet certissimum semper fuerit in Ecclesia oleum esse materiam Confirmationis, dubium tamen magnum fuit semper, an balsamus necessarius sit tantum, ut materia integrans, quemadmodum satisfactio in Pœnitentia, vel essentialis. Eodem ergo modo, quo in materia Pœnitentiæ omnes tenentur explicare definitiones conciliorum, possumus etiam explicare definitionem de Confirmatione.

Disputant Theologi: an Chrisma necessario beat benedici ab episcopo necessitate sacramenti, an solum necessitate præcepti. Mihi probabilius videtur, quod cum *Caietano*, *Victoria*, *Soto* docet *Valentia* ubi p. 2., non esse id de necessitate sacramenti, sed tantum præcepti; et colligitur ex Concilio *Toletano* 1. can. 20., ubi dicitur in aliquibus provinciis Chrisma benedici a præsbyteris, et licet prohibeatur, non id fiat deinceps, non tamen reputatur nullum fuisse sacramentum tali Chrismate administratum. Rationes, quas *Suarius* contrarium adfert disp. 33. sect. 2., facile est cuivis resolvere.

Dico 3. Forma huius sacramenti sunt illa verba: signo vel consigno te signo crucis et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ita definitum in Concilio *Florentino* in decreto *Eugenii*. Patet ex consuetudine Ecclesiæ, quæ haud dubie per traditionem Apostolicam habet hanc formam. Patres quoque passim in huius sacramenti administratione meminere unctionis, signi crucis, ut auctores iam citati probant, de qua re plura *Suarius* disp. 33. sect. 5. Recte autem ait loco citato Concilium *Florentinum*: In fronte, ubi verecundiæ sedes est, signo crucis signari et ungi confirmandum, ne Christi nomen et præsertim eius crucem iudæis scandalum, gentibus stultitiam erubescat.

Dico 4. Effectus huius sacramenti sunt gratia habitualis, character et particularia quædam auxilia ad confitendam fidem. Hæc conclusio ex dictis patet. Nam ostendimus de sacramentis in genere omnia sacramenta conferre gratiam non ponenti obicem, ergo etiam Confirmatio. Et licet per se ex ratione specifica non ordinetur hoc sacramentum ad primam gratiam, sed ad augmentum ipsius ac proinde cum conscientia peccati mortalis non possit recipi, per accidens tamen etiam primam gratiam conferre potest non minus, quam Eucharistia, ut ex dictis supra patet. Ut autem non ponatur obex effectui huius sacramenti, sequitur, ne quis actualiter habeat voluntatem peccati mortalis. Ut vero ieiunus sit et confiteatur ante, solum requiritur Can. 6. *Ieiun.* de Cons. d. 5., ex decentia, non vero ex necessitate, ut *Soto*, *Valentia* et alii docent. Sufficit ergo, si conteratur, verum si conteri nolit, cum sola attritione cognita, non potest quis accedere, nisi confiteatur, ut late deducit *Suarius* illa disp. 34. sect. 2., et disp. 37. sect. 2., ex Patribus tali ratione notat posse a non ieiunis sumi et administrari. Quod vero characterem conferat, ideoque nec iterari possit, docet Concilium *Florentinum* et innuitur in *Toletano* 8. can. 7., cum dicatur sacramentum Chrismæ evelli non posse, sicut nec altaris honorem, et patet ex dictis supra. Nec contrarium docet *Augustinus* 3. de Baptismo c. 16., ubi manum impositionem ait esse solam orationem et repeti posse. Nam *Augustinus* non loquitur de ipsa Confirmatione, quam paulo ante sacramentum dixerat, sed de cærimonia impositionis manus, quæ in huius sacramenti administratione adhibetur. Illa vero cærimonia repeti potest in ordinatione, reconciliatione etc.; sed de hoc latius *Suarius* disp. 34. sect. 1., ubi multa congerit de multiplici manus impositione in Ecclesia usitata. De auxiliis vero illis, quæ peculiaria conferuntur in singulis sacramentis, supra disputavimus.

Dico 5. Minister ordinarius huius sacramenti est episcopus, quamvis ex commissione pontificis possit etiam simplex sacerdos administrare. Ita *D. Thomas*, *Alensis*, *Richardus*, *Caietanus*, *Soto*, *Victoria*, *Valentia*, *Suarius* etc. Prima pars definitur in *Florentino* et *Tridentino* sect. 7. can. 3. ab *Innocentio* 1. 3. cap. Quarto Epistola de Consuetudine, quod ex *Eusebio* papa, *Damaso*, *Leone*, *Cypriano*, *Hieronymo* probat *Valentia* disp. 5. q. 2. p. 2. Et patet ex *Act.* 8. ubi mitti leguntur Apostoli, qui Samaritanos confirmarent, quia scilicet *Philippus* diaconus, qui eos converterat, non potuit confir-

mare. Illum enim *Philippum* diaconum, et non Apostolum fuisse docet *Chrysostomus* et *Beda* in eo loco, *Anacletus* papa Epistola 1. et alii. Unde bene infert *Suarius* disp. 36. sect. 1., simplicem sacerdotem, si propria authoritate velit confirmare, nil efficere. Secunda pars patet ex facto *Gregorii Magni*, qui lib. 3. Registri Epistola 26., concessit id sacerdoti. Idem declaratur in Concilio *Florentino* in decreto *Eugenii*, et innuitur in *Tridentino*, cum minister ordinarius huius sacramenti dicitur episcopus. Sicut ergo ex institutione divina alii sunt ministri ordinarii Baptismi, alii extraordinarii, ita similiter etc. Unde pontifex sacerdoti concedens authoritatem confirmandi non dispensat in lege Dei, sed declarat institutionem divinam in casu extraordinario, de quo plura *Suarius* disp. 36. sect. 2., ubi etiam probat sect. 3., quemlibet episcopum etiam hæreticum ac schismaticum valide conferre hoc sacramentum, quod innuit *Augustinus* lib. 2. contra lit. Petit c. 104. Præter ministrum etiam patrinus adhibetur, qui confirmatum erudiat ad pugnam spiritualem, ut habetur 30. q. 4. cap. 3. Si quis ex uno coniugio, et 30. q. 1. cap. 2. Si quis filiastrum, et de Cognitione spirituali in 6. cap. 1. Nedum. Et ex hac paternitate nascitur cognatio spiritualis impediens matrimonium eodem modo, quo in Baptismo nasci diximus, q. 67. ar. 8. Hanc autem cognitionem *Tridentinum* sect. 24. cap. 2. de Reform. solum constare ait inter confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem. Quamvis sicut in Baptismo non est de necessitate sacramenti, sed solum de præcepto patrinus, ita nec hic. Et quemadmodum in Baptismo nemo potest esse patrinus, nisi baptizatus, ita nec hic, nisi confirmatus, ut patet de Cons. d. 4. Can. 102. In Baptismo. Et sicut in Baptismo, ita et hic prohibitum est hoc officium monachis de Cons. d. 4. Can. 103. Non licet; sed de his plura *Suarius* in Com. ar. 10.

Dico 6. Omnes baptizati sunt capaces huius sacramenti, tam infantes, quam amentes etc. Ita *Urbanus* papa Cap. 1. Omnes de Cons. dist. 5. *Melchiades* in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, et late probat *Suarius* disp. 35. sect. 1. Et patet ex usu primitivæ Ecclesiæ, in qua infantibus dabatur statim post Baptismum. Dixi (baptizatos.) Nam nisi Baptismus antecedat, nullum sacramentum in usu consistens valide suscipitur, cum Baptismus sit ianua sacramentorum, ut ex Concilio *Florentino* et *Tridentino* supra diximus. Unde quemadmodum cap. 1 de Præsbytero non Batizato, iubetur

præsbyter non baptizatus post Baptismum iterum ordinari, ita similiter dicendum est de Confirmatione. Præcipitur vero in *Tridentino* sect. 23. cap. 4. de Reformat, ut nemo priusquam confirmatus fuerit ad ordines, imo ne ad primam quidem tonsuram admittatur, cuius præcepti transgressionem, si sine contemptu fiat, non esse mortale peccatum docet cum *Navarro*, *Valentia* illa disp. 5. Sect. 2. Duxi (capaces esse) non vero teneri. Nam, ut recte ibidem p. 3. ait *Valentia*, et *Suarius* disp. 38. sect. 1., cum *Soto*, *Navarro*, *Victoria*, nec divino nec ecclesiastico præcepto ita tenetur quis suscipere Confirmationem, cum possit, ut nisi suscipiat, peccet moraliter. Quamvis enim, si ex contemptu omitteret, peccaret moraliter, tamen si ex negligentia omittatur, ubi non est periculum tyrannorum adigentium ad negandam fidem, ad summum tantum veniale peccatum erit, ut ex communi doctorum sententia ostendit *Valentia* ubi supra.

De cærimoniis huius sacramenti agit *Bellarminus* loco citato c. 13. *Suarius* disp. 37. sect. 1. et 2., quos consulite.

Quæstio LXXIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE SECUNDUM SE.

Plantaverat Deus in paradiso voluptatis præter alias per-Die 23. April,
multas, quibus vita sustentaretur, arborem vitæ, cuius fructus
suis interdum temporibus degustatus hominem in statu innocentiae
constitutum, immortalem conservaret. Non absimili ratione, divina
providentia inter innumera spiritualis vitæ alimenta in Ecclesiæ
paradiso alendis suorum mentibus collocavit arborem vitæ, vel
ut ipse Dominus ait Ioan. 6. v. 48., 50., 52., panem vitæ, ut
siquis ex ipso manducet, non moriatur in æternum, sed vivat in
æternum; hoc est Eucharistiam, quæ nihil aliud est, quam signum
sensibile, in quo sub accidentibus panis et vini Christus continetur,
et quidem altera arbore infinitis partibus nobiliorem; illa enim de
terra terrena erat, panis hic de cœlo cælestis, illa corporis, hic
animarum vitam præbet, illa solum vitam conservabat viventium,
hæc sæpe dat vitam mortuis. Quamobrem multo melius sacro-
sanctum hoc sacramentum illi vitæ arbori in cælesti paradyso
collocatae conferri potest, quæ ut Apoc. 22. v. 2. legimus, affert
fructus duodecim per menses singulos et folia eius ad sanitatem
gentium, ut scilicet varietate ac novitate fructuum delectet; et
quemadmodum Apoc. 2. v. 7. promittitur victores, peccatorum
scilicet ac passionum reficiat. Sic enim hoc sacramentum, in quo
is ipse continetur, qui se Ioan. 14. v. 6. veritatem ac vitam esse
dicit, duodecim fructus, totam scilicet varietatem virtutum pro-
ducit, quoties digne percipitur et duodecim illos fructus spiritus,
quos enumerat Apostolus Galat. 5. v. 22., renovat in nobis. Folia
vero huius arboris illa sunt, de quibus Ioan. 6. v. 64. dicitur:
verba, quæ ego locutus sum, spiritus et vita sunt.

Porro quemadmodum Deum, eo quod nullo nomine pro dignitate explicari eius maiestas possit, variis nominibus appellarunt veteres, ut varias eius perfectiones, quantum fas est, exprimerent: ita hoc sacramentum, cum propter suam excellentiam multiplicesque ac divinos eius effectus nullo satis apto vocabulo perfecte significari posset, variis insignitum est nominibus; et ut omittamus, quam plurima nomina, quæ encomium potius continent Eucharistiae, qualia sunt illa, quod sit Sacramentorum consummatio, ut vocat *Dionysius* cap. 3. *Eccles. Hieron.* initio et cap. 2. in fine. A *Chrysostomo*, hom. 24. in 1. ad *Corint.*, vocatur Sacramentum Sacramentorum, et lib. de sacerdotio, horrendum mysterium, a *Damasceno* 4. de fide cap. 14. Carbo ignitus vocatur, ex quo ignem desiderii conburentem peccata, illuminantem corda assumimus, ut participatione divini ignis igniamur et deificemur, qualis carbo ille *Isai* 6. v. 6. Ab *Augustino* Tract. 26. in Ioannem vocatur Sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum charitatis; a Concilio *Tridentino* sess. 13. cap. 8. Concordiae symbolum, et cap. 2. Memoria mirabilium Dei, in qua divitias divini erga nos amoris Deus effudit. Ut inquam hæc omittamus *D. Thomas* hic art. 4., ad tria genera revocat omnia huius sacramenti nomina. Primum caput est eorum, quibus hoc sacramentum significatur, ut est signum rei præteritæ, nimirum commemoratio dominicæ passionis. Et hac ratione dicitur sacrificium, hostia, victima, oblatio, holocaustum etc., potissimum tamen dicitur Cæna Domini, eo quod in ultima cæna, seu statim post cænam fuit institutum, quo nomine vocatur 1. *Corint.* 11. v. 20. ut multi Patres explicant. Quamvis ergo *Claudius Sanctius* Repetit. 6. de Eucharistia Cap. 1., multis contendat hanc cænæ appellationem, nec proprie competere tanto sacramento, nec ex Scripturis colligi, nec purioribus Ecclesiæ sæculis frequentem fuisse, sed hæreticos modernos eo maxime fine hoc nomen usurpare, ut ex eo suas hæreses fulciant; hinc enim probant sub utraque specie dandam Eucharistiam, quia non vere cænatur, nisi bibatur, sicut editur. Hinc reprobant privatas missas, et ad ægrotos delationem Eucharistiae, quia tunc non dominica cæna est, sed unus quisque suam cænam præsumit. Hinc demum probant corpus et sanguinem non nisi in usu et esu sacramenti consistere, quia cæna actionem significat et manducationem. Unde *Sanctius* existimat cænam illam, de qua Apostolus loquitur, existimat illam fuisse, quæ postea agapes seu charitatis

nomen accepit, ut videre est in *Tertulliano* in Apologo c. 39. n. 517., et multis aliis locis, quos citat ibi *Pamelius*, quæ cæna, quia in templis, quæ tunc dominicæ dicebantur, et quidem statim a perceptione Eucharistiae instituebatur promiscue dicitibus et pauperibus, pignus fraternæ charitatis et memoria dominicæ cænæ, eiusque erga nos charitatis ac humilitatis, idcirco dominica cæna vocabatur. In qua tamen interdum ad ebrietatem bibebat, ut Apostolus ait, quod in sacramento nunquam accidit. Verum etsi perperam faciunt hæretici, quod e bono nomine virus sugant, negandum tamen non est, et *Ignatium* a *Sanctio* citatum Eucharistiam cænæ dominicæ vocabulo indigitasse, et *Cypriani* ac *Bernardi* sermones de Cæna Domini inscribi, et ab *Augustino* Tom. 4. lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 17. Cænam dominicam vocari; et *Epistola* 118. cap. 5. Ipsam Eucharistiam ait ab Apostolo vocari dominicam cænam. Imo *Valentia* 22. disp. 3. q. 1. p. 1., putat a *Tertulliano* hoc ipsum sacramentum vocari agape, quamquam etiam alia cæna passendis pauperibus instituta sive frugibus sive carnibus, ut loquitur *Augustinus* 20. contra Faustum c. 20., nominabatur agape. Et sane iure optimo Cænæ illius magnæ, cuius mentio est *Lucæ* 14. v. 16., *Matth.* 22. v. 2., nomen huic sacramento competit. Nam ut *Augustinus* Tom. 10. ser. 33. de verbis Domini ait, Cæna hæc magna illa cæna Domini, quam sciunt fideles, et *Iansenius* cap. 89. Concordiæ, ostendit ex aliis Patribus Cænam illam hoc sacramentum esse, quam cænam non quicunque, sed quidam homo, singularis homo, qui in forma Dei erat, nec fieri per alium curavit, ut manna Angelorum ministerio, sed fecit ipse accipiens panem etc., licet ante cænam, quia, ut est apud *Eliam* Cretensem in orat. 2. Nazian. v. 3., post prandium legis veteris, imo etiam post prandium aliarum spiritualium refectionum, quas Apostolus 1. *Corint.* 11. v. 28., probationes sui nominat, sumitur, estque ultima refectio tum dignitate, quia nobilissimum cibum continet, tum ordine, sive Christi finem respicimus, qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos etc. et paulo post sacramenti huius institutionem obscuratus est sol iustitiæ, sive respicimus tempus ætatis nostræ, qui in novissima hora, in fine sæculorum sumus, 1. *Corint.* 10. v. 11., sive consideremus tempus, quo institutum est hoc sacramentum, nimirum cum et mundus peccatorum tenebris obductus erat et noctis tempus quieti ac somno destinatum esset, ut intelligeremus sumi

hunc cibum debere, cum strepitus passionum sedati, cum sopitæ cupiditates et ut *Psal.* 126. v. 2. dicitur, cum dederit dilectis suis somnum. Magna vero est cæna hæc sive dignitatem instituentis, qui longe potentior est Asvero, sive præstantiam cibi, qui longe, ut diximus fructus arboris vitæ, longe cibum Angelorum mannam superat, et in eo velut memoria ac compendio mirabilium Dei, omnipotentia Dei plurima admirabilia, summa iucunditate perfusa miscuit, sive numerum convivarum, sive sumptum in illam expositum, sive locum, in quo celebratur, ab ortu scilicet solis ad occasum, sive tempus, quo celebratur, cum et omnibus diei horis alicubi celebretur, nulla siquidem est hora, quæ in aliqua orbis parte non sit prima, in alia secunda etc. Et ad consummationem usque sæculi duratura sit hæc cæna. Quamvis igitur cæna illa magna intelligi possit, illa cæna nuptiarum agni *Apoc.* 19. v. 9. et 18. quæ omnium ultima refectio est, scilicet cælestis beatitudo, tamen etiam hæc cæna vitæ præsentis intelligi potest.

Secundum caput nominum Eucharistiae complectitur ea, quibus significatur, quatenus est signum rei præsentis; qua ratione dici solet vita ab *Augustino* lib. 2. de peccat. merit. c. 24., quia dat vitam sumenti. Vocatur corpus et sanguis Christi, vocatur panis vitæ de cœlo descendens *Ioan.* 6. v. 4., quia scilicet ex pane fit et spiritualiter præstat munus panis, de quo pane intelligit *Augustinus*

Sapientia Dei in hoc sacramento. 17. de Civit. c. 20. illud *Prov.* 9. v. 2., 5. Sapientia ædificavit domum, miscuit vinum etc. Venite, comedite panem; et illud

Isai. 55. v. 1. Emite absque auro et argento vinum etc. Vocatur Communio, quasi communis unio græce Synaxis, vel congregatio, seu *κοινωνία*, iuxta illud *I. Corint.* 10. v. 16. Calix, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est, et hoc modo vocat et *Dionysius* c. 2. Eccles. Hierar. parte 2., in fine sacratissimam communionem vocat, in fine vero 3. partis: Deificam communionem; et cap. 3., cum aliis etiam sacramentis commune sit, ut nos Deo coniungant et uniant, causam dat, cur præcipue ac peculiariter hoc sacramentum communio, sive societas, synaxis, collectio dicatur, quemadmodum Baptismus illuminatio appellatur. Quid autem sit communio laica et clericalis, explicat *Suarius* q. 73. in Com. ar. 4. Denique vocatur Eucharistia a *Dionysio* locis citatis, *Irenæo* lib. 4. c. 34. v. 24., et aliis passim. Dicitur autem Eucharistia, hoc est vel bona gratia, quia et Christi continet gratiam, gratiæque authorem et confert gratiam sumentibus; vel gratiarum actio, quia

per oblationem huius sacrificii testamur gratum animum erga Deum et quidem universe loquendo Deo gratias agere alio modo non possumus, nisi reddendo ei dona, quae de manu eius accepimus. Ita in hoc sacramento pro Christo nobis dato reddimus ipsam gratiam, quam accepimus, ipsum Christum offerendo in sacrificium laudis.

Tertium denique caput nominum desumitur in ordine ad futura, quae præfigurat, qua ratione vocatur Viaticum, eo quod sit alimentum viatoribus traditum, ne deficiant in via, sed in fortitudine cibi illius ambulent usque ad montem Dei; ita enim vocat Concilium *Nicænum* can. 12., et refertur 26. q. 6. can. 9. de his vero, *Carthagin.* 4. can. 77., 78. Imo *Tirrianus* noster aliquando simpliciter Viam appellari putat et de hoc sacramento accipit illud *Psal.* 49. v. 23. Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter etc. Et illud *Heb.* 10. v. 20. Initavit nobis viam novam per carnem suam. Addit D. Thomas dici etiam Eucharistiam, quia præfigurat vitam æternam, quae *Rom.* 6. v. 23. dicitur gratia Dei. Et a græcis metalepsin seu assumptionem, quia ut *Damascenus* 4. de fide c. 14., ait per hoc sacramentum assumimus Christum, Filium Dei eique unimur.

His positis quæ ad quæstionem, quid nominis, spectant, quamvis si ordinem dignitatis spectamus, inter novæ legis sacramenta primum sibi locum vindicet Eucharistia, utpote consummatio sacramentorum omnium quemadmodum ex *Dionysio* diximus, in quo fons vitæ authorque ipse gratiæ continetur, si tamen effectum, ad quem ordinatur, consideremus, merito eius considerationem Baptismo et Confirmationi postponit *D. Thomas*. Nam nutrimentum spirituale supponit generationem spiritualem et robur aliquod, seu augmentum, ordinaturque ad reparandum, quod per peccata venialia perditur in vita spirituali et ad præservandum a mortalibus peccatis.

ARTICULUS I.

An Eucharistia sit Sacmentum?

Ad quæstionem: an est, spectat quæstio de possibilitate, convenientia, necessitate sacramenti, verum quia huius sacramenti possibilitas pendet ex notitia transubstantiationis et modi, quo hoc sacramentum de facto institutum est, de quo postea disputabimus:

idcirco hoc loco supponit *D. Thomas* hoc sacramentum esse possibile, et de eius convenientia ac necessitate disputat sequentibus articulis.

Conclusio ergo huius articuli est, Eucharistiam esse sacramentum a Christo Domino institutum distinctum a reliquis novæ legis sacramentis. Ratio evidens est. Nam ut sæpe diximus superius, ut aliquid sit verum novæ legis sacramentum, non est necesse, ut in Scriptura vocetur sacramentum, siquidem nec Baptismus usquam in Scriptura sacramentum vocatur, sed sufficit, si sit signum sensibile, in cuius usu gratia conferatur ex promissione Dei. At huiusmodi est Eucharistia, ut constat ex *Ioan.* 6. v. 55.: qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, et v. 57. In me manet etc., adiuncta institutione huius sacramenti in ultima cœna sub speciebus panis et vini, de qua inferius agemus; ergo. Unde non tantum concilia posteriora, ut *Florentinum* in decreto *Eugenii*, *Tridentinum* sess. 7. cap. 1. sess. 13. cap. 1., verum etiam ante annos 1300 Concilium *Carthaginense* 3. ita loquitur can. 24. In sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aquæ mistum, et can. 29. Sacramentum altaris nonnisi a iejunis colebretur excepto die anniversario cœnæ Domini. Ex Patribus idem docent *Augustinus* Epistola 23. versus finem, 3. de Trinitate c. 10. et alii Patres, qui referuntur De Consec. dist. 2. Quod vero a reliquis sacramentis distinguatur, clarum est ex materia formaque huius sacramenti diversa a materia et forma reliquorum sacramentorum, et præterea quia alia sacramenta tantum in usu consistunt, eorumque forma immediate ordinatur ad effectum in suscipiente producendum. At vero hoc sacramentum ante usum in ipsa consecratione perficitur, et ideo post suum fieri permanet factum, quamdiu durant species consecratae, forma etiam eius nihil efficit in suscipiente, sed in materia, quam transmutat, et in corpore Christi, quod constituit præsens sub speciebus, quæ omnia ex dicendis constabunt. His positis.

Dubitatio Unica.

QUID SIT ID, CUI PROPRIE CONVENIT SACRAMENTI EUCHARISTIAE
RATIO?

In sacramento Eucharistiæ quatuor reperiuntur, de quibus potest esse quæstio: in quo horum consistat propria ratio sacramenti, scilicet verba consecrationis, corpus et sanguis Christi,

species sacramentales, et usus seu sumptio harum specierum, De substantia enim panis et vini, quæ desinit, in instanti, quo fit transubstantiatio et incipit esse hoc sacramentum, nulla potest esse quæstio, cum illa nullo modo concurrat intrinsece ad huius sacramenti constitutionem in fieri. Præterea supponendum est id, quod *D. Thomas* in fine huius articuli docet, et desumptum est ex *Innocentio* Cap. Cum Marthæ, De Celebrat Miss., In sacramentis tria esse distinguenda; nimirum sacramentum tantum, rem tantum, rem et sacramentum simul. Sacramentum tantum illud dicitur, quod ita est signum, ut nullo modo sit res significata et repræsentata ab alio, ut est ablutio, unctio (in Baptismo, Confirmatione); res tantum sacramenti id dicitur, quod ita significatur et repræsentatur ab alio, ut nullo modo significet aut repræsentet ulteriorem aliquem effectum sacramenti, cuiusmodi est gratia, quæ datur in Baptismo, Confirmatione etc. Res et sacramentum simul est, quod et ab alio significatur, ideoque est res significata a sacramento, et aliquid significat et ideo largo modo cum addito diminuente dicitur sacramentum et res simul, cuiusmodi est in Baptismo et Confirmatione character. Duo igitur explicanda sunt in præsenti quæstione. In primis quid sit illud, cui convenit perfecta ratio sacramenti Eucharistiæ, sive illud sit unum aliquid, sive aggregatum ex pluribus rebus ratione sacramenti constituentibus. Secundo quomodo sacramentum tantum, res tantum, res et sacramentum simul assignari debeant in præsenti?

Dico 1. Verba consecrationis nec sunt sacramentum Eucharistiæ, nec intrinsece constituunt illud. Ita diximus supra q. 60. ar. 5. dub. 1. cum *Alano*, *Bellarmino*. Et docet *Valentia* hic disp. 6. q. 1. p. 3. sub finem, cum aliis multis, quos refert *Suarius* hic disp. 42. sect. 2., in prima sententia. Et ex ibi probatis conclusio clara est. Confirmatur vero breviter 1. Ex *Tridentino* Sess. 13. cap. 3. et can. 4., ubi definitur hoc sacramentum esse aliquid permanens et non in solo usu consistens, ergo cum forma successiva sit et non existat, cum primum sacramentum incipit esse, non potest esse de intrinseca constitutione sacramenti. Deinde in Concilio *Florentino* eodem modo dicuntur verba esse forma huius sacramenti, quo panis dicitur materia. Sed panis ita est materia, ut nullo modo spectet ad constitutionem huius sacramenti in esse sacramenti, ergo. Unde magnum est discrimen inter materiam et formam huius et aliorum sacramentorum, ut ad 3. ait *D. Thomas*.

Nam formæ aliorum sacramentorum non efficiunt sacramentum, sed eius effectum. Atque ita possunt esse de intrinseca ratione sacramenti, forma vero huius sacramenti extrinseca est et solum efficit ipsum sacramentum, non effectum sacramenti, quo fit, ut rationem sacramenti habere non possit, quamvis enim signum sit rei sacræ, scilicet corporis Christi, non dirigitur tamen practice ad causandam gratiam, ut loco citato dicebamus, nec spectare potest ad intrinsecam rationem sacramenti. Unde tam materia, quam forma Eucharistiæ est intrinseca huic sacramento, necessaria tamen ad eius constitutionem, tanquam materia ex qua et causa instrumentalis effectiva; ex quibus facile responderi potest ad argumenta, quæ in contrarium adfert *Gabriel* 4. d. 8. q. 1. ar. 3. dub. 2., ubi timide, contrarium huius conclusionis proponit examinandum. Facile etiam colligi potest non necessariam esse speculationem illam *Suarii* in fine Sect. 2. citatæ, cum ait verba consecrationis dici posse spectare ad constitutionem huius sacramenti, eo quod per illa fuerint determinatæ species ad significandum corpus Christi, tanquam per formam extrinsecam, a qua species extrinsecam denominationem sumunt, sicut a cognitione præterita tanquam a forma denominatur res extrinsece cognita; quod ipsum alii significant, cum aiunt moraliter loquendo formam esse de intrinseca constitutione huius sacramenti. Hæc ergo speculatio non est necessaria. Licet enim verum sit formam esse causam instrumentalem extrinsecam huius sacramenti tam physicam, quam moralem, ex eo tamen non sequitur, quod spectet ad eius constitutionem; nam et candela est causa efficiens physica ignis ex stuppa geniti, et mandatum principis est causa moralis occisionis rei, non ideo tamen dicitur spectare ad constitutionem occisionis, sed solum dicitur esse causa extrinseca illius.

Dico 2. Usus seu sumptio huius sacramenti non est pars sacramenti Eucharistiæ. Hæc conclusio non solum est contra hæreticos moderno, qui dicunt corpus Christi non esse præsens in Eucharistia, nisi cum sumitur, contra quos disputabimus q. 75. et late disputant *Bellarminus* lib. 4. de Eucharistia a cap. 1. Sanctius Repetit 4. cap. 12. *Valentia* disp. 6. q. 1. p. initio; sed etiam contra quosdam Catholicos, qui fatentur quidem corpus Christi in Eucharistia esse præsens ante sumptionem, et ideo longe absunt ab omni suspitione prædictæ heresis, simul tamen addunt ipsam sumptionem esse partem huius sacramenti et ei convenire rationem sacra-

menti. Ita *Gabriel* 4. d. 8. q. 1. ar. 3. dub. 2. *Aureolus* apud *Capreolum*, Maior et alii, quos refutant *Suarius* disp. 42. Sect 4. *Valentia* loco citato. Et omissis quatuor rationibus, quibus loco citato *Suarius* conatur hoc probare, eo quod faciles et minus efficaces sunt, refutari potest ex Concilio *Tridentino* sess. 13. cap. 3., ubi discrimen datur inter hoc et alia sacramenta, quod alia tunc primum habent vim sanctificandi, cum illis utimur, hic vero ante usum continetur ipse sanctitatis author. Et cap. 5. ac. 6. definit Concilium hoc sacramentum deferri ad infirmos, conservari, festo peculiari celebrari, quæ vera non sunt, si sumptio esset de essentia huius sacramenti. Quare hoc est inter istud et alia sacramenta discrimen, quod in reliquis sacramentis usus ipse institutus est a Deo ad significandam et efficiendam gratiam, atque ideo usus ipse, verbi gratia ablutio in Baptismo, est pars constituens sacramentum, et non tantum applicatio sacramenti. At vero in Eucharistia aliter se res habet. Est enim sacramentum permanens et ideo sumptio illius non est per se signum gratiæ conferendæ, sed applicatio signi conferentis gratiam. Sicut enim comedio non est cibus reficiens, sed applicatio et conditio, sine qua cibus non reficit, et approximatio non est calefactio sed conditio; ita hic sumptio non est sacramentum, vel pars constituens sacramentum, sed totum sacramentum præexistit ante sumptionem, tametsi non conferat actu gratiam, nisi applicetur per sumptionem, quæ non est ratio formalis causandi gratiam, sed conditio sine qua non. Quæ etsi mihi veriora videantur, tamen si dicti authores dicent sumptionem non esse quidem partem essentialiem sacramenti, esse tamen partem integrantem, sicut satisfactio in Pœnitentia est pars sacramenti, eiusmodi tamen, ut sine illa essentia sacramenti constare possit, adderent præterea ipsum quoque usum sacramenti assumi ad productionem gratiæ, per quam unimur Christo, et quam unionem significat externa sumptio; denique dicent Concilium Tridentinum illo cap. 3. solum damnare errorem hæreticorum modernorum, cuius supra meminimus, nulla huius controversiæ Theologicæ facta mentione, cap. vero 5. 6. et sæpe alibi Concilia et Patres sacramentum Eucharistiæ solum accipere pro eo, quod est de essentiali constitutione sacramenti in facto esse, si inquam, hoc dicent et in reliquis consequenter parentur, non video, quomodo refelli possent.

Dico 3. Nec solæ species panis et vini, nec solum corpus Christi est integrum sacramentum Eucharistiæ, sed utrumque

spectat ad intrinsecam eius constitutionem. Et imprimis quod solum corpus Christi non sit integrum sacramentum, patet, tum ex modo loquendi Conciliorum et Patrum, præsertim Concilii *Tridentini* sess. 13., ubi cap. 3. in Eucharistia ait, esse Christum, et can. 1. in sacramento Eucharistiæ definit contineri corpus Christi, quæ vera non sunt si totum sacramentum Eucharistiæ aliud non sit, quam corpus Christi. Deinde sacramentum est signum sensibile, at corpus et sanguis Christi in hoc sacramento non sunt sensibilia, nisi ratione specierum, ergo non sunt integrum sacramentum. Secundo quod corpus Christi spectat ad constitutionem sacramenti et consequitur, quod solæ species non sint integrum sacramentum, latissime probat *Suarius* disp. 42. sect. 3. *Sanctius* Repetit 2. cap. 4., et manifeste colligitur in primis ex Concilio *Tridentino* sess. 13. cap. 2., ubi sacramentum hoc ait esse cibum spiritualem animarum, cap. 5. dicitur hoc sacramentum cultu latræ adorari, quæ non ratione specierum, sed ratione corporis Christi competit huic sacramento, sicut et quod Ioan. 6. dicitur, hic est panis, qui de cælo descendit. Idem colligitur ex *Irenæo* lib. 4. c. 34. v. 27., ubi ait Eucharistiam duabus rebus constare, terrena et cælesti, quod non dixit propter compositionem Christi ex duplice natura, quidquid dicat *Sanctus* loco citato; ibi enim verbum nullum est de ipsis Christi compositione, se de Eucharistia, in qua res terrena sunt species, cælestis vero Christus. Id ipsum docet *Augustinus* relatus de Cons. d. 2. Can. 48. Hoc est, ubi hoc sacramentum constare dicitur visibili elementorum specie, et invisibili Christi carne et sanguine, sicut Christus constat ex divina et humana natura. Ergo sicut Christus intrinsece componitur ex divina et humana natura, ita etc. Idem colligitur ex Patribus, qui sæpe vocant corpus Christi sacramentum, ut *Augustinus* 1. de peccat. merit. c. 24., lib. 21. de Civitate c. 20. *Gregorius* 1. q. 1. cap. 84. Multi etc., nisi forte hi Patres per metonymiam continens pro contento sumendo ipsas species vocent corpus Christi. Ex aliis Patrum locutionibus probat id latius *Suarius* loco citato. Ratio est, tum quia si post consecrationem, postquam corpus Christi desineret esse sub speciebus, conservarentur species sine subiecto, non essent sacramenta; tum quia illud est sacramentum, in quo est practica significatio sanctitatis nutrientis animam, at hæc non est in solis speciebus, sed et in corpore Christi simul, ut definit *Innocentius* cap. cum Marthæ Extra Celebrationem Missarum, ubi

corpus Christi contentum sub speciebus ait esse rem et sacramentum, ergo etiam corpus Christi est pars sacramenti; neque enim est de ratione partis essentialis sacramenti, ut per se sentiatur, sicut constat de contritione, quæ est pars Pœnitentiæ. Ex quo facile intelligitur ratio a priori huius rei. Nam licet ratio signi sensibilis per se primo conveniat speciebus, tamen præter hoc ad rationem sacramenti requiritur, ut sit signum efficax gratiæ, quod non convenit speciebus, nisi ut unitis Christo, vel continetibus Christi corpus. Sicut igitur licet homo potissimum dicatur corpus ratione materiæ, inde tamen non colligitur animam non esse de eius intrinseca constitutione etc. Tertio demum, quod species sacramentales spectent ad intrinsecam constitutionem huius sacramenti, et consequenter, quod solum Christi corpus non sit integrum sacramentum, docetur ab eodem *Suario* illa disp. 42. sect. 1. Et manifeste colligitur tum ex eo, quod Patres et Concilia dicunt in hoc sacramento contineri corpus Christi. Ita Concilium *Tridentinum* sess. 13. cap. 1. et 3. Et Can. 1. 4. 6. *Gregorius* papa ex oratione quadam Ecclesiastica de Cons. d. 2. Can. 34. Species, *Augustinus* ibidem Can. 48. Hoc est, tum ratione a priori, quam innuit *Tridentinum* sess. 13. cap. 3., de essentia cuiusvis sacramenti est, ut sit signum sensibile, at hoc non convenit Eucharistiæ, nisi ratione specierum, ergo species ad constitutionem essentiæ huius sacramenti pertinent. Disputat vero hac occasione *Suarius* in fine sect. 3., an non solum corpus Christi, sed etiam ipsæ species assumantur a Deo ad physicam productionem gratiæ. Verum id nec definiri prudenter potest, licet enim potuerit Deus eas assumere, an tamen noluerit, non constat, et *Caetanus* ac *Ledesma*, quos refert *Suarius*, negant voluisse, nec ad præsens institutum necessarium est; nam licet species sint partes integrantes sacramenti, non inde sequitur debere illas assumi ad productionem physicam gratiæ, sicut nec confessio præterita, nec futura satisfactio assumuntur, imo sæpe nec omnes partes essentiales, ut ex dictis q. 72. patet. Disputat deinde in fine Sect. 4., pro quo supponatur et de quo absolute prædicetur Eucharistia. Verum id quoque nullam habet difficultatem. Nam licet sæpe pro solis speciebus, interdum pro solo Christi corpore sumatur sacramentum Eucharistiæ, tamen proprie loquendo supponitur pro toto composito artificiali, constante omnibus suis partibus requisitis, tum quia certe res composita includit partes omnes, ex quibus componitur; tum

quia composita artificialia eodem modo supponuntur pro partibus omnibus componentibus; ergo.

Dico 4. In Eucharistia sacramentum tantum, sunt species; res et sacramentum simul, est corpus Christi, res tantum est gratia, quæ ex vi illius producitur. Ita *Innocentius* illo cap. Cum Marthæ De Celebratione Missarum Et non obscure indicat *D. Augustinus* in libro sententiarum *Prosperi*, relat. De Consec. d. 2. can. 48. Hoc est, quod dicimus, ubi sacramentum et rem sacramenti ait esse corpus Christi, quia carne Christi hic invisibiliter existente significatur eius caro visibilis et palpabilis. Et præterea (ut Theologи addunt) significatur etiam per Christi carnem sub specie panis existentem spiritualis animarum cibus, quo pascimur. Hanc eandem conclusionem totam docet expresse *D. Thomas* hic ar. 6. in corpore, *Suarus* disp. 42. Sect. 4. in fine. Prima pars patet ex dictis. Nam illud est sacramentum tantum, quod est signum per se sensibile rei sacræ. Huiusmodi autem in Eucharistia sunt solæ species ergo. Secunda pars patet. Nam corpus Christi est id, quod significatur et repræsentatur speciebus sensibilibus, ergo est res significata per sacramentum; præterea est etiam signum repræsentans unitatem Ecclesiæ, quam efficit; omnes enim unum corpus sumus, qui de uno pane participamus I. Corint. 10. v. 17. Et idcirco Concilium *Tridentinum* sess. 13. cum *Augustino* supra citato vocat hoc sacramentum signum unitatis et cap. 2. symbolum unius corporis; ergo corpus Christi est sacramentum et res simul, licet per se sentiri non possit, quatenus est in hoc sacramento; solum enim ad rationem eius, quod est sacramentum, tantum spectat, ut sit per se sensibile, quod tamen non dicitur simpliciter sacramentum, sed cum addito, diminuente scilicet sacramentum et res simul, non debet per se posse sentiri, ut in contritione respectu Pœnitentiæ, in charactere respectu trium sacramentorum patet. Tertia pars patet. Nam gratia ita significatur ex impositione Christi, ut illa non significet alium effectum sacramenti, ergo gratia est res tantum huius sacramenti. Ex dictis constat definitio Eucharistiæ. Primā quasi physica est, quam tradit *Scotus* 4. d. 8. q. 1. Eucharistia est species panis et vini, corpus et sanguinem Christi virtute sacerdotalis consecrationis continens. Secunda quasi metaphysica per genus et differentiam quam dat *Soto* 4. d. 8. q. 1. ar. 1. Eucharistia est sacramentum corporis et sanguinis Christi, quo vita spiritualis nutritur, ubi differentia explicatur per ordinem ad effectum.

ARTICULUS II.

An Sacramentum Eucharistiæ sit unum specie?

Ratio difficultatis est, nam sacramentum Eucharistiæ, quod est in speciebus panis, plus differt a sacramento Eucharistiæ, quod est sub speciebus vini, quam ab alio sacramento, quod in speciebus panis reperitur, sed ab hoc differt materialiter, numero individualliter, ergo ab illo plus quam numero distinguitur. Deinde Ecclesia et Patres sæpe vocant Eucharistiam sacramenta, hostias etc., ut De Consec. d. 2. cap. 12. Comperimus. cap. 34. Species, cap. 71. Iteratur, et sæpe alibi etiam in orationibus Ecclesiæ. Denique quia species panis et vini habent diversas materias, diversas formas, imo etiam diversas significationes et modum significandi. Nam species panis significant corpus Christi per modum cibi, species vini significant sanguinem per modum potus; ergo in ratione formalis sacramenti, scilicet in ratione signi, distinguuntur; diversus enim modus significandi etiam eandem rem satis est ad diversitatem signorum, unde licet omnia sacramenta significant gratiam iustificantem, quia tamen diverso modo significant, distinguuntur in ratione signi.

Propter hæc glossa in illud cap. 12. Comperimus, *Aureolus, Gabriel, Maior* relati a *Suario* disp. 39. Sect. 3. docent esse plura sacramenta specie.

Dico 1. Sacramentum, quod constituitur ex accidentibus panis et vini, solum differunt materialiter, non vero formaliter, nec per rationem specificam sacramenti. Ita *D. Thomas* ar. 2. ad 2. *Sanctius* Repetit. 10. cap. 3. *Valentia* disput. 6. q. 5. p. 4. *Alanus* lib. 1. cap. 2., *Suarius* illa sect. 3. et quos ipse late refert, veteres Theologi. Probat *Suarius*. Quia septem tantum sunt nova sacramenta, ut post alia Concilia definitum est in *Tridentino* Sess. 7. can. 1. de sacramentis. At plura essent, si Eucharistia non esset unum specie infima sacramentum. Dices: Concilia loquuntur non de specie infima, sed de subalterna. Contra est; tum quia non recte numerantur species, quando cum infimis speciebus aliqua species subalterna numeratur; tum quia hoc ratione simpliciter dici possent sacramenta esse plura, quam septem, vel etiam pauciora, nam in specie subalterna convenienter verbi gratia Baptismus et Pœnitentia, in ratione scilicet

dandi primam gratiam. At *Tridentinum* definit nec plura esse, nec pauciora, quam septem. Unde etiam sacramentum Ordinis ait *Suarius* esse unum specie et solum differentia in illis est partium heterogenearum componentium unum; verum de hoc argumento aliquid obiter diximus supra in fine q. 65. Et viri docti sacramenta Ordinis specie diversa putant, ut *Valentia* illo p. 4. citato. Ratio ergo a priori huius conclusionis est. Nam in primis ad unitatem specificam sacramenti non est necesse, ut sit una quædam indivisibilis entitas, sicut est anima rationalis, sed possunt multa ad ea concurrere, quemadmodum inductione omnium sacramentorum constat. Nec necesse est, ut illa plura, quæ concurrunt, uniantur et contineantur inter se. Sed cum ratio formalis sacramenti consistat in significatione practica sanctitatis humanæ, si ex pluribus rebus sensibilibus confletur una totalis significatio practica: unum sacramentum constituetur. At in speciebus panis et vini una est significatio practica sanctitatis et gratiæ, ergo una est in illis ratio sacramenti. Minor probatur. Nam quamvis in modo significandi differant aliquo modo accidentia panis et vini, tamen quatenus sunt accidentia unius totalis alimenti corporalis, apte significant unum totale nutrimentum animæ, quod confertur per usum huius totalis signi; ergo ex illis constituitur una totalis significatio, et per consequens una totalis ratio sacramenti. Cum ergo Eucharistia sit sacramentum nutritionis et refectionis spiritualis significatæ per corporalem refectionem, et ad perfectionem refectionis corporalis non solum requiritur cibus, sed et potus, hinc est, refectionem spiritualem perfecte significari per modum cibi per species panis, per modum potus per speciem vini, iuxta illud *Ioan.* 6. v. 56. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Quæ ratio bene quidem ostendit ex sacramento, quod est in speciebus panis et quod est in speciebus vini constitui unum specie sacramentum, verum non ostendit in unius speciei sumptione perfectam essentiam huius sacramenti contineri. Imo potius videtur concludere necessariam esse sumptionem utriusque speciei. Probandum igitur insuper est totam rationem essentialem huius sacramenti contineri etiam in unius speciei sumptione; quod probo. Nam etiamsi in alimento corporali effectus cibi essentialiter distinguitur ab effectu potus, in anima tamen effectus cibi et potus spiritualis non distinguitur; sicut enim fames et siti animæ non distinguitur, nec per diversa bona extinguitur, nec ex diversis causis oritur,

Una species.

sed potius ardens desiderium animæ, vel indigentia illius appetitus, seu sitis et fames nuncupatur per metaphoram, ut ex multis Scripturæ locis facile intelligitur, et bene notat *Augustinus* Concione 3. in psal. 103., longe post medium in illa verba: panis cor hominis confirmat: ita similiter potus et cibus spiritualis non habent diversum effectum in anima; hoc posito ita argumentor: in accidentibus panis et vini eadem est specie significatio practica sanctitatis et gratiæ ad unum et eundem finem ordinata; ergo ratio sacramenti omnino similis est in speciebus dissimilibus. Antecedens patet: utraque accidentia significant nutrimentum spirituale, quod per eorum usum confertur. Hoc autem nutrimentum in anima est unum et idem et ad eundem finem ordinatur, ergo practica eorum significatio non est essentialiter diversa. Ergo ratio sacramenti, quæ est in accidentibus panis et vini simul sumptis, et quæ est in solis accidentibus panis vel vini, non est diversa essentialiter. Utraque enim significant nutrimentum spirituale integrum, ac proinde quemadmodum nutritio, quam significant, eiusdem rationis est, ita et significatio practica. Et ut optime notat *Valentia* illo p. 4., solum individualiter differt practica significatio, quæ est in diversis speciebus, sicut et significatio, quæ est in diversis numero hostiis, atque adeo non datur maior gratia in usu Una species. unius, quam duarum specierum, ac proinde sine detimento spirituali potest interdici usus utriusque speciei. Nec tamen ex his sequitur inutilem esse consecrationem duplicis speciei in sacrificio. Nam ut q. 74. dicemus, ad rationem sacrificii utriusque speciei consecratio requiritur, quæ ut late explicat *Sanctius* Repetit. 10. cap. 3. fol. 381., explicatius repræsentat passionem Christi et separationem sanguinis a corpore. Deinde eandem perfectam refectionem clarius significat utriusque speciei consecratio. Licet enim quælibet species etiam per se significet perfectam refectionem spiritualem, non tamen æque distinete ac utraque. Denique inutile non est, quod aliquid significat et facit, etiamsi sine illo possit idem fieri ac significari, ut patet exemplo miraculorum Christi, expuentis in terram, imperantis ut aperirentur oculi etc.

Ex his ad 1. rationem dubii respondeo. Ratio sacramenti, quæ est in speciebus panis et vini, materialiter plus differret, quam quæ est in duabus speciebus panis, non tamen formaliter in ratione significationis practicæ, seu quod idem est, in ratione sacramenti. Ad 2. Quando plura sacramenta dicuntur non specie, sed numero

plura dicuntur; unde *D. Thomas* ar. 2. ad 1. notat, in iisdem collectis et orationibus Ecclesiæ sæpe etiam vocari unum sacramentum, ut cum dicitur: hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad poenam etc. Plura etiam dicuntur partialiter, unum totaliter. Ad 3. Diversitas materiæ non variat essentialiter sacramentum. Nam contritio et atritio, etsi diversæ specie sint, eodem modo vina diversæ speciei etc., non efficiunt essentialē diversitatem sacramenti. Formæ vero, quibus conficitur hoc sacramentum essentialiter quidem diversæ sunt, sed eae non efficiunt diversitatem essentialiter huius sacramenti, siquidem non ingrediuntur constitutionem sacramenti permanentis, sed illud tamen efficiunt, ut supra diximus.

Ad illud, quod de significatione et modo significandi additur, respondeo, significationes practicas diversarum specierum solum individualiter differre, ut diximus; revera enim si essentialiter distingueretur, sub una specie non sumeretur essentialiter integrum sacramentum, et quod amplius est, nec integer effectus sacramenti. Cum enim sacramenta efficiant, quod significant, si una species significat aliquid, quod alia non significet, conferret aliquid, quod alia non confert, sicque sine spirituali detimento utraque species prohiberi non posset. Unde nullo modo audiendus est *Alanus*, qui illo lib. 1. de Euch. c. 2. §. At hic insp., negat laicos integrum sacramentum recipere, licet integrum effectum sacramenti recipient. Dico igitur in spiritualibus cibum et potum non differre, ac proinde eandem specie esse significationem, quæ spirituale refectionem significat ad placitum Christi, sive significet per modum cibi, sive per modum potus, nec unquam reperitur essentialiter diversus modus significandi in sacramento, nisi reperiatur aliquis effectus diversus, qui significetur, qualis in diversis sacramentis, ad minimum erit gratia, quatenus illi debita sunt talia vel talia auxilia specialia ex Dei ordinatione.

Dico 2. Unitas et multitudine numerica huius sacramenti desumenda est ex unitate vel multitudine numerica specierum. Probatur 1. Nam hæc unitas sumi non potest ab unitate formæ consecrationis, quia sicut si quis in bello vel tempestate plures absolvat una absolutione, plura sunt sacramenta Poenitentiæ, ita cum quis unica forma consecrat plures hostias, et præterea quia in hoc sacramento forma est extrinseca ipsi sacramento et manente sacramento desinit forma, quod non potest constituere unitatem

numericam sacramenti, quemadmodum nec causa efficiens extrinseca constituit unum ei effectum, cum eadem causa plures effectus producat. Nec potest hæc unitas sumi a sumptione, quia ante sumptionem hoc sacramentum existit et per consequens habet suam unitatem numericam; nec ab unitate corporis Christi, ut putat *Suarius* disp. 39. sect. 4., qui docet omnes, qui sunt et fuerunt Christiani unum idemque numero sacramentum Eucharistiæ sumere. Hoc igitur dici nullo modo potest. Nam composita et præsertim artificialia si alteram partem habent numero diversam, numero diversa sunt, ut inductione patet et ex principiis metaphysici facile esset ostendere. Sed sacramentum Eucharistiæ componitur essentialiter ex corpore Christi et speciebus, ut ar. 1. probavimus, ergo licet corpus Christi idem numero sit in omnibus, quia tamen species diversæ sunt, nullo modo dici possunt unum sacramentum.

Dices: si una persona divina plures naturas humanas assumeret, esset unus numero homo ratione unius personæ, ergo pari ratione propter unitatem corporis Christi erit unum sacramentum, licet sint plures species. Respondeo: etsi physice loquendo compositum ex hac humanitate et personalitate et compositum ex alia humanitate et eadem persona, numero distincta sint, tamen quia concretum substantiale homo supponitur pro persona seu supposito, quod unicum est, idcirco non dicerentur plures homines, sed unus homo, quamvis plura composita substantialia dicerentur, in Eucharistia autem nil simile est, quia sacramentum Eucharistiæ proprie loquendo supponitur pro toto composito ex speciebus et corpore Christi. Denique unitas numerica in hoc sacramento sumi non potest ex eo, quod sit una refectione, unum convivium, ut proinde unum sacramentum dicatur totum, quod per modum unius refectionis sumitur, adeo quod si plures simul hostias sumat quis, unicum sacramentum dicatur sumpsisse, ut vult *Soto* 4. d. 8. q. Unica ar. 2. Nam licet duplex sacramentum sumatur, potuit esse unica refectione, sicut in una refectione corporali diversi numero cibi sumuntur. Præterea quia hinc sequitur varias particulas cum in pixide servantur, esse unum sacramentum, fieri autem multa numero cum distribuentur pluribus, quod absurdum est. Illæ enim sumptiones, seu usus supponunt ipsum sacramentum constitutum, nec sunt de eius ratione numericæ, ut dixi. Ex quibus omnibus a sufficienti enumeratione concluditur a solis speciebus sumi debere numericam

multitudinem Eucharistiae 2. probatur ex definitionibus Ecclesiæ. Nam Cap. 23. Tribus gradibus de Cons. d. 2., tot holocausta dicuntur offerenda, quot populo sufficiunt. Et ibidem Cap. 1. Cap. 12. Comperimus, Cap. 34. Species, Cap. 11. Iteratur, dicuntur multa sacramenta, quando sunt multæ numero species, ergo ex diversitate specierum distinguuntur numero sacramenta, siquidem ex corpore Christi, quod unum idemque est, talis diversitas oriri non possit. 3. Ratione: ubicunque multiplicantur numero species, multiplicantur numero rationes sacramenti. Nam in qualibet specie est ratio perfeta sacramenti, ergo cum sint diversa signa sensibilia refectionis spiritualis, diversa erunt sacramenta. Sicut ergo duæ voces synonimæ sunt duo numero signa, quia licet eandem rem significant, quælibet tamen independenter ab alia sufficienter significat, etiam si alia non existat, ita similiter duæ species sacramentales erunt duo signa et duo sacramenta, cum quælibet habent vim per se et separatim significandi et efficiendi gratiam, in quo sita est tota ratio sacramenti. Licet igitur una dicatur communio sacerdotis, qui diversas numero partes hostiæ, diversas vini guttas sumit, quia una actione morali sine morali interruptione et in ordine ad unam gratiam celebrat, tamen multa numero sunt sacramenta, quoties species sunt multæ numero et discontinuæ; nec ex eo sequitur plures numero gratias produci a pluribus numero sacramentis, ita quod toties producatur nova pars gratiæ, quot sunt particulæ vel guttæ discontinuæ. Nam licet ad hoc, ut sacramenta sint multa numero, sufficiat, si sint diversa numero signa, sufficientia quantum est ex parte sua ad conferendam gratiam, ad hoc tamen, ut diversa numero gratia conferatur, requiritur diversa applicatio moralis per diversam actionem moralem, quia vero quando sumuntur duo sacramenta in sacramento, sumuntur eadem actione moraliter continuata, tota illa sumptio reputatur una moraliter et unico præmio ac gratia digna, quæ confertur non cum primum accipitur quælibet hostia, sed quando completur moralis actio, ut q. 79. explicabimus. Et hac de causa prohibetur ab Ecclesia repetita communio, quando fit diversis actionibus moraliter, non prohibetur autem, quando fit eadem actione morali, quæ omnia pendent ex divina institutione, quæ requirit, ut conditionem sine qua non ad conferendam gratiam, talem applicationem per talem actionem moralem.

ARTICULUS III.

An Eucharistia sit necessaria ad salutem

Certum est in primis Eucharistiam non esse simpliciter et absolute necessariam ad salutem; potuit enim Deus multis modis independenter ab hoc sacramento salvare hominem. De facto tamen certum est adultis necessarium esse hoc sacramentum necessitate præcepti, ut q. 80. probabitur. Solum igitur controversia est: an Eucharistia necessaria sit necessitate medii ad salutem. Quod ut breviter expediamus; supponendum est ex dictis q. 68. ar. 1., quid sit, quod necessarium dicitur necessitate medii. Illud enim est, quod sive ex natura rei, sive ex Dei institutione ita ad finem aliquem requiritur, ut is haberi non possit sine influxu et causalitate talis medii, sive illud etiam ex præcepto aliquo necessarium sit, quemadmodum præcepta sunt omnia necessaria necessitate medii a nostro libero arbitrio dependentia, ut loco citato conclusione 3. dicebamus; sive quia a nostro arbitrio independens est, nullum de eo sit præceptum immediate et formaliter, cuiusmodi sunt in adultis auxilia gratiæ prævenientia et habitus supernaturales respectu salutis æternæ, de quibus formaliter et immediate nullum datur præceptum. Ut vero ibidem dicebamus ex iis, quæ necessaria sunt necessitate medii, quædam talia sunt, ut in nullo alio priori includantur virtute et implicite, cuiusmodi est actus fidei in adultis, auxilia gratiæ prævenientia ad sesurgendum a peccato etc. Et huiusmodi necessaria sunt necessitate medii in re, ita ut sine illis in re habitis, finis non obtineatur. Alia sunt, quæ in aliqua alia re includuntur virtualiter et implicite, ut in actu charitatis includitur votum implicitum servandi omnia præcepta, adhibendi omnia ad imicitiam Dei necessaria, et huiusmodi media necessaria suppleri possunt per votum, seu per id, in quo implicite continentur.

Ex quibus colligitur ad hoc, ut aliquod sacramentum sit medium necessarium ad salutem, debet esse institutum ad conferendum aliquem effectum gratiæ simpliciter necessarium ad salutem, sive detur ex vi actualis susceptionis sacramenti, sive ex vi eius, in quo implicite continetur, et quod supplet vices illius conferendo illum effectum, sicut diximus actu charitatis suppleri vices Baptismi in ordine ad effectum primæ gratiæ. His positis:

Prima sententia est Eucharistiam esse necessariam necessitate medii ad salutem. Fundamentum est. 1. Quia *Ioan.* 6. v. 54. dicitur: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Ex quo loco ita licet argumentari: ex simili loquendi modo colligimus q. 68. ar. 1. Baptismum esse necessarium necessitate medii ad salutem, quia scilicet Christus Dominus dixit: Nisi quis renatus fuerit etc., ergo similiter hic colligi debet eadem necessitas, vel si hic non colligitur, ne ibi quidem recte potuit colligi. 2. Idem probatur ex Patribus; *Augustinus* enim lib. 1. de peccat. merit. cap. 20., ex eo probat neminem sine Baptismo salvari, quia nemo salvari potest, nisi manducet corpus Christi. Nemo autem, inquit, ad sacrosanctam mensam rite accedit, nisi baptizatus. Additque etiam ad parvulos hanc Christi sententiam pertinere, qui sine corporis Christi participatione vitam habere non possunt. Nec valet, inquit *Augustinus*, si dicatur, quod de Baptismo dicitur, nisi quis renatus fuerit, quo non petitur actus aliquis proprius suscipientis, sed solum susceptio Baptismi, per quam renascuntur. At illis verbis: nisi manducaveritis, petitur actio circa ipsum sacramentum vel realis, vel saltem spiritualis per fidem. De corpore vero, nisi manducaveritis, voluit eos alloqui, qui audire et intelligere poterant, quod parvulis non competit; quia, inquit *Augustinus*, eodem modo dicere quis posset ad eos solos spectare illa Christi verba, quibus tunc loquebatur, quia non dicit: qui non manducaverit, sed si non manducaveritis. Ibidem cap. 24. Ideo ait a Patribus Baptismum salutem, sacramentum corporis Christi vitam, vocari; ex Apostolica traditione, quia salus et vita sine his haberi non potest ne quidem a parvulis. Idem *Augustinus* lib. 2. de peccat. merit. cap. 4. refert verba *Innocentii* papæ dicentis fatuum esse docere infantes sine Baptismo salvari. Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, non habebunt vitam. Alia et *Augustini* et aliorum patrum testimonia similia habet Claudio *Sanctius*. Repetit. 6. cap. 7. Confirmatur. Nam ex hac sententia videtur ortum habuisse, quod in primitiva Ecclesia infantibus statim a Baptismo et etiam postea daretur Eucharistia. Et Concilium *Tridentinum* sess. 21. cap. 4., ait Patres probabilem facti sui habuisse causam, pro illius temporis ratione; *Cyprianus* Sermone de lapsis puerum in igne effectus: n. 89., parvulæ puellæ de sacramento Calicis infusum ait, quem locum recitat *Augustinus* Epistola 23. Et in Ecclesia Constantino-politana consuetudinem fuisse reliquias Eucharistiae dandi parvulis

*Eucharistiae
effectus:* nos ab puerum in igne servat, *igne libidinis*.

testatur *Nicephorus* lib. 17. c. 25. *Turonensis* lib. 1. de gloria Mart. c. 10. *Evagrius*, lib. 4. sist. c. 36., ubi insigne miraculum D. Virginis de conservato filio iudæi vitriarii, qui poculum sumperat, in igne refert. Eiusdem consuetudinis meminit *Dionysius* cap. 7. Eccl. Hierar. in fine, ubi puer baptizato tradi ait sancta mysteria, ut nutriatur in illis. Similis fuit consuetudo in Hispania, ut constat ex concilio *Toletano*, 11. cap. 11., et apud græcos, ut refert *D. Thomas* hic q. 80. ar. 9. ad 3. et *Hieremias* patriarcha in responsione ad augustanam confessionem cap. 3. et cap. 9. Recens baptizatis, inquit, partem tremendæ communionis corporis et sanguinis Christi dandam, quia ex *Ioan.* 6. utrumque sacramentum ad salutem necessarium esse colligitur.

Hanc vero sententiam variis modis possumus intelligere. Primo enim græci videntur Eucharistiam in re susceptam necessariam existimare tam parvulis, quam adultis. Secundo videri posset ex dictis saltem adultis esse necessariam Eucharistiam in re susceptam ad iustificationem, et salutem. Tertio videri posset esse necessaria in voto explicito tam ad iustificationem, quam ad salutem. Quarto videri posset in voto implicito necessaria omnibus ad salutem et iustificationem. Quinto dicere quis posset Eucharistiam in voto implicito necessariam esse necessitate medii, non quidem ad iustificationem primam et remissionem peccati, sed ad extremam gratiam; ita ut post institutam Eucharistiam nulli conferatur gratia extrema, nisi intuitu Eucharistiæ, et in ordine ad illam. Hæc postrema sententia placuit doctit quibusdam recentioribus. Fundamentum est: tum quia ex illo *Ioannis* 6. colligit *Augustinus* necesstatem Eucharistiæ etiam respectu infantium, et non minus benecoliligitur, quam colligitur necessitas Baptismi ex illis: nisi quis renatus fuerit etc. Hæc autem non est necessitas solum præcepti, cum infantes nullius præcepti sint capaces, ergo necessitas medii erit, ergo ad aliquem effectum gratiæ necessaria est Eucharistia necessitate medii, non ad primam gratiam nec in re suscepta, ut mox dicemus, ergo ad ultimam, id quod illo *Ioan.* 6. innuitur; explicans enim Christus Dominus, de qua vita dicat, quod sine manducatione corporis ipsius non habeatur, ait, qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Et id valde congruit cum effectu huius sacramenti, quam explicat *Tridentinum* Sess. 13. cap. 2., quod scilicet præservat a peccatis mortalibus, eo quod intuitu illius conferuntur auxilia ad vitanda peccata mortalia. Idem innuit, quod subditur ibidem, Eucha-

ristiam esse pignus futuræ gloriæ nostræ. Et multo magis, quod ibidem cap. 8. dicitur, ubi hoc sacramentum ait vitam et perpetuam sanitatem mentis, cuius vigore ad patriam pervenimus; perpetua enim sanitas est extrema gratia; tum quia possibile fuit Deo hoc modo instituere sacramentum Eucharistiae, ut scilicet nemini daretur extrema gratia, nisi intuitu Eucharistiae, et ex voto implicito illius, licet prima gratia detur sine illa. Quod breviter patet. Nam distinctum beneficium Dei est ultima gratia a prima iustificatione, et hominem esse in gratia in instanti, quo moritur, est speciale beneficium, iuxta illud *Sapient.* 4. v. 11.: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut fictio deciperet animam eius, de quo eleganter disservit *Augustinus* cum *Cypriano* lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 14., ostenditque peculiare beneficium esse, non expectare, donec amittatur gratia, sed mature peccandi periculis subtrahere; unde speciale beneficium est etiam parvulis, si cum in gratia sunt, tollantur, ne post usum rationis in peccato moriantur. Hoc igitur speciale beneficium potuit Deus nolle conferre, nisi intuitu Eucharistiae. Ut enim primam gratiam ut regenerativam noluit Deus conferre in nova lege, nisi in ordine ad Baptismum, nec ut reparativam, nisi in ordine ad Pœnitentiam: ita gratiam extremam, quæ est effectus prædestinationis, potuit nolle dare, nisi in ordine ad Eucharistiam, et ex voto illius; ergo quod continetur vel in actu contritionis, vel in susceptione alterius sacramenti, per quod iustificatur, et cuius susceptione vult incorporari Christo. Et certe nulla est repugnantia, quominus extrema gratia sit effectus alicuius sacramenti sive gratia extrema solum includat gratiam habitualem datam eo præcise tempore, quo homo cum illa moritur, sive etiam alia auxilia, quibus homo in suscepta gratia conservetur. Si autem id fieri potuit, ergo cum de facto omnem gratiam, quæ ex Christi meritis habetur, voluerit Deus per sacramenta distribui: aliquod sacramentum est, cuius effectus sit extrema gratia. At nulli sacramento id aptius convenit, quam Eucharistiae; partim quia dignitas illius et tam nobilem effectum exigit, et ut saltem in voto sit, non minus necessarium, quam Baptismus, adeoque licet propter pericula irreverentiae noluerit Deus parvulis in re necessariam esse Eucharistiam, sicut extra martyrium necessarius est Baptismus, in voto tamen similem necessitatem habeat et effectum nobiliorem; partim quia effectus huius sacramenti est conservare in gratia seu præservare a mortali;

ergo etiam præservare usque ad finem. Et cum sit consummatio sacramentorum, ut supra ex *Dionysio* diximus, effectus eius consummatio esse debet omnis effectus gratiæ vitæ præsentis.

Secunda sententia est *Suarii*, Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii in voto implicito ad ultimam gratiam. Ita *D. Thomas* hic q. 65. ar. 4., ubi tria tantum sacramenta ait necessaria esse absolute Baptismum, Pœnitentiam, iis, qui post Baptismum peccarunt, et Ordinem respectu totius Ecclesiæ, reliqua vero solum esse necessaria ad melius esse. In terminis vero hanc conclusionem docet Petrus *Navarra* lib. 1. de Restit. cap. 1. fol. 5. *Suarus* disp. 40. sect. 2. Probat *Suarus* Concl. 2., hanc conclusionem ex *Tridentino* sess. 21. cap. 4. et Can. 4. Ubi dicitur Eucharistia non esse necessaria parvulis. At si esset necessaria in voto, id non recte diceretur, sicut non recte diceretur sacramentum Baptismi aut Pœnitentiæ non esse necessarium eo quod in voto sufficiat. Et præterea si necessaria esset saltem in vitæ periculo negari non deberet parvulis. Nam medium necessarium adhiberi debet in reipsa, quando potest adhiberi. Secundo probat *Suarus*. Nam in parvulis nullus est effectus gratiæ, cuius hoc sacramentum sit causa unica et necessaria; parvuli enim nullo novo auxilio gratiæ egent post receptam gratiam baptismalem, si ante usum rationis moriantur. Nec dici potest conservationem gratiæ usque mortem necessariam esse et hanc esse effectum Eucharistiæ. Duo enim inquit intelligi possunt in conservatione gratiæ, primum est physicus influxus, quo a Deo gratia conservatur, et hic effectus de lege ordinaria ex vi eiusdem sacramenti datur, quod contulit primam gratiam non solum quia dona Dei sunt sine Pœnitentia, sed etiam quia gratia ex se perpetua est, nisi per peccatum destruatur, cum per solam suspensionem concursus divini nunquam de facto corrumpatur; secundum, quod in hac conservatione gratiæ intelligendum est speciale auxilium gratiæ, quo peccata removentur, quod etsi sit speciale donum, eo tamen infantes non egent. Si dicas, inquit *Suarus*, gratiam parvolorum, ut prima est, esse effectum Baptismi, quatenus ultima est Eucharistiæ. Contra est. Gratia finalis supra primam gratiam vel addit conservationem gratiæ usque ad mortem et hæc ut diximus, non est ab Eucharistia, vel addit, ut mors contingat eo tempore, quo quis est in gratia, et evidens est, inquit, hunc non esse effectum Eucharistiæ. Tum quia idcirco hic effectus non potest attribui

Baptismo, quia non omnibus baptizatis datur etiam eodem modo dispositis, at nec omnibus parvulis datur etiam habentibus eodem modo votum Eucharistiæ, sacramentum autem eodem modo susceptum eundem effectum habere debet in omnibus æqualiter dispositis. Tum quia absurdum est, ut ex voto eiusdem sacramenti detur effectus directe repugnans cum reali susceptione eius, ut si quis diceret per Matrimonium in voto dari gratiam ad servandam virginitatem, desiderium cibi esse causam, ne cibo utatur. At tale est, si dicamus parvulis per votum Eucharistiæ dari, ut moriantur, antequam sumere possint Eucharistiam; ergo. Confirmatur; nam mori ante usum rationis provenit ex causis naturalibus. Durare gratiam acceptam in Baptismo, provenit ex incapacitate subiecti ad peccandum, gratia autem est ex vi Baptismi, ergo nihil ibi est ex vi Eucharistiæ.

Tertio probat *Suarius* hanc conclusionem in sua conclusione 3. hoc modo. Si Eucharistia est medium necessarium ad salutem, propterea quod illius effectus sit, quod homo in gratia moriatur, sequitur omnibus digne sumentibus infallibiliter conferre talem effectum. At hoc absurdum est, et temerarium esset docere eum, qui digne sumit Eucharistiam, non posse saltem in sensu compositeo damnari; nec id colligi potest ex illo *Ioan.* 6.: Qui manducat meam carnem, vivet in æternum; illa enim promissio, sicut et aliæ similes: Qui crediderit et baptizatus fuerit etc. intelligitur, quantum est ex parte sacramenti, si homo impedimentum non opponat, ergo etc. Consequentia patet. Quia effectus sacramenti pendet ex divina promissione, qua posita non potest effectus non conferri digne suscipienti, et eodem modo dispositis non potest non idem effectus conferri, ut etiam innuitur in *Tridentino* Sess. 7. can. 7., ubi damnantur, qui dicunt sacramenta non omnibus rite suscipientibus, sed aliquibus dare gratiam. Confirmatur; nam recipere quis potest hoc donum extremæ gratiæ sine re et voto Eucharistiæ, ut si post viaticum sumptum paulo ante mortem peccet mortaliter, etiam cum expresso voto non sumendi Eucharistiam potest per Pœnitentiam iustificari; ergo.

Ad argumenta *Suarii* facilis est responsio. Ad 1. dicentes authores primæ sententiæ, *Concilium Tridentinum* loqui ibi de reali sumptione Eucharistiæ, unde subdit non esse damnandam antiquitatem, si morem conferendi Eucharistiam parvulis aliquando servavit, qui mos fuit de reali communione. Recte ergo Concilium

*Qui manducat
vivit in æter-
num sensus.*

agens de reali sumptione negat hanc esse necessariam. Nec necesse est, ut cum tot periculis irreverentiæ detur parvulis, cum effectus necessarius Eucharistiæ, qui est extrema gratia, sufficienter habeatur ex voto illius incluso in Baptismo. Ad 2. Dicerent extremam gratiam ex Christi institutione, tanquam a causa per se et unica ab Eucharistia in re vel voto pendere, ita ut hæc non conferatur, nisi eius intuitu. Et licet physica conservatio gratiæ ex vi Baptismi tribuatur parvulis, ut probat argumentum, tamen quod puer, dum est in gratia, moriatur et quod illa gratia non continuetur eo usque donec per usum rationis amittatur, est speciale beneficium, quod conferri potest ex ordine et voto huius sacramenti. Et quamvis hoc beneficium spectet ad donum perseverantiæ potuit tamen Deus nolle conferre illud in nova lege, nisi intuitu Eucharistiæ et ex voto illius. Quomodo autem hic effectus non detur omnibus æqualiter dispositis, nec infallibiliter, mox explicabitur. Nec ex voto huius sacramenti datur, ut quis moriatur, antequam Eucharistiam recipiat, nec in hunc finem, sed solum datur ex voto Eucharistiæ, gratia, quæ ducet usque ad mortem, sive post datam gratiam realiter aliquando recipiat Eucharistiam, sive recipere non possit, quia moriatur immature. Ad Confirmationem respondeo: gratiæ, quæ ex vi Eucharistiæ datur, non consistit præcise in eo, quod duret tanto tempore gratia, siquidem diutius durat in iis, qui ad usum rationis veniunt et peccant, quan in infantibus, qui moriuntur. Nec consistit in eo, quod puer moritur in infantia. Nam poterat in illa ætate mori cum originali peccato. Gratia ergo est in illa Dei dispositione, qua voluit puerum creare in iis circumstantiis, in quibus puer moreretur in gratia. Licet ergo mors ex causis naturalibus sequatur, tamen gratia est Deum ita ordinasse cursum rerum, ut ex causis naturalibus tunc sequeretur mors, cum quis adhuc est in gratia. Ad 3. Responderi potest Sacraenta habere duos effectus; primarium, qui est gratia iustificans, quam ex Dei promissione infallibiliter conferunt et de quo solo agit *Concilium Tridentinum* loco citato; et secundarium, qui non semper, nec infallibiliter, nec physice, sed tamen moraliter confertur. Nam Extremæ Unctionis effectus secundarius est sanitas corporis, cum animæ expedit, ut babetur in *Tridentino* sess. 14. cap. 2., de Extrema Unctione, quæ tamen non semper confertur. Similiter gratia efficax ad confitendam fidem est effectus Confirmationis, quæ tamen non semper datur, cum multi fidem negent

etiam confirmati, quamvis quando conceditur a Deo talis gratia, conceditur in ordine ad sacramentum Confirmationis. Similiter ergo hic ad hoc, ut extrema gratia sit effectus secundarius Eucharistiæ, non sequitur, ut hæc semper detur, sed sufficit, si quando datur, detur intuitu Eucharistiæ ex Dei promissione, qui statuit nemini dare extremam gratiam, nisi intuitu Eucharistiæ, quamvis non promisit omnibus æquali dispositione sumentibus Eucharistiam daturum se talem gratiam, sed hoc suo divino arbitrio reservavit. Ad confirmationem: si post viaticum peccet et per contritionem vel Pœnitentiam restituatur gratiæ donum extremæ gratiæ recipit ex voto Eucharistiæ inclusio in contritione, vel in sacramento, ex vi cuius iustificatur, sicut si quis baptizetur cum obice, postea ex vi contritionis aut sacramenti Pœnitentiæ datur gratia, ut regenerativa per votum Baptismi.

Dico 1. Eucharistiam in re susceptam non esse necessariam parvulis ante annos discretionis. Ita definitum est in Concilio *Tridentino* sess. 21. cap. 4. et can. 4. Et illo cap. 4. ait: Patres dedisse quidem ex causis rationabilibus Eucharistiam parvulis, non tamen id fecisse ulla salutis necessitate. Colligitur ex eo, quod conditiones requisitæ in Scriptura ad dignam susceptionem Eucharistiæ reperiri non possunt in parvulis. Nam *I. Corint.* 11. v. 28. iubetur probare se homo, dijudicare corpus Domini et accedere cum reverentia, quod non convenit infantibus. Item celebrari debet in memoriam passionis Christi quod infantes non faciunt. Ratione probatur. Nam per Baptismum parvuli acquirunt gratiam, quam ante usum rationis perdere non possunt; ergo non egent alio salutis remedio, fieri enim non potest, ut quis habens gratiam eo tempore, quo eam amittere non potest, damnetur. Deus enim neminem deserit, nisi deseratur.

Dico 2. Eucharistiam in re susceptam vel in voto explicito non esse necessariam necessitate medii adultis. Prima pars patet; tum quia Baptismus non est medium necessarium in re adultis, sed sine eo salvari possunt per Martyrium, actum contritionis etc. Ergo multo minus Eucharistia, cuius sumptio Baptismum supponit tanquam ianuam sacramentorum; tum quia contingere posset, ut quis credat et baptizetur, non tamen habeat commoditatem Eucharistiam sumendi. Ille autem revera salvatur, si novum peccatum non committat, iuxta illam Christi promissionem: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Et Ecclesia multorum

martyrum festum celebrat, qui Eucharistiam nunquam sumpserunt. Unde ex *Augustino a Beda* relato recte dicitur de Cons. d. 2. can. 36., quia passus, eum, qui in Baptismo Christi membrum efficitur, etiamsi moriatur ante sumptionem Eucharistiae, salvari. Secunda pars patet, quia ne Baptismi quidem votum explicitum est necessarium, ut q. 68. ar. 1. concl. 2. dicebamus, nec usquam talis necessitas voti expliciti Eucharistiae habetur.

Dico 3. Eucharistiam in voto implicito non esse necessariam necessitate medii parvulis vel adultis ad primam gratiam iustificantem et remissionem peccati originalis vel actualis. Ita optime *Suarius* hic disp. 40. sect. 1. dicto 2. *Soto*, *Caietanus* et alii, quos ipse citat. Probatur, 1. a posteriori. Nam si quis in periculo mortis communicet, et advertat eodem die se peccasse mortaliter, non tenetur rursus communicare, aut velle communicare eodem die, sed sufficit, si per pœnitentiam deleatur illud peccatum cum expresso proposito non communicandi amplius; ergo signum est votum Eucharistiae non esse necessarium ad iustificationem. Et probatur; nam illud solum sacramentum est necessarium in voto implicito necessitate medii, quod per se institutum est ad aliquem effectum simpliciter necessarium, ita ut eius sit causa per se et quidem unica usque adeo, ut non possit res alia talem effectum conferre, nisi in eius virtute. Si enim non esset causa unica, effectus ex vi alterius conferri posset, et sic non esset causa necessaria simpliciter. Et præterea nisi hoc dicamus, facile erit de quolibet sacramento, imo de quolibet opere bono similem necessitatem medii in voto implicito comminisci. At Eucharistia nec per se instituta est ad remissionem peccati mortalis, nec est causa unica illius, ergo in ordine ad hunc effectum non est medium necessarium in voto implicito. Minor patet; tum quia Concilium *Tridentinum* sess. 13., cap. 2. enumerans effectus, ad quos per se institutum est hoc sacramentum, ait Eucharistiam esse cibum spiritualem, quo alimur et confortamur, esse antidotum quo liberamur a culpis quotidianis et præservamur a mortalibus, quia scilicet ex eius vi conferuntur auxilia, quibus præservamur; esse pignus felicitatis. Et Can. 5. damnat eos, qui dicunt; præcipuum fructum eius esse remissionem peccatorum, quibus similia habentur in Concilio *Florentino*, ubi hoc sacramentum conferre dicitur eos effectus proportionaliter, quos cibus corporalis confert corpori. At cibus non confert per se vitam, sed illam supponit, confortat, promovet.

Effectus
Eucharistiae.

Tum quia nullum sacramentum supponit per se et ex sua institutione effectum; ad quem conferendum per se 1-o est institutum; esset enim incongrua institutio. Sed receptio huius sacramenti per se loquendo supponit primam gratiam in recipiente et illam præexigit tanquam dispositionem, ut patet ex *Tridentino* Sess. 13. cap. 7. et can. 10., ubi confessio exigitur in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis ante communionem; ergo per se requiritur, ut recipiens Eucharistiam sit in gratia; ergo non est instituta ad conferendam primam gratiam, sed ad ulteriores effectus. Pluribus confirmat *Suarius* disp. 40. Sect. 1. concl. 1.

Dico 4. An Eucharistia sit necessaria necessitate saltem in voto implicito ad ultimam gratiam, problema est. Hanc conclusionem pono, quia consideratis diligenter utriusque sententiæ argumentis, neutra mihi efficacia videntur, quamvis utraque probabilem faciant sententiam, quam confirmant. Multo vero probabilior meo iudicio illa, quæ hanc necessitatem asserit.

Ad argumenta primæ sententiæ difficilius est respondere. Respondeo tamen, ad 1. Quamvis multi propter hoc argumentum dicant illo *Ioan.* 6. de spirituali, non vero de sacramentali sumptione corporis Christi sermonem esse, quia tamen inferius probabimus locum illum de sumptione sacramentali corporis Christi in re, vel voto intelligi, idcirco respondeo: ex illa formula loquendi: Nisi manducaveritis etc., non semper inferri necessitatem medii, sed interdum tantum necessitate præcepti, interdum vero necessitate medii, ut ex illis: nisi quis renatus fuerit, nisi pœnitentiam egeritis etc. Verum hæc necessitas medii non ex hac formula præcise colligitur, similia enim verba, quibus significatur necessitas Baptismi et Eucharistiæ, ratione diversæ materiæ, cui applicantur, habent diversum sensum. Unde nos supra q. 68. ar. 1. concl. 2., quod Baptismus sit necessarius necessitate medii, non colligimus præcise ex hac formula loquendi, sed ex eo, quod sacramentum Baptismi necessarium sit etiam parvulis, et cum reipsa confertur, operatur remissionem peccatorum, quæ votum ipsius supplet, cum in re haberi non potest. Hæc igitur formula loquendi: nisi quis renatus fuerit, nisi manducaveritis: in rebus, quæ in re suscepta vim habent conferendi aliquem effectum necessarium ad salutem, proinde tanquam media possunt concurrere ad istum finem, significant ea verba cum necessitate præcepti, etiam necessitate medii in re, vel voto dilectionis Dei. In rebus vero, quæ in re susceptæ

Vide Bellarmini lib. 1. de Eucharistia cap. 7. ad 3.

non significant vim conferendi talem effectum, solum significant necessitate præcepti. Ratio est; nam illud solum dicitur esse necessarium necessitate medii in re vel voto ad salutem, quod in re susceptum vim habet conferendi aliquem effectum necessarium ad salutem, et cuius causalitas per votum et desiderium suppleri possit. Si enim hæc non sit definitio medii necessarii ad salutem, sequitur omnia opera præcepta esse necessaria ad salutem saltem in voto, quia propositum implendi omnia mandata vel per propriam voluntatem in adultis, vel per usum Baptismi in parvulis est medium necessarium ad iustificationem. Quia igitur Eucharistia in re suscepta non habet vim conferendi ullum effectum necessarium ad salutem, qui solum per votum Eucharistiæ habeatur, quando in re non potest suscipi, idcirco formula illa loquendi non inducit necessitatem medii, sed præcepti. Quod vero Eucharistia in re suscepta nullum talem effectum habeat, clarum est. Nam in parvulis non habet alium effectum, quam augmentum gratiæ, quod non est necessarium ad salutem. In adultis vero augmentum gratiæ tollit peccata venialia, quæ itidem non sunt necessaria ad salutem, præservat a mortalibus, sed ita, ut ad hunc effectum non sit necessaria Eucharistia in re suscepta, cum obtineri etiam possit per ferventem orationem et alia media. Et hoc debet esse fundamentum sententiæ *Suarii*, si quis illam velit defendere, quod etsi ad argumenta solvenda sufficere videatur, efficax tamen non est ad probandum. Nam utrumque quod assumitur, negarunt authores primæ sententiæ. Nam de eo, quod necessarium est necessitate medii ita fantur: id quod est necessarium necessitate medii in re, manifeste differt ab eo quod est necessarium solum, ut præceptum, quia nullum purum præceptum est, cuius observatio ita necessaria sit, ut saltem propter impossibilitatem omitti non possit absque salutis iactura. Si vero necessarium sit in voto, fatentur in tali voto includi etiam necessaria necessitate præcepti; sed diverso modo; nam necessaria necessitate medii cum illa sint, quæ vel natura sua, vel ex institutione Dei ita ordinantur ad finem, ut sine illis, vel ordine ad illa finis non habeatur; necessitate vero præcepti ea sunt necessaria, quorum executio impedit peccatum, quod impedit assecutionem finis. Hinc fit, ut in contritione, verbi gratia votum Pœnitentiæ et aliorum necessariorum necessitate medii includit tanquam id, sive ordinem, ad quod non datur gratia; votum vero observandi præceptum tanquam id, quod removet prohibens scilicet peccatum.

Ut enim in voluntate efficaci adeundi novum orbem, alio modo includitur medium necessarium ad navigandum, scilicet navis, vela etc.; alio vero modo bellica tormenta; illud enim per se primo et directe ad finem exigitur, hoc vero indirecte, ut removens prohibens: ita in præsenti etc.

Ad argumentum pro prima sententia relatum respondeo: mihi dubium non est *Augustinum* nunquam cogitasse de eo quod prima sententia asserit, sed mentem ipsius aliam fuisse. *Augustinus* enim cum illud: nisi manducaveritis etc. etiam ad parvulos spectare dicit, non loquitur de sacramentali sumptione corporis Christi in re, vel voto, sed de spirituali. Licet enim nunquam dixerit *Augustinus* locum illum *Ioannis* de sola spirituali et non de sacramentali corporis Christi manducatione debere intelligi, sæpe tamen locum illum de spirituali manducatione intelligit, et non de sola sacramentali, ut ait *D. Thomas* hic q. 65. ar. 4. ad 2. Spiritualis autem manducatio est, ut Concilium *Tridentinum* sess. 13. cap. 8. ait, fructus et utilitatis corporis Christi perceptio, sine qua nemo salvatur. Igitur *Augustinus* illis locis agit de hac spirituali corporis Christi participatione, quæ ad tollendum peccatum originale necessaria est, quæ nihil aliud est, quam susceptio gratiæ in Baptismo ex meritis passionis corporis Christi, et oblationis sanguinis, et hanc gratiam vocat Eucharistiam; quia est quædam participatio Christi, qui est præcipua pars Eucharistiæ. Hanc esse mentem *Augustini* clarissime colligi potest ex sermone de Sacramentis *Augustini*, quem recitat *Beda*, et ex illo *Gratiani* de cons. d. 2. cap. 36. Quia passus, ubi inter alia hic habet: nulli est aliquatenus ambigendum, tunc unum quemque fidelium corporis et sanguinis Domini fieri participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc sæculo in unitate corporis Christi abscedat, sacramenti quippe participatione non privatur, quando in se hoc, quod illud sacramentum significat, invenitur. Nec aliud docet *Augustinus* lib. 4. contra duas epistolas *Pelagii* cap. 4. sub finem et lib. 1. cap. 22., et Epistola 93.

Ad authoritatem Concilii *Tridentini* in primis licet veteres olim magna diligentia parvulis Eucharistiam dederint, non ideo tamen dederunt, quasi necessariam putaverint parvulis realem ipsius sumptionem, ut ex *Tridentino* diximus. Ex eo autem, quod Eucharistia conferat auxilia gratiæ, quibus a peccatis præservamur et ad felici-

citatem perpetuam pervenimus, non sequitur illam esse necessariam necessitate medii, sed tantum esse valde utilem et efficacem ad hos fines.

Ad rationem respondeo. Fateor, potuit a Deo institui hoc sacramentum, ut scilicet modo ibi explicato esset medium necessarium in voto ad ultimam gratiam: ita tamen instituisse non constat, nec necessitas medii ex perfectione eius deduci potest, sed ex eo solum, quod habeat effectum necessarium ad salutem, et absque hoc effectu multi sunt huius sacramenti effectus nobilissimi, ex quibus abunde illius præstantia intelligi potest. Nec necesse est omnia auxilia gratiæ dari ex vi alicuius sacramenti.

ARTICULUS IV., V.

An institutio huius sacramenti fuerit conveniens?

Quæ circa articulum 4. dicenda erant, de nominibus huius sacramenti, ea initio huius quæstionis explicavimus.

Circa articulum 5., ubi agitur de convenientia institutionis, non disputat *D. Thomas*: an absolute loquendo conveniens fuerit institui hoc sacramentum, sed tantum: an convenienti tempore sit institutum, utrum vero in se conveniens fuerit institutio huius sacramenti, inferius agendum est; sed de convenientia materiæ et formæ et de convenientia realis præsentiae corporis Christi ageamus. Quod igitur ad convenientiam temporis attinet.

Dico 1. Etsi absolute loquendo institui potuerit hoc sacramentum, etiamsi prius tempore non præcessisset Incarnatio Verbi, conveniens tamen fuit, non institui ante Incarnationem. Dixi (absolute loquendo); nam eo modo, quo de facto institutum est hoc sacramentum, non potuit institui, quin prius tempore præcesserit Incarnatio; de facto enim ita institutum est hoc sacramentum, ut per verba a Christo successive producta confirmatur, et illud pronomen (meum) indicat personam Christi humanæ naturæ coniunctam, et per eam loquentem, quod fieri non potuit, ut institueretur consecratio Eucharistiæ per talem formam, quin prius tempore existeret Christus proferens successivam formam, in cuius fine efficeretur Eucharistia. Dixi (prius tempore); nam certum est simul ac institueretur Eucharistia, debuisse Incarnationem quoque

esse, nec posse etiam de potentia absoluta ante unionem humanitatis cum Verbo institui hoc sacramentum, in quo Christus esset. Nam Eucharistia essentialiter includit corpus Christi contineri sub speciebus, sed corpus Christi non constituitur, nisi per unionem humanitatis cum Verbo quæ essentialiter est Incarnatio; ergo sine Incarnatione impossibile est constitui hoc sacramentum, et confirmatur. Nam impossibile est, ut corpus Christi sit sacramentaliter in speciebus, nisi existat cum esse tali, vel tali modo, supponat essentialiter esse; ergo non potest esse sub speciebus, antequam existat realiter. Iam igitur conclusionem hanc docet ex recentioribus *Suarius* hic disp. 48. sect. 2., et quos ipse late refert in secunda sententia, *Scotus*, 4. d. 10. q. 4. *Maior*, *Gabriel*, *Sotus*, *Ledesma* etc., quamvis *Caietanus* hic. q. 76. ar. 2., vocet chymeram *Scoti* affirmare potuisse hoc sacramentum institui, etiamsi prius tempore non præcessisset Incarnatio. Probatur; nam sive dicamus de facto corpus Christi ex vi novæ actionis produci substantialiter per transsubstantiationem, sive absque nova productione substantiali constituantur præsens, nulla penitus est implicatio, quo minus corpus Christi ante non existens incipiat esse in sacramento. Si enim corpus Christi producitur substantialiter ex vi novæ actionis, ex vi eiusdem actionis, posset produci, etiamsi ante non extitisset, et tunc constitueretur corpus Christi ante non existens ex vi transsubstantiationis. Confirmatur; nam corpus Christi indifferens est ex se, ut sit modo connaturali extra sacramentum, vel ut sit modo sacramentali et supernaturali, et quemadmodum ante institutionem Eucharistiae solum erat modo connaturali, non sacramentali, ita de potentia absoluta possit conservari sub modo sacramentali, ita ut nullo modo esset extra sacramentum; ergo pari modo potuit primo produci sub modo sacramentali. Si vero corpus Christi non dicatur produci substantialiter in Eucharistia, sed tantum præsentia eius, adhuc probari potest conclusio. Nam licet ante existentiam humanitatis non possit iuxta hanc sententiam esse sub speciebus, potest tamen eodem instanti, quo producitur, vel ad verificandam aliquam propositionem a Deo institutam, verbi gratia hanc, hoc est corpus Christi, vel alio modo eodem instanti produci præsentia in Christi corpore sub accidentibus, quæ incompossibilis esset cum substantia panis et illam destrueret. Quod vero convenientius fuerit in novo testamento institui hoc sacramentum, et non ante, patet; tum quia congruens non erat, ut Christus prius sub aliena specie

existeret, quam sub propria, tum quia hoc sacramentum continet abundantiam gratiæ, atque ideo spectat ad legem gratiæ, in qua copiose illa confertur, et est pignus gloriæ, cuius ianua nondum erat aperta ante Christi mortem. Denique rationes, quibus probatur conveniens fuisse Incarnationem non fieri ab origine mundi, quia scilicet homines non erant dispositi ad tantum beneficium, quia res difficillima creditu variis modis prædici et figuris significari debuit etc., hic etiam locum habent.

Dico 2. Conveniens fuit hoc sacramentum immediate ante passionem Christi institui, tum quia conveniens erat, ut in ipso discessus sui tempore præcipuum amoris sui erga nos symbolum relinqueret iuxta illud : cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, *Ioan.* 13. v. 1. Ut scilicet morti vicinus velut testamentum institueret, hæreditatem præstantissimam nobis relinqueret, tum quia decebat, ut non solum sacrificium cruentum, sed etiam incruentum, quod huius sacramenti institutione est oblatum, pro nobis satisfactorium esset et meritorium ; cum enim Christi merita passione sint consummata, voluit Servator noster ad copiosam redemptionem etiam huius tam excellentis suæ charitatis actu mereri apud Patrem. Dices : hoc sacramentum est signum, et memoriale passionis, ergo ante passionem non debuit institui, falso enim tunc significasset passionem ; respondetur : sicut Baptismus significat mortem Chriti, et tamen ante passionem institui poterat, eo quod significavit mortem Christi pro eo tempore, quo ipsa debebat existere, ita Eucharistia significabat etiam ante passionem Christi mortem ipsius pro tempore, quo ipsa mors existebat.

Disputari hic posset: an *Lucæ* 14. ad vesperam instituerat Christus hoc sacramentum ; sed de hoc sequenti quæstione agemus, cum explicabimus: an confici beatum hoc sacramentum in pane asymo ? Disputat præterea *Suarius* disp. 41. Sect. 2., 3., 4., an hoc sacramentum institutum sit post lotionem pedum ? an Iuda præsente, vel post discessum ipsius, an ante vel post cænam ? Et recte probat, in primis lotionem pedum factam esse finita cæna legali, in qua agnus comedebatur, postea vero in cæna usuali factam institutionem huius sacramenti, ut illa lotione pedum significaretur mundationem præmitti debere ante Eucharistiam.

Quamvis autem, ut sect. 3. ait *Suarius*, *Hilarius*, *Rupertus*, *Theophilactus*, *Innocentius*, *Tacianus* et *D. Clemens* lib. 5. Constit. Apost. c. 13., doceant Christum instituisse hoc Sacramentum

absente Iuda, tamen *D. Leo* Serm. 3. et 7. de Passione, *Augustinus* Epistola et in Psal. 20. ut refertur 1. q. 1. cap. 88. Christus etc. Lib. 2. contra lit. Petiliani c. 22., lib. 5. de Baptismo c. 8., *Ambrosius* et Scholastici, Iuda præsente institutum hoc sacramentum docent et clare colligitur ex *Lucæ* 22. v. 21., ubi post institutum sacramentum dixit Dominus: Verumtamen ecce manus tradentis me tecum est; seu trado vobis corpus et sanguinem, etiamsi non ignorem tecum esse, qui me tradet, quod ad commendandam charitatem suam et emolliendum cor Iudæ dictum est. Confirmatur; nam Iudas episcopus et sacerdos ordinatus fuit, ut ex *Act.* 1. v. 20. At Apostoli ordinati sunt in ultima cæna, cum iis dictum est: Hoc facite; ergo etc.

Quod vero *Suarus* loco citato in fine Sect. 5. disputat: an homine non peccante futura fuisset Eucharistia, nullam habet difficultatem suppositis iis, quæ de causa finali Incarnationis diximus. Sicut enim homine non peccante ex vi præsentis decreti Verbum non fuisset incarnatum, ita nec Eucharistia fuisset instituta, cum eius institutio essentialiter includit Incarnationem. Ex vi vero alterius decreti quid futurum fuisset, prudenter non potest definiri.

ARTICULUS VI.

An agnus Paschalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?

Ut ad res maximas percipiendas digne præparentur homines, placuit divinæ sapientiæ præcipuas suas actiones tribus velut paramentis prævenire prophetiis, figuris, promissionibus. Igitur et huius mysterii institutionem his modis multo ante prænunciavit. Nam in primis *S. Cyprianus* Epistola 63. v. 20. illud *Genes.* 49. lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvæ amictum suum, de Eucharistia accipit, et sanguinem uvæ dici ait vinum calicis Domini sanguinem. Idem docet *Tertullianus* lib. 4. contra *Marc.* c. 40. v. 671. Eodem loco *Cyprianus* n. 16. de hoc sacramento prædictum ait illud *Prov.* 9. v. 1. Sapientia mactavit hostiam, miscuit vinum, etc. Eleganter *Cyprianus* illa Epistola 63. v. 35., illud *Psal.* 22. v. 5.: Calix tuus inebrians, quam præclarus est, de Eucharistia explicat: Calix Domini, ait, sic inebriat bibentes, ut sobrios faciat, et mentes ad spiritualem sapientiam redigat, ut a sapore

isto sacerdotali ad intellectum Dei unusquisque respiciat; et quemadmodum vino communi mens solvitur, anima relaxatur, tristitia exponitur: ita epoto sanguine domini exponatur memoria veteris hominis, fiat oblivio pristinæ conversationis, mæstum pectus, quod peccatis angentibus præmebatur divinæ indulgentiæ lætitia solvatur. *Tertullianus* vero eodem loco citato v. 667. illud *Hierem.* 11. v. 19. Mittamus lignum in panem eius, ita explicat; hoc est crucem in corpus eius, illuminator (inquiens) antiquitatum, quid tunc voluit significasse panem, satis declaravit corpus suum vocans panem. Idem *Lactantius* lib. 4. Divini Instit. cap. 18.: Etiam vinum illud germinans virgines *Zach.* 9. v. 17. et frumentum electorum enuntiat hoc sacramentum prædictum. *Augustinus* vero in *Psal.* 21., illud manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terræ, ita explicat, ut tunc dicat impletam hanc prophetiam, quando adducti ad mensam Domini accipient de corpore Domini. Deinde *Psal.* 71. v. 16. quod nos legimus: erit firmamentum in terra in summis montium, *Hieronymus* legit: erit memorabile triticum in terra in capite montium, vel ut *Paginus*: erit placenta frumenti in cacumine montium. *Vatablus* reddit: erit pugillus frumenti in vertice montium, Chaldæus paraphrastes reddit: erit substantificus panis in terra, citat *Alanus* lib. 1. c. 7. ex Paulo *Burgensi* aliam paraphrasim Chaldaicam, quæ ita legit: erit placenta frumenti in capitibus sacerdotum, cui optime cohæret, quod statim subditur: Gentes semper adorabunt Dominum, tota die benedicent ei, cum, ut supra diximus, nulla sit hora diei, qua elevatum hoc sacramentum supra capita sacerdotum non adoretur.

Ad promissionem huius sacramenti quod attinet, ea potissimum continentur *Ioan.* 6., ut inferius ostendemus, cum eo loco de sacramentali corporis Christi mandatione sermonem esse probabimus.

Figura vero huius sacramenti: nam *Augustinus* lib. 1. contra Advers. legis cap. 18.: omnia vetera sacrificia hoc nostrum præfigurabant; non solum quia hoc sacramentum Christi corpus, veritatem scilicet ipsam continet, cuius illa fuere umbræ, sed etiam oblationes illæ oblationem et sacrificium hoc significabant; et 12. contra Faust. cap. 11. Sanguinem Abel de terra clamantem signum fuisse sanguinis, qui sumptus ab omnibus gentibus magna voce clamatur. Habet enim, inquit, magnam vocem Christi sanguis de terra, cum eo accepto ab omnibus gentibus respondeatur:

amen: Hæc est clara vox sanguinis, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemptorum.

In specie vero, ut recte notat *Suarius* in fine articuli, *Alanus* lib. 1. de Eucha. c. 7. Figuræ huius sacramenti ad tria genera revocantur: quædam enim figuræ huius sacramenti materiam seu species, aliæ carnem Christi contentam speciebus, aliæ demum effectus huius sacramenti præfigurabant.

Primo modo ratione specierum præfigurarunt hoc sacramentum sex panum genera: 1. ut *Hieronymus* ad Tit. 1. *Cyrillus* Catech. 4. Mystag. *Damascenus* 4. de fide. cap. 14. Panes propositionis perpetuo in altari custoditi, quos ob summam sanctitatem non nisi mundi poterant comedere *Exod.* 40. v. 21. *I. Reg.* 21. v. 4. *Levit.* 24. v. 5. 2. Panes primitiarum *Levit.* 23. v. 10. 17. Unde *Irenæus* lib. 4. c. 32. v. 19. hoc sacramentum vocat primitias munerum Dei in novo testamento. 3. Panes *Eliæ* viatici *III. Reg.* 19. v. 6. 4. Panis *Gedeonis* evertens castra Madian, *Iudic.* 7. v. 13. 5. Panes ex tribus purissimæ similæ satis, quos Abraham Angelis proposuit, *Gen.* 18. v. 6. 6. Panes *Melchisedechi* *Gen.* 19. v. 18. quos in gratiarum actionem sacrificium et oblationem obtulit.

Secundo modo hoc sacramentum præfigurabatur, quatenus continet Christum sacrificatum, et ad escam paratum; et hoc modo præcipua figura erat agnus paschalis, *Exod.* 12. a versu 3. qui masculus, anniculus innocens immaculatus esse debebat, e reliquo grege selectus in una domo luna 14. cum azymis sine ossium diminutione, integre debebat manducari, qui agnus non tantum signabat Christum in cruce oblatum, sed etiam in Eucharistia, ut et Patres passim docent, quos refert *Suarius* in fine articuli, *Alanus* illo cap. 7. *Bellarminus* illo cap. 3., tum quia præcipua huius agni religio fuit in modo comedendi; tum quia ob hanc significationem voluit Christus Dominus statim post usum huius agni instituere cænam novi testamenti; tum quia id innuere videtur *Apostolus I. Cor.* 5. v. 7. 8. Pascha nostrum immolatus etc. itaque epulemur etc.; ubi alludit non tam ad occisionem, qua significabatur in cruce occidens Christus, quam ad epulum in azymis veritatis, quomodo significabatur ut in sacramento agnus ille verus, qui tollit peccata mundi.

Tertiī generis figuræ significabant mirabiles effectus huius sacramenti et varia eius mirabilia; huiusmodi sunt in primis manna dictus panis Angelorum *Psal.* 77. v. 24. 25.; manna enim repræsentat hoc sacramentum 1. in præparatione, nam de cœlo venit,

His panibus
corpus Christi
sigmatum
doctent Patres
relati a
Bellarmino
lib. 1. de
Eucharistia
cap. 3.

Patres apud
Bellarminum
illo cap. 3.

verbo Dei formatur; de eo enim dicitur *Deut.* 8. v. 3.: dedit tibi manna, ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. 2. In sumptione; nam *Exod.* 16. v. 18., nec qui plus collegerat, amplius habebat, nec minus, qui pararat minus. 3. In effectu; nam *Exod.* 16. v. 31.: gustus eius quasi similæ et mellis dulcissimi et tamen cuiusque appetitui et voluntati deserviebat, *Sapien.* 16. v. 20. 21.: omnem saporem habens; et certe Christus ipse *Ioan.* 6. v. 59. non solum figuram fuisse mannam huius sacramenti indicat, sicut et *D. Paulus* I. Corint. 10. v. 2., verum etiam eius præstantiam longe maiorem esse, quam mannæ, licet levissimi homines, sicut olim cibum levissimum vocabant manna, ita hodie Eucharistiam aspernentur. Præterea farina illa indeficiens *III. Reg.* 17. v. 16. figura est inconsumptibilis sacramenti. Sicut et quinque panes, quibus Christus saturavit multitudinem, et conversio aquæ in vinum, ut notat *Cyprianus* Epistola 63. S. *Paschasius* lib. de Corpore et Sanguine Domini c. 7.: ipsum lignum vitæ figuram dicit fuisse Eucharistiæ a morte ac labe animi et corporis vindicantis digne sumentes. Idem sacramentum significatur illo melle oculos aperiente *I. Reg.* 14. v. 27.; sed hæc omnia latius diducta prosequi concionatorum est.

Quæstio LXXIV.

DE MATERIA EUCHARISTIAE.

ARTICULUS I., II., III., IV.

AN panis triticeus, azymus determinatæ magnitudinis sit materia huius sacramenti?

Dubium I.

AN TRITICEUS PANIS SIT MATERIA HUIUS SACRAMENTI?

Cataphriges hæretici teste *Augustino* tom. 6. lib. de hæres. 26. *Damascenus* hæres. 49. Epiphanius hæres. 48. in fine, anniculum infantem sumebant, e cuius corpore minutis punctionibus sanguinem elicentes, eumque farinæ miscentes materiam Eucharistiæ conficiebant; et si puer moreretur dolorum acerbitate, eum ut martyrem venerabantur.

Artotyritæ teste eodem *Augustino* hæres. 28., *Epiphanius* hæres. 49. panem et caseum offerebant, eo quod *Cain* de frugibus terræ, *Abel* de ovium pinguedine olim obtulerit.

Manichæi, ut idem *Augustinus* hæres. 46. docet, cum omne alimentum imundum putarent et purgandum humano semine, Eucharistiam humano semine conspersam sumebant. Denique ut nihil ad summam hæreticorum imprudentiam deesset, gnosticos ait *Epiphanius*, hæres. 26. sub initium, pro Christi corpore semen viri, pro sanguine menstruum mulieris sumpsisse. Ophitæ vero, ut *Augustinus* ait hæres. 17. et *Tertullianus* de præscriptione c. 47. Serpentem venerabantur eumque introducebant, qui Eucharistiam ipsorum lambendo consecraret.

Dico 1. Verus et usualis panis est materia Eucharistiæ. Ita definitum est in Concilio *Lateranensi* sub Innocentio 3. ut habetur Cap. Firmiter de S. Trinitate Cap. Cum Marthæ de Celebratione Missarum. In Concilio *Carthaginensi* 3. can. 24. et refertur de Cons. d. 2. can. 5. In Sacramento; in *Florentino* et *Tridentino* sess. 13. cap. 1. 3. 4. *Alexander* primus et *Iulius* primus, ut refertur de Cons. d. 2. Can. 1. et 7. qui incipit cum omne crimen. Idem Patres alii, quos infra referemus. Colligitur ex *Math.* 26. v. 26. *Marci* 14. v. 22. *Lucæ* 22. v. 19. 1. *Corint.* n. v. 23., ubi legimus Christum consecrasse panem in corpus suum. Idem ex perpetuo Ecclesiæ usu constat, ex quo occasionem sumpsere gentiles, ut putarent Christianos Cereri et Baccho litare, ut ait *Augustinus* 20. contra Faust. cap. 13. Ratio a priori huius rei est: institutio divina, cuius convenientias explicat *D. Thomas* hic ar. 1.: Quia hoc sacramentum institutum est ad spiritualem refectionem, robur animæ, et maiorem cum Christo unionem, ergo non potuit melius institui Sacramentum, in quo receptum Christi corpus instar alimenti nos alit et confortat, quam in pane, sine quo non est perfecta refectione, et qui confortat hominem, ut dicitur *Psal.* 103. v. 19. Ut enim corporalis panis reficit corpus, medio reali contactu cum vivente, ita Christus instar cibi sumptus realiter nutrit, confortat spiritualiter. Deinde hoc sacramentum ordinatur ad unionem membrorum mysticorum cum capite et inter se, qua de causa diximus initio quæstionis 73. hoc sacramentum vocari symbolum unitatis ac concordiæ, iuxta illud *I. Corint.* 10. v. 17.: unum corpus sumus omnes, qui de uno pane participamus; quia licet qui de uno pane corporali manducant, non efficiuntur unum, eo

quod ipse converteret in se panem, non illi convertuntur in panem, hic tamen diversa est ratio iuxta illud *Augustini* 7. Confess. cap. 10. Cibus sum grandium, cresce et manducabis me, nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Aptissime ergo tanquam materia huius sacramenti in ordine adhunc effectum significandum destinatus est panis, quia, inquit *Cyprianus* Epistola 63. v. 40. Ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta et commolita et commixta panem unum faciunt, sic in Christo unum sciamus esse corpus; et *Augustinus* Tract. 26. in *Ioan.* sub fine, postquam dixisset hoc sacramentum esse signum unitatis, vinculum Charitatis cibum et potum, quo efficitur, ne esuriamus et sitiamus, propterea, ait, sicut et ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster corpus et sanguinem suum in his rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis, namque aliud unum ex multis granis conficitur, aliud unum ex multis acinis confluit, quod eleganter explicat idem *Augustinus* relatus de Conf. d. 2. can. 36. Quia passus, *D. Thomas* hic ar. 1. *Chrysostomus* homil. 24. in I. Corinthiorum etc. Demum usus panis et sine fastidio est, et omnibus commodis refectionibus dahabetur, et panis per se salubriter nutrit, reliqua sine illo non dant solidam sustentationem, et facile habetur, et ad religionem mundissime tractari potest absque ulla sorditie, qualis intervenire solet in sanguinis, carnium etc. tractatione.

Dico 2. Panis, qui est materia necessaria Eucharistiæ, debet esse, triticeus, ita ut ex aliis frumentis confectus non sit sufficiens ad Eucharistiam; ita *D. Thomas* hic ar. 3. Unde *Suarius* disp. 44. sect. 1. ait hanc conclusionem hoc tempore erogari non posse sine periculo erroris, quamvis olim *Gabriel*, *Argentina*, *Alensis* relati a *Suario* et *Caietanus* hic ar. 3. in antiquis impressionibus (in ultimis enim editionibus expuncta est hæc sententia), putaverint omnem panem, quo homines utuntur, ex quoconque frumento confectum esse materiam Eucharistiæ. Fundamentum illorum est; nam Christus tantum legitur in pane confecisse hoc sacramentum, non autem, quod in pane triticeo consecravit, præsertim cum, ut constat ex *Ioan.* 6. v. 9. panibus hordeaceis uti solitus sit Christus. Et quamvis tunc in pane triticeo consecrasset, inde non colligeretur solum posse in pane triticeo consecrari, sicut si album vinum adhibuit in usu calicis, non sequitur vinum rubrum non esse

materiam. Dicendum ergo est, sicut omne vinum est materia, ita omnem panem, sive ex oriza confectus sit, ut apud Sinas et Iaponios, sive ex mayzio, ut apud Indos, sive ex aliis frumentis, esse materiam sacramenti. Et Confirmatur; tum quia, ut *D. Thomas* ar. 3. in 2. arg., *Alensis*, *Paludanus* et alii docent in quibusdam locis ex spulta conficiebatur Eucharistia. Tum quia Concilium *Carthaginense* relatum de Cons. d. 2. can. 5. De uvis et frumentis dicat fieri posse oblationem, ergo non de solo tritico, quod una tantum species est frumenti, siquidem ut *Plinius* ait lib. 18. cap. 7. Frugum genera duo sunt: Frumenta et legumina et inter frumenta numerat triticum, hordeum, panicum, et cap. 8. inter frumenta computat far, quod adorem dixerunt veteres siliquinem, Aegypto autem et Asiæ ac Græciæ peculiaria frumenta vocat zeam, olyvam, tiphem.

Nostra tamen conclusio probatur 1. ex Concilio *Florentino* in Decreto *Eugenii*, ubi materia Eucharistiae dicitur panis triticeus et vinum vitis; et in libris Unionis: in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici.

Respondet *Alanus* lib. 1. de Eucha. cap. 11.: Incertum est: an Concilium loquatur de materia necessitatis, an præcepti; dicere enim quis posset ita panem triticeum dici materiam, sicut vinum aqua mistum, cum tamen etiam sine aqua admistione verum sacramentum esse possit; et ideo, inquit *Alanus*, nihil temere hac de re assenserendum est, sed satis est, si dicamus gravissimum esse peccatum ut aliqua materia dubia, et cum hoc non sit sacramentum necessitatis, potius ab eo in æternum abstinendum esset, quam ut incerta materia adhibeatur. Contra hanc responsionem urget *Suarius* loco citato, nam si haec responsio locum haberet, nihil certi haberemus de materia necessaria sacramentorum; eodem modo siquidem dicunt Concilia panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, quo dicunt vinum vitis esse materiam, et quo in Baptismo dicunt aquam naturalem esse materiam, nec tamen dicere possumus has esse solum materias præceptas, non autem ad rationem sacramenti necessarias; ergo quando Concilia assignant materiam sacramentorum, intelligi debent assignare materiam necessariam. Verum hanc instantiam invalidam esse supra q. 72. in fine Concl. 2. ostendimus, ubi modum assignavimus, quo cognoscendum est ex materiis sacramentorum, quænam sit necessaria necessitate sacramenti. Addenda igitur illi definitioni Concilii sunt duo, ut ex illa

colligatur necessitas panis triticei: primum, quod Christus Dominus in tali pane consecravit; licet enim Christus Dominus aliquando panes hordeaceos distribuerit in necessitate, quos aliquis ex turba attulerat, tamen in cœna ultima instituens hoc sacramentum azymis usus est ab homine opulento ad solemnitatem paschalem et celebre convivium præparatis, qui sine dubio triticei fuerunt. Azymi enim panes communiter ex simila, id est medulla tritici fiebant, ut constat *Exod.* 29. v. 2. sicut et panes propositionis, qui figuræ fuerunt huius sacramenti, ut constat ex *Levit.* 24. v. 5. Sicut ergo, quia Christus in Baptismo suo aquam consecravit, illa sola est materia Baptismi, ita similiter etc. Secundo addendum est perpetuam Ecclesiæ consuetudinam hanc fuisse, ut nulla alia materia adhiberetur ad consecrationem corporis Christi, quam panis triticeus, licet multi populi pane ex oriza, castaneis, milio etc. utantur ad usus quotidianos vel perpetuo vel in annona diffici.

Quod vero *D. Thomas* ait quibusdam locis panem pro Ecclesia confici ex spelta, nihil aliud inde colligitur, quam illos male fecisse, qui in tali materia consecrarunt; et an omnino illi tales fuerint, certum non est, audita enim solum referunt doctores, a quibus id *D. Thomas* accepit. Ex his patet solutio ad fundamenta contrariæ sententiæ. Concilium enim *Carthaginense* cum de frumentis in plurali meminit, non alia a tritico frumenta intellexit, sed varias species tritici et individua illius.

Addit *Suarius* apud omnes certum esse materiam Eucharistiæ debere esse frumentum; frumentum vero comuniter in Scripturis sumi pro tritico multis exemplis ostendit, ex quibus confici putat solum triticum debere esse materiam Eucharistiæ, verum id non urget, ut per se clarum est.

Alii apud *Caietanum* hic ar. 3. probant ex eo, quod omnibus sacramentis commune sit, ut materia cuiusque Sacramenti sit unius speciei physicæ, ergo cum certum sit panem triticeum esse materiam, ille solus panis erit materia, qui ex frumentis eiusdem speciei cum tritico conficitur. Et hoc innuit *D. Thomas* ar. 3. ad 2., ubi etiam ad discernendum, quænam frumenta sint eiusdem speciei, illud principium assignat, quod ea, quæ ex frumento generantur in terra mala, ut siligo, possunt esse sufficiens materia Eucharistiæ. Verum id solidum non videtur; tum quia, ut supra q. 60. ar. 5. dub. 2. dicebamus, nec necessaria est, nec semper sufficit unitas specifica ad materiam unius sacramenti, ut ibi ostendimus multis

exemplis; tum quia illud *D. Thomæ* iudicium ad discernendam speciem frumenti a tritico non videtur sufficiens; nam sicut in mala terra ex tritico siligo nascitur, ita nascitur etiam lolium, quod certum est specie distingui a tritico, nec esse materiam Eucharistiæ. *Durandus* vero 4. d. 11. q. 4. v. 9. ait in terra Leodiensi ex tritico seminato nasci speltam (quam ut *Sotus* 4. d. 9. q. 1. ar. 3. ait, græci zeam vocant), et *Plinius* lib. 18. cap. 10. zeam et tiphen ait redire ad frumentum tertio anno, si pissæ seminentur. Et tamen idem *D. Thomas* eodem ar. 3. negat speltam esse materiam Eucharistiæ, quia videtur esse species quædam media inter triticum et hordeum, ut colligi potest ex forma spicarum, figura granorum, colore, sapore panis confecti e spelta.

Ex omnibus ergo dictis tria certa habemus: primum est: Sine gravi peccato non posse consecrari Eucharistiam in materia dubia, ut ex iis, quæ supra q. 60. ar. 5. dub. 4. disputavimus, constat.

Secundum est materiam, quæ sufficiat ad validam consecrationem, et veram Eucharistiæ constitutionem illam solam esse, quæ Ecclesiastica traditione recepta est et forte quædam ex iis, quæ iudicio doctorum Ecclesiæ existimatur materia sufficiens; quamvis enim opinio doctorum facere non possit, ut sit materia sufficiens sacramenti, si a Christo instituta non est, tamen doctorum opinio probabile facit Christum instituisse pro materia id, quod ipsi materiam esse docent. Unde licet sine errore dici non possit aliquod legumen, vel quid simile esse materiam Eucharistiæ, de quo nullus unquam doctorum Ecclesiæ opinatus sit, quod sit materia; tamen valde durum videtur mihi, quod *Suarium* docere diximus, sine erroris periculo non posse aliquem dicere aliquod aliud frumentum præter triticum esse materiam Eucharistiæ; nam *D. Thomas* ar. 3. ad 2. panem siligineum dicit esse sufficientem materiam, loquitur autem de illa silagine, quæ ex tritico in malis terris nascitur, quæ ea ipsa est, quam nos hodie siliginem vocamus, Itali Segalam et *Sotus* loco citato putat a veteribus tiphem vocatam, eo quod *Plinius* lib. 18. cap. 8. ait: Siliginem ipsi vocarunt, tritici delicias, et quasi selecta tritici. Verum *Plinius* lib. 18. cap. 10. typhem ait orizæ esse similem et ex ea fieri in nostro orbe orizam; quid autem sit siligo illa *Plinio*, ego sane non assequor. Nam eodem ille cap. 8. ait siliginem biennio in triticum transire; cap. vero 10. siliginem sine arista esse excepta ea, quæ laconica vocatur; sed quidquid id sit, de nostra silagine, quod sit

materia Eucharistiæ, docent præter *D. Thomam Alanus* lib. 1. cap. 11. *Caietanus* et *Sotus* loco citato, *Iansenius* in cap. 131. Concordiæ Evangel. *Sylvest.* Verbo Eucharistiæ 1. quæst. 2. et quos ipse refert *Albertus*, *Paludanus* etc. *Valentia* quoque hic. disp. 6. q. 2. p. 1. Cum triticum dicitur materia Eucharistiæ, nomen tritici late accipi ait, ut multorum sententia siliginem, speltam, far complectatur. Nam *Soto*, *Albertus*, *Argentina*, *Paludanus* etiam speltam putant esse materiam sufficientem Eucharistiæ. Similiter *Caetanus* ar. 3. *Paludanus*, *Maior* et alii teste *D. Thoma* hic ar. 3. putant panem ex amylo (male amidum legunt alii) esse materiam Eucharistiæ, licet id neget *D. Thomas*, quem sequitur *Sylvester*, *Augustinus*, eo quod amyrum fiat ex tritico corrupto. Amyrum enim ex eo dictum ait *Plinius* lib. 18. cap. 7., quod sine mola fiat, tritico valde macerato in aqua, donec soluta eius substantia ac compressa in lacteam quandam transeat substantiam, et ut *Plinius* ait lib. 22. cap. 25. oculos hebetat et gulæ inutile contra quam creditur, quamvis genas duras emolliat.

Tertium denique ex dictis colligitur; non omnia, quæ fiunt ex massa triticea, esse materiam Eucharistiæ. Ratio est; nam solus panis absolute est materia, ut diximus; ergo si quid confectum ex massa triticea non sit panis, non est materia. At massa, nisi igne torreatur, non est panis, sicut nec pultes ex farina etc.; ergo sive massa differat specie a pane, ut vult *D. Thomas* hic q. 75. ar. 6. ad 1., *Caietanus* hic ar. 3. *Sotus*, *Suarius* disp. 44. sect. 2. dict. 2. et alii; sive non differat, ut volunt *Maior*, *Gabriel* et alii, tamen massa eo ipso, quod panis non est, non potest esse materia Eucharistiæ. Nam ut supra q. 60. ar. 5. dub. 2. ex unitate vel diversitate specifica non recte colligitur materia unius sacramenti, et cum quædam decoctio solam accidentalem differentiam inducat, ut patet in carne arida et assa, in fructibus maturis et immaturis; alia vero substantialiter, ut cum ex pane fiunt carbones etc. non habemus sufficiens principium ad colligendam specificam differentiam panis a massa; nam quod aliqui ex eo colligunt panem specie distingui a massa, quod substantia panis convertitur in corpus Christi, si autem panis solum constitueretur in suo esse per formam accidentalem, non converteretur substantia panis, nullius est momenti; substantia enim panis non erit accidens, etiamsi panis solum accidentaliter differat a massa.

Panem, qui fit ex massa subacta non naturali sed destillata

aqua, ait *D. Thomas* hic ar. 7. ad. 3. *Paludanus, Soto, Sylvester, Suarius* disp. 44. sect. 2. dicto 1. non esse materiam Eucharistiæ, quia sicut de ratione panis usualis est farina triticea, ita et aqua naturalis, quia in communi usu panis non pinsitur, nisi aqua naturali adhibita, ergo sicut stillacitia aqua non est materia Baptismi, ita nec Eucharistiæ. Unde sicut panis subactus melle, oleo, lacte non esset materia, ita etc. Addit tamen *D. Thomas* loco citato in consecratione calicis, si loco aquæ naturalis adderetur destillata, verum sacramentum confici, licet peccaret, qui id faceret. Et ratio disparitatis est; nam de essentia panis est aqua, non est autem de essentia vini aqua naturalis. *Caietanus* tamen hic ar. 7. Quancunque aquam destillatam sufficere ait ad panem, qua sit materia Eucharistiæ conficiendæ; idem de aqua rosacea docet *Alanus* et alii. Sed frivolo fundamento; nam aqua inquit *Caietanus* non remanet sub propria forma, sed vel omnino exhalat, vel abit in tertiam substantiam, nempe panis, ergo parum refert, qualis fuerit, cum ante consecrationem transeat in aliam naturam. Hoc ergo frivolum est; nam eodem modo farina transit in aliam substantiam specie diversam, scilicet panem, secundum *Caietanum*, et similiter, si oleo subigeretur, vel melle farina, hæc transirent in tertiam substantiam, tamen farina est materia, oleum et mel, non sufficiunt; ergo similiter.

De pane ex solis furfuribus quidam negant esse materiam, quia non tam est panis nonalis hominum, quam brutorum et canum. Alii affirmant eo, quod sit verus panis triticeus et sicut vinum, quantumvis feculentum, modo sit potabile, est materia: ita similiter etc. Sed hæc et nosse parum interest, et in praxi perniciosum a consuetudine Ecclesiæ recedere.

Eodem modo ar. 3. ad 3. docet *D. Thomas* permisionem aliorum frumentorum cum tritici, si magna sit, destruere materiam Eucharistiæ, non vero si sit mediocris. Sed de his plura casuistæ.

Dubium II.

AN PANIS, QUI EST MATERIA EUCHARISTIAE, DEBEATESSE
AZYMUS.

Græci docent in solis fermentatis posse consecrari corpus Christi. Ratio est; quia Christus Dominus in fermentato consecravit, iussitque Apostolis, ut hoc facerent ergo. Antecedens patet ex

Ioan. 13. v. 1., ubi Christus Dominus dicitur cænam ultimam instituisse ante diem festum paschæ, at non erant panes azymi in usu, nisi in die festo paschæ, qui in choabatur die decima quinta primi mensis, ut ex Scriptura discimus, ergo Christus celebavit ante diem primum azymorum pascha. Id ipsum colligitur ex eo, quod *Ioan.* 18. v. 28. dicitur: Iudeos noluisse ingredi prætorium Pilati, ne polluerentur, ut possint comedere pascha, quod signum est iudæos comedisse pascha eo die, quo Christus passus est, consequenter Christum Dominum, qui præcedenti die instituit hoc sacramentum, non esse usum azymis, siquidem in esu agni paschalis incipiebant iudæi uti azymis, ut mox dicetur. Confirmatur ex eo, quod *Ioan.* 19. v. 31. dies passionis dicitur parasceve. 2. Nisi dicamus Christum occisum esse ante sollemnitatem paschæ, et consequenter celebrasse ultimam cænam ante tempus, quo secundum legem azymis utendum erat, sequeretur occisum et accusatum fuisse Christum ipso die paschæ, sicut et depositum de cruce, unctum etc. At hoc dici non potest; nam dies paschæ seu primus azymorum, seu 15. primi mensis erat solemnissimus, in quo nullum simile opus fieri potuit Nun. 28. v. 18. et Exod 12. v. 16., solum permittitur, ut illo die parentur cibi nullumque præterea aliud opus in ea fiat; ergo. 3. Panis azymus non est panis usualis, ergo nec panis simpliciter; ergo etc. 4. Per fermentatum pānem aptius significatur Christus contentus in Eucharistia; fermentum enim illud, quod (ut *Matth.* 13. v. 13. habetur), acceptum, mulier miscuit farinæ, significat Verbum in utero Virginis, quod humanam naturam condivit, ut explicat *Bernardus* Serm. 2. de Nativitate, *Ambrosius*, *Hilarius*, alii. Addunt Græci alias congruentias minoris momenti, quas inferius suis locis commodius attingemus.

Dico 1. Christus Dominus in cæna ultima, cum sacramentum Eucharistiae instituit, usus est azymo, non fermentato pane. Est communis sententia latinorum, de qua latissime *Claudius Repetit.* 1. de Euch. fol. 8. cap. 7. *Tolet.* in *Ioan.* 13. Annot. 5. *Suarius* 3. p. Tom. 2. disp. 40. *Bellarminus* lib. 4. de Eucha. c. 7. *Valentia* 3. p. disp. 2. q. 3. p. 1., *Alanus* lib. 1. cap. 12. Probatur clarissime ex *Matth.* 26. v. 17. 18., ubi prima die azymorum dicuntur missi discipuli ad parandum pascha. *Marci* 14. v. 12. Prima die azymorum, quando pascha immolabant. *Lucæ* 22. v. 7. In die azymorum in qua necesse erat occidi pascha, dicitur Christus celebrasse ultimam

cænam et instituisse hoc sacramentum. Atqui sub pæna mortis prohibitum erat, ne in tota Iudæa fermentum ullum, aut fermentatum ab hoc die haberetur, ut constat *Exod* 12. v. 14., ubi, qui comedenter fermentum a die 14. ad vesperam, usque ad 21. diem eiusdem mensis ad vesperam sive advena, sive indigena peribit, inquit Scriptura, anima eius. Et Deut. 16. v. 3. Septem diebus ait Scriptura comedetis absque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Aegypto, ut memineris diei egressionis tuæ. Deinde primum diem azymorum, seu diem solemnem certum est Christum Dominum servasse; tum quia *Matth*. 5. v. 17. dicitur non venisse, ut solvat legem, sed ut adimpleat; tum quia *S. Lucas* eum diem nominat, quo necesse erat occidi pascha: at sine controversia est Christum id fecisse, quod necesse erat facere, ergo. Id quod confitetur *Chrysostonus* hom. 85. in *Matth*. cum ait Christum ea die, quam lex præscripsit, servasse cærimoniam, ut usque ad ultimum diem ostenderet se non esse legi contrarium.

Verum difficultas est in solutione argumentorum, quæ pro Græcis attulimus et in modo conciliandi *S. Ioannem*, cum aliis Evangelistis.

Primus dicendi modus est *Suari*, *Toletani*, *Belarmini* etc., qui docent Christum et Iudæos eodem die celebrasse pascha, nempe die 14. primi mensis ad vesperam, prout in lege præscriptum erat, *Exod*. 12. v. 6. *Levit*. 23. v. 5. *Num*. 28. v. 16., a quo die per septem continuos dies non fuit licitus fermentati usus, ut constat *Exod*. 12. v. 15. 19. *Levit*. 23. v. 7. *Num*. 28. v. 17. Hos porro septem dies finiebant die 21. mensis primi ad vesperam, ut habetur *Exod*. 12. v. 18. Initium vero horum septem dierum azymorum sumebatur a vesperis lunæ 14. primi mensis, quando occidebatur agnus paschalis, ut constat tum ex c. 12. v. 8. *Exod*. ubi agnus iubetur cum azymis comediri, tum multo clarius ex *Marci* 14. v. 12. ubi primus dies azymorum dicitur ille, in quo occidi debebat pascha. Verum quæ sint hæ vesperæ, a quibus illi septem dies numerandi sint, non convenient authores. Dubitandi occasio fuit; nam *Levit*. 23. v. 32. iubentur Iudæi a vespera ad vesperam celebrare festivitates, ut late ostendit *Ribera* lib. 5. de Templo c. 1. sub finem. Vespera igitur Lunæ 14. intelligi potest, vel illa quæ diem 13. claudebat et inchoabat 14., vel illa, quæ finis erat dici 14. initium 15., et quidem *Suarius* mihi præceptor in opere hac de re, ait: agnum occidi solitum ad vesperam, quæ finis erat diei 13.

initium 14. Fundamentum est; nam eo die soliti sunt iudæi occidere agnum, quo occiderunt in Aegypto, ut constat *Exod.* 12. v. 19. At tunc immolarunt ineunte die 14. Hebræi enim egressi sunt ex Aegypto nocte *Exod.* 12. v. 42. seu ad solis occasum *Deut.* 16. v. 6. Tunc autem dicuntur exivisse, quando de Ramesse ivere in Sochot sexcenta virorum milia, *Exod.* 12. v. 37., quo scilicet omnes con venerant post occisos primogenitos Aegyptiorum et consequenter post comedestum agnum. At de Ramesse discesserunt 15. die mensis primi, altera die a Phase, ut dicitur *Num.* 33. v. 3. Ergo occasus ille solis, seu nox, qua ex Ramesse abierte, spectabat ad diem 15.; ad quem non spectasset, si fuissest initium diei 16. finis 15. siquidem ut diximus, iudæi dies festos, qualis est 15. primi mensis, numerabant a vesperis, ut diximus; ergo signum est vespere ad occasum solis post diem 14. exivisse iudæos, quando scilicet a vesperis illis inchoabatur dies 15., et consequenter ad vesperam 13. diei, a quibus initium sumebat dies 14., comedestum esse agnum. Verum hanc speculationem late refellit *Ribera* lib. 5. de Templo c. 3. *Suarius* hic disp. 41. sect. 1. Sed quia ad concordiam Evangelistarum hoc nihil facit, iccirco in ea refutanda noto inmorari et sane non video, quomodo illa defendi possit, nisi primum diem azymorum, quo, ut *Marcus* ait, occidi debebat agnus, alium esse dicamus a solemnitate azymorum, siquidem in Scripturis diserte habemus solemnitatem azymorum fuisse primi mensis die 15. ut habetur *Num.* 28. v. 17. *Levit.* 23. v. 6. Et consequenter dicat finem septem dierum fuisse 20. die ad vespertas, a quibus dies 21. numerari incipiebat. Quæ omnia consequenter diceret *Luysius*, nec video, quomodo efficaciter refelli posset, quamquam ipsius argumentum quoque non urgeat multum; omnia enim illa, quæ adfert, apte cohærent, si dicamus luna 14. ad vesperam, aqua 15. dies inchoabat, comedisse iudæos agnum, nocte cœgere eos exire ægyptii occisis eorum primogenitis, cum vererentur, ne omnes occiderentur, ut habetur *Exod.* 12. v. 30. 33., quare illa nocte itur ad Ramessem, quam, ut *Exod.* 1. v. 11. habetur, ædificant iudæi. Inde omnes simul versus occasum solis, ut dicitur *Exod.* 12. v. 42. omnes simul profecti eodem die 15., antequam inchoabant diem 16.

Missa ergo hac sententia, reliqui, ut *Baronius* an. Christi 34. *Suarius*, *Toletanus*, *Alanus*, *Bellarminus*, *Valentia*, fatentur ad vesperam die 14., a qua initium sumebat dies 15., quæ erat prima azymorum et solemnis, occidi debuisse agnum, et tunc occidisse

Christum ac iudæos, pro qua sententia *Maldonatus* in cap. 26. *Math. v. 2.* quæst. 3. duodecim coniecturas ex Scriptura adfert. Quo posito ostendunt S. *Ioannem* allatum pro sententia græcorum non pugnare cum aliis Evangelistis. Licet enim *Ioannes* dicat ante diem festum paschæ lavisse Christum pedes discipulorum et cænasse, alii vero dicant primo die azymorum id fecisse, qui erat festivitas paschalis, tamen re ipsa convenit, si *Ioannes* diei festi nomine intelligat diem artificialem, qui ab ortu solis incipit et a nocte distinguitur, qui dies erat 15. Alii vero diem 14. civilem vocant per Synechdochen a parte totum nominando primum diem azymorum, non quod toto illo die azyma comedetur, sed ut inquit *Augustinus* Epistola 86. versus finem, quia in eius vespera sequente futura erat cæna paschalis et initium azymorum, ac proinde initium diei 15., quæ erat primus dies azymorum, incipiebatque computari a vespera diei 14., quæ pars erat civilis diei 14., et initium diei 15. legalis, quæ solennis erat, ut vidimus et iuxta legem a vespera ad vesperam celebrabatur. Nam quod *Alanus* illo cap. 12. lib. 1. et *Scaliger* in prima editione emendationis temporum aiunt: alium esse diem, quo agnus occidebatur et alium diem festum paschæ, si de die legali loquantur, aperte falsum est, cum constet a vespera diei 14. numerari debuisse festivitatem, quæ die 15. erat iuxta legem supra nominatam *Levit. 23. v. 32.*, ut proinde esus agni paschalis, qui fiebat nocte diei 14., ut constat *Exod. 12. v. 8.*, vere fieret die 15. legali. Quod vero eo die, quo occisus est Dominus, iudæi noluerint introire prætorium, ut possent comedere pascha, id intelligi debere aiunt non de agno paschali, sed de sacrificiis, quæ illo die festo fiebant, nam huiusmodi sacrificia vocari pascha constat ex *Deut. 16. v. 2. 2. Paralip. 25. v. 7. 9.* Quod ille dies vocatur parasceve paschæ, non ideo dicitur, quasi tunc præparata fuerint necessaria ad diem paschæ, siquidem nulla alia dies præter sabathum parasceven habebat, expresse enim conceditur, ut in die paschali parentur victui necessaria *Exod. 12. v. 16.* Vocatur ergo parasceve paschæ, quia et dies paschatis erat et præparationis ad sabathum. Quod denique contra legis præceptum accusare voluerunt iudæi Christum, mirum non est; quid enim non ausi, qui Innocentem occidere ausi? Et diem festum hunc fuisse colligimus ex illo *Math. 26. v. 5.* Nam in die festo etc., quamvis ut *Maldonatus Math. 16. v. 2.* notat, ea verba dicta sunt 12. aut 13. die mensis, non ipso occisionis die. Demum

addunt hi authores zelum honoris Dei prætexere potuisse iudæos in Christi nece, præsertim cum non ipsi, sed romani occiderent Christum, et scirent *Num.* 15. v. 32. accusatum hominem, qui sabatho ligna colligebat; et alibi *Ioan.* 10. v. 22. et 31. die incæniorum volunt eum lapidare, *Ioan.* 7. v. 2. et 44. 45. die scenopegiæ missi ministri, qui caperent eum. Sicut et *Tobias* *Tob.* 2. v. 1. 3. die festo cadaver occisi hominis e loco publico subduxit.

Secundus dicendi modus est, qui placet *Iansenio* cap. 128. Concordia, Paulo *Burgensi* in Annotationibus adiunctis commentariis Lyrani, *Nicephori* lib. I. histor. c. 28. *Iosephi Scaligeri* in ultima editione de Emendat. Temporum lib. 6. a fol. 530. *Gerardi Mus.* lib. 2. Chronolog. cap. 3. *Covaruvii* lib. 1. varian. c. 17. §. 1. Non Oberit, ubi pro hac sententia citat *Ioannem Lucidum*, *Catherinum*, cui favet multum *Cyrillus* lib. 12. in *Ioan.* c. 2. Hi igitur aliique quam plurimi docent, Christum non eo die comedisse agnum paschalem, quo iudæi, sed anticipasse et uno die ante illos comedisse; et quamvis *Scaliger* et alii velint propterea Christum non coincidisse in esu agni, quia ipse lege superior, luna 13. ad vesperam, contra quam præceptum erat, comederit, ut hac ratione luna 14. eodem quasi tempore moreretur, quo occidebatur agnus paschalis; tamen id nullo modo dici posse videtur, cum Evangelistæ dicunt Christum comedisse pascha, quando necesse erat comedi pascha ex legis scilicet præscripto. Unde *Iansenius*, *Burgensis*, *Covaruvius* etc. aliam huius rei causam dant ex traditione iudæorum, qui ut in alijs rebus transgrediebantur legem propter traditionem *Math.* 15. v. 3., sic et in præsenti. Iudæi igitur, ut in libro Sederholam habetur, nunquam diem paschæ celebrabant feria 6. atque ideo si luna decima quarta primi mensis incidebat in feriam 6., ipsi pascha transferebant in sabbathum, quod etiam hodie dicuntur servare iudæi; occasionem autem, cur id iudæi statuerint, (ut omittam illam, quam *Iansenius* ex ratione noviluniorum deducit ex Sederholam, et *Bellarminus* illo lib. 4. c. 7. in 3. sententia, vocat consuetudinem non malam) assignant quidam, quia difficile illis videbatur duos dies tam solennes continuos trahere, quibus et in via hærerent, et ab opere abstinerent, et mortuorum cadavera condere non licet; quamvis enim, ut ex *Iosepho* 13. Antiquit. c. 16. probat bene *Toletanus*, ubi supra Annot. 5. olim duæ festivitates etiam continuæ celebrabantur a iudæis, postea tamen ob eam, quam

experiebantur difficultatem, id immutarunt. Verum hæc ratio non videtur sufficiens, cum, ut mox dicemus, etiam facta hac translatione paschatis, adhuc sequenti sabbatho duo festi dies concurrere necessario debuerunt; occasio ergo huius translationis videtur, quia licet in die paschatis cibos præparare poterant, ut diximus, tamen indecens illis videbatur die paschatis semel in anno recurrente occupari in cibis præparandis pro sabbatho, quo nec cibaria fas erat parare *Exod.* 16. v. 23. cap. 53. v. 3. nec ignem succendere et si die iovis pararentur cibi ad sabbathum usque servandi insipidi erant futuri; idcirco, ut hæc qualiacunque incommoda vitarentur, voluerunt feriam sextam esse parvæce sabbathi magni, ergo non

Cum emphasi alia de causa vocatur magnum sabbathum ab Evangelista, nisi *vocatur, quia* quia in illud etiam pascha incidebat; alias enim non erat, cur *magna fre-*quentia homi-*vocaretur* cum tanta emphasi magnus dies sabbathi, cum inter-*num ad pascha* medius dies inter primum et 7. azymorum nullam sollennitatem *confluentium* haberent, et iuxta hanc sententiam aptissime omnia, quæ ab *Evangelistis* celebratur.

dicuntur, cohærent. Nam *D. Ioannes* loquitur de die festo, non qui secundum legem celebrari debebat, sed quem secundum traditionem iudæi omnes celebrabant, cuius festi parvæce erat feria 6., qua Christus crucifixus est. Reliquos autem Evangelistas loqui de primo die azymorum, seu de festo secundum legis præscriptum et ideo *Lucas* c. 22. v. 7., cum Christum pascha comedisse ait primo die azymorum, signanter addit (quo necesse erat), idest, non quo comedere iudæi, sed quo comedere debuere. Et eodem modo intelligi debere ait *Iansenius* cap. 129. Concordia, id quod ait *Marcus*, prima die, quando pascha immolabant, id est, immolare debebant secundum legem, quia iuxta Scripturæ phrasin id, quod fieri debet, fieri dicitur, aut certe particula (quando) apud *Marcum* ad qualitatem diei refertur, non ad substantiam, ut (quemadmodum ait *Iansenius*) sensus sit: primo die azymorum, quali die immolabatur pascha; sive enim esset prima dies azymorum ex legis præscripto, sive ex traditione iudæorum, semper tamen prima die azymorum occidebatur pascha. *Maldonatus* vero illa *Matth.* 16. v. 2. in 3. q. ad 3. primæ sententiæ ait illud (Immolabatur), non ad iudæos referri, sed ad Christum et eius discipulos, aut antiquos iudæos.

Si obiicias 1. Cur, si Christus pascha anticipavit, iudæi, qui tam anxie falsa testimonia contra eum quæsivere, non accusarunt ipsum hac de re? Sed facilis est responsio; vel enim id factum,

quia verebantur, ne exprobraret illis, quod legem Dei ipsi reliquerint propter traditionem, vel quia discipuli cum patre familias seorsim comedenterunt pascha, causis redditis patri familias huius diversæ observationis, sicque accusatus hac de re non fuit a iudæis factum ignorantibus. 2. Obiici potest, cum azymorum dies septem essent, et dies septimus æque celebris, imo celebrior dicatur *Levit.* 23. v. 8., *Exod.* 12. v. 16., sequitur si pascha sabbathi celebrarunt iudæi, sequenti feria 6. accidisse diem septimum azymorum, et consequenter eadem tunc incommoda fuisse, propter quæ diximus translatum primum diem azymorum. Respondeo : illa verba (sanctior, celebrior), non sumi in Scriptura comparative, sed absolute, sicut e contra sæpe apud hebræos positiva pro comparativis sumuntur, ut *Psal.* 117. v. 8. 9. Bonum est confidere in Domino etc., quia scilicet hebræi comparativum et superlativum non habent; et quamvis comparative accipientur, comparatio tamen non est inter primum et ultimum diem, sed inter ultimum et alios intermedios. Licet vero primus et ultimus dies in eo æqualiter celebres erant, quod uterque esset dies festus, tamen primum propter immolationem agni maiorem reputabant iudæi, nec videbatur illis decens ex eo efficere parasceven sabbathi.

Hæc sententia facilior esset, et planior ad concordiam Evangelistarum, si modo certo constaret tempore Christi Domini fuisse apud iudæos talem consuetudinem dicto modo transferendi pascha. Verum, ut *Bellarminus* ait illo lib. 4. c. 9. ad 8. in Sedeolem nulla est talis traditio de paschate transferendo, qualem *Burgensis* memorat Cap. vero 8. Ex alio capite manifestum est multo tempore post Christi passionem cœpisse illam consuetudinem iudæorum de translatione paschæ, quod evidenter colligitur ex eo, quod Ecclesiæ asiaticæ initio nascentis Ecclesiæ celebrabant pascha eo die, quo iudæi, luna videlicet 14. ut invenitur in epistola *Constantini* apud *Eusebium* lib. 3. de vita Constantini c. 17. et testatur clare *Eusebius* et *Polycrates* apud *Eusebium* 5. hist. c. 23., 24. At eadem Ecclesiæ celebrabant pascha luna 14. primi mensis, in quamcunque diem hebdomadæ ea incideret, ut docet *Eusebius* 5. histor. c. 23. Deinde *Epiphanius* hæres. 50. quartodecimanos, ait celebrasse pascha eadem die cum iudeis, luna scilicet 14., in quamcunque diem hebdomadæ ea incideret, ergo *Epiphanius* origine iudæus probe callens iudæorum ritus indicat suo adhuc ævo iudæos quacunque feria hebdomadæ celebrasse pascha et idcirco

licet fateatur non eodem die Christum et iudæos celebrasse pascha, docet tamen Christum anticipasse et celebrasse luna 13. ad vesperam, ut patet ex hæres. 51. longe post medium.

Denique eo die, quo Christus occisus est, festum diem fuisse colligi potest; tum ex eo, quod iudæi aiunt *Ioan.* 18. v. 31. Nobis non licet interficere quemquam ob diem scilicet festum, qui tunc agebatur et explicant *Chrysostomus* 52. in *Ioan.* *Cyrillus* lib. 12. in *Ioan.* c. 6. *Augustinus* Tract. 114. in *Ioanem* et alii. Nam alias *Act.* 7. v. 57.: Lapidarunt iudæi *Stephanum*, *Act.* 24. v. 6. dicunt se *Paulum* voluisse secundum legem iudicare; tum ex eo, quod *Ioan.* 13. v. 27. cum *Iudæ* dixisset Christus, quod facis, fac cito, putabant dicere: Eme, quæ necessaria sunt ad diem festum. Ergo dies ab ea nocte proximus fuit dies festus, alioquin nulla erat occasio suspicandi Christum monere, ut pararentur necessaria ad festum, si dies integer fuisset interpositus, quo parari poterant necessaria. Quæ omnia faciunt, ut et ille dicendi modus probabilior videatur.

Dico 2. Etsi tam azymus, quam fermentatus panis sit sufficiens materia Eucharistiae, ac proinde græci sine peccato celebrare possint in fermentato, multo tamen convenientior materia est panis azymus, quam fermentatus. Prima pars definita est in Concilio *Florentino* in libris unionis ex græcorum et latinorum consensu, neutrum scilicet istorum panum determinatum esse materiam necessariam, sed utrumque sufficientem; et *Leo* 9. Epistola ad Michælem Episcopum Constantinopolitanum c. 5., ait: suo primum tempore, hoc est ait, post Christi passionem 1020 annis cœpisse græcos damnare Ecclesiam Romanam, quod in azymis celebrant. Ratio est; quia ut ex traditione Ecclesiæ constat Christum instituisse pro materia sanguinis vinum commune album et rubrum sic ex eadem constat materiam instituisse panem. At panis nomen commune est azymo et fermentato, siquidem et panis azymus simpliciter panis dicitur in Scriptura, ut mox dicemus; ergo. Ex quo infert *Florentinum* Concilium quemlibet sacerdotem iuxta ritum suæ Ecclesiæ consecrare debere in azymo vel fermentato, unde infert *D. Thomas* hic ar. 4., peccare latinum sacerdotem, si in Ecclesia latina celebret in fermentato, et græcum similiter peccare, si in Ecclesia græca celebret in azymo; et *Suarius* quidem hic disp. 44. sect. 3. ad finem: ait latinum sacerdotem in Ecclesia latina non posse celebrare in fermentato, etiamsi quia azymus

panis deesset, moreretur proximus sine viatico. Ubi etiam addit latinos, si apud græcos versentur, posse eodem ritu celebrare, græcos vicissim, si apud latinos agant constanter, et non solum obiter apud eos diversentur iter faciendo, negotium aliquod breve expediendo etc. Secunda pars patet; tum ex facto Christi, qui, ut diximus, in azymo consecravit; ergo licet non præceperit, ut in solo azymo consecretur, siquidem illud præceptum (Hoc facite), impositum est quantum ad substantiam panis, ut scilicet ex vero pane conficiatur, non vero quantum ad qualitates, ut sit azymus vel fermentatus: tamen exemplum Christi ostendit manifeste licite et convenientius consecrari in azymo; tum ex consuetudine Ecclesiæ, quæ ut *Leo* 9. loco citato docet, in Ecclesia viguit; tum quia panis azymus convenientius significat puritatem et sanctitatem corporis Christi, vel eorum, qui ad hoc sacramentum accedere debent, et quam efficit hoc sacramentum iuxta illud *I. Corint.* 5. v. 6., 7., 9. Expurgate vetus fermentum; modicum fermentum totam massam corruptit, sicut e contra fermentum in Scriptura significat potius corruptionem, quam integritatem iuxta illud *Lucæ* 12. v. 1. Attendite a fermento pharisæorum etc.

Ad argumenta primæ sententiae: ad 1. et 2. patet ex dictis; ad 3., falsum est azymum non esse simpliciter panem; nam *Lucæ* 24. v. 13. et 30. Ipsa die resurrectionis duo discipuli cognovere Christum in fractione panis, ubi panis nominatur azymus, cum certum sit iis diebus nonnisi azymos fuisse in usu iuxta legem. Idcirco *Levit.* 7. v. 13. Scriptura in hostiis pacificis panem fermentatum offerri iubet, manifeste iudicans non eum solum esse panem, qui fermentum habet, sed et azymum. Quod vero græci aiunt panem *ἄρτος* dici a verbo *ἀπω*, quod est attollo, eo quod attollatur a fermento, ineptum est; ideo enim ab elevando dicitur, quia elevat nutriendo et augendo corpora. Ad 4. Expositio illa allegorica bene ostendit posse apte significari etiam per fermentatum Christum in Eucharistia contentum, non ostendit tamen necessario debere per illud significari.

Recte autem dicit *Anselmus* lib. de azymo non ideo nos iudaizare, quod sacrificamus de azymo, quia non ideo sacrificamus, ut legem veterem servemus, sed ut Dominum imitemur. Et si azymis uti iudaizare est, etiam iudaizare erit uti fermentato, quia et in veteri lege oblationes erant de pane fermentato, ut patet ex *Levit.* 7. v. 13.

ARTICULUS V. VI. VII. VIII.

An vinum vitis aquæ mistum sit materia Sanguinis Domini?

Certum est primo contra hæreticos aquarios, qui solam aquam consecrari volebant, vinum vitis esse materiam Calicis, ita Concilium *Florentinum* in Decreto *Eugenii*, *Tridentinum* sess. 13. cap. 1., Concilium *Carthageniense* 3. c. 24., habetur de Cons. d. 2. c. 5. In sacramento et habetur de Cons. d. 2. Cap. Cum omne. *Bracarense* 3. can. 1. et idem patres relati De Cons. dist. 2. can. 1. et sequentibus. Probat late *Cyprianus* Epistola 63. contra aquarios, et quidem ex figuris veteris testamenti, ut ex sacrificio Melchisedech ex illo *Gen.* 49. Lavabit in vino etc., ex illo *Psal.* 22. Calix meus inebrians, ex *Proverb.* 9. v. 5., bibite vinum, *Isai* 55. v. 1. bibite vinum et lac, et aliis, de quibus q. 73. ar. 6. egimus. Deinde ex eo, quod *Matth.* 26. v. 29. *Marci* 14. v. 25., post consecrationem statim ait Christus, a modo non bibam de hoc genimine vitis, in cuius loci expositione multum laborat *Claudius Repetit* 8. cap. 1. *Bellarminus* vero lib. 1. de Eucha. c. 11. ad 10. aperte negat, ibi sermonem esse de Eucharistia, unde concludit lib. 4. c. 10. non nisi Traditione Ecclesiastica constare Christum in calice vinum consecrasse. Denique huius institutionis congruentias afferunt Theologi ex effectibus vini roborantis, exhilarantis cor etc. Ex quo sequitur nec vinum ex malogranatis aut aliis fructibus nec acetum, nec agrestam esse materiam, cum non sint vinum, nec potus usitatus, quemadmodum dixi massam non esse materiam, etiamsi eiusdem speciei sit cum pane. Et eodem est ratio de aquato, mulso etc. Vinum vero non nihil acescens materia apta est. Idem de musto recens in calicem espresso docet *Julius* papa et Concilium *Bracar.* 3. can. 1. et iisdem verbis refertur de Cons. d. 2. cap. cum omne. Si necesse sit, inquit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur etc., ubi bene notat *D. Thomas* hic ar. 5. ad 3., id solum in necessitate permitti, extra necessitatatem vero prohiberi ob reverentiam sacramenti propter impuritatem musti. Vinum vero, quod omnino congelatum est, vel adhuc intra acinos contentum non est materia Eucharistiæ, cum non sit potabile, si tamen aliquæ solum partes concretæ sint, est materia sufficiens. *Suarius* disp. 45. sect. 1. putat vinum etiam plane congelatum esse mate-

riam; tum quia panis adeo durus, ut per accidens scindi non possit, est materia Eucharistiæ, ergo et vinum concretum gelu; tunc quia materia, quæ conservare potest sanguinem, sufficiens est, ut consecretur, sed quantumvis concrescat post consecrationem, manet sanguis, ergo. Et discrimen datur inter Baptismum, cuius materia non potest esse aqua congelata, et Eucharistiam, quia Baptismus in usu consistit, nec ablutio esse potest, si gelata sit aqua, Eucharistia autem in usu non consistit, sed in re practica, tales speculationes sequendæ non sunt in praxi, quicquid dicatur speculative.

Certum est 2. vinum, quod est materia Eucharistiæ, miscendum esse aqua, non quidem necessitate sacramenti, eo quod etiam sine tali mistione confici verum sacramentum possit, sed necessitate præcepti Ecclesiastici. Et primo, quod aqua misceri debeat, docet Concilium *Carthaginense* 3. can. illo 24. citato, *Bracarense* et *Florentinum* loco citato, *Tridentinum* sess. 22. cap. 27. Et *Alexander* primus relatus de Cons. d. 2. can. 1., a patribus acceptam hanc consuetudinem docet. Ex patribus et usu Ecclesiæ probant *Bellarminus* lib. 4. de Eucharistia cap. 10., *Fevardentius* in In. lib. 4. e. 57. v. 2. *Pamelius* in Cypriani Epistola 63. n. 40., ubi *Cyprianus* ex professo ostendit non solum vinum, nec solam aquam offerendam; exqua *Augustinus* 4. de doctrina Christi c. 21. ista adfert: Admonitos vos sciatis, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, ut calix vino mixtus offeratur; et de Ecclesiasticis dogmatibus c. 75. In Eucharistia non debet pura aqua offerri, sed vinum cum aqua mixtum. Similia habent *Iustinus*, *Damascenus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Chrysostomus*. Congruentes rationes adferunt Theologi. 1. ex *Ambrosio* lib. 5. de Sact. cap. 1. Quia nos in calice repræsentamus Christi sanguinem, ut effusum, sicut in pane Christi corpus, ut mortuum, in effusione autem sanguis et aqua ex latere Christi fluxere; ergo. 2. In mysterio Eucharistiæ significatur unio Christi cum Ecclesia, ut supra diximus ar. 1. dub. 1.; id autem aptissime fit, cum aqua admisceatur vino; vinum enim Christi sanguinem, aquæ populos significant. Sed potissima causâ huius est perpetua traditio Ecclesiastica. Nam ut in Concilio *Florentino* in decreto *Eugenii* dicitur, perpetuo observavit tam Græca, quam latina Ecclesia hanc mistionem; et imitatio Christi, qui calicem mistum consecravit, ut patet ex Concilio *Carthageniensi* et *Cypriano*, habetur de Consec. d. 2.

cap. 3. et 5., et aliis, quos refert *Suarius* disp. 45. sect. 2. dub. 3.

Quod vero hæc mistio non sit necessitate sacramenti, sed tantum ex præcepto Ecclesiastica, docent *Valentia* disp. 6. q. 2. p. 1. *Alanus* lib. 1. cap. 13. *Suarius* illo disp. 45. sect. 2., colligitur ex *Tridentino* sess. 22. cap. 7., ubi præceptum Ecclesiasticum dicitur, ut aqua vino misceatur, et a *Julio* papa, et Concilio *Bracarensi* de Cons. d. 2. can. 7. Cum omne: iuxta canonum præcepta dicitur id faciendum, ergo licet ad imitationem Christi misceat Ecclesia calicem, sicut etiam ad imitationem Christi utitur azymo, non tamen ex divino, sed Ecclesiastico præcepto est debita hæc mistio. At ea, quæ ex præcepto Ecclesiastico circa sacramenta statuta sunt, non spectant ad substantiam sacramentorum, quæ ex sola Dei institutione pendet, ut habet *Tridentinum* sess. 21. cap. 2., ergo. Ex quo bene inferunt doctores, quod licet mortale peccatum sit sine necessitate celebrare absque tali mistione, quia in materia gravi contra præceptum Ecclesiæ operaretur, et ideo *Honorius* tertius capite ultimo de Celebratione Missarum, iubet sacerdotem perpetuo privari beneficio et officio, qui sine vino et aqua sacrificabat; et in 6. Synodo can. 32., postquam Concilium attulisset exemplum *Iacobi* Apostoli de ritu consecrandi calicem ex aqua et vino, quod refertur de Cons. d. 1. can. 47. *Iacobus*; et *Concilium Carthaginense* 3. illo can. 24. citato addit, si quis secundum traditum ab Apostolis ordinem celebrat aquam vino non miscendo, deponatur. Tamen *Ledesma* et alii aiunt sacerdotem in necessitate, ne fraudarentur fideles tanto sacramento, defectu aquæ in solo vino celebrantem, non peccare mortaliter, et pontificem in hoc præcepto posse dispensare, quamvis vix esse possit iusta causa dispensandi.

Certum est 3. modicum aquæ miscendum esse, patet, tum ex Concilio *Florentino* in decreto *Eugenii*, ubi dicitur paululum aquæ affundendum et modicissimam aquam; tum quia *Honorius* 3. de Celeb. Missarum cap. 13. Perniciosum, ait abusum perniciosum esse, quod plus aquæ, quam vini ponatur in sacrificio, cum plus de vino poni debeat; et Concilium *Triburiense* habetur Tom. 3. Concilium Can. 19., iubet, ut duæ partes sint vini, quia inquit maior est maiestas sanguinis Christi, quam fragilitas populi.

Dubium I.

AN AQUA CONVERTATUR IN SANGUINEM.

Certum est apud omnes aquam saltem mediate converti in sanguinem, si scilicet tam exigua aqua affundatur, ut ante consecrationem illa transeat in vinum. Nam, ut *Innocentius* pontifex ait Cap. Cum Marthæ mox citando, et docet *Aristoteles* 1. de Generat. lex 39., modica aqua affusa vino vinum fit; sicut e contra inquit lex 42. si semper amplius et amplius affundatur aqua, tandem aqua fit ex vino; licet enim ignis, quia ignem producit æque activum, nec ipse debilitatur, semper in infinitum augeri potest, vinum tamen modica aqua affusa non potest similiter augeri, quia et vinum debilitatur aquam convertendo, et totum mistum debilius est, quam fuerit vinum initio. Nec obstat, quod quidam docent aquam vino mistam separari posse. Nam vel id non semper fieri potest, ut innuit *Cyprianus* Epistola 63. v. 38. vel certe post substantialem transmutationem aquæ in vinum separantur partes, in quibus dominatur virtus aquæ, quæ ubi primum separatae sunt a partibus vini efficacioribus, transeunt in humorem quemdam aquæ. Quod vero aqua et vinum convertantur in sanguinem; si videlicet aqua prius in vinum abeat, docent *Hieronymus* in cap. 14. Marci, *Ambrosius* lib. 4. de Sacra cap. 4. *Damascenus* lib. 4. c. 14. *Irenæus* lib. 4. c. 57. v. 2. Et hoc totum mistum dicitur morali modo vinum vitis, licet physice loquendo vinum ex aqua factum non sit vinum vitis.

Solum igitur difficultas est an aqua immediate convertatur in sanguinem, si tempore consecrationis nondum sit conversa in vinum?

Prima sententia est aquam immediate converti in sanguinem simul cum vino. Hoc *Alanus* lib. 1. cap. 13. certa fide tenendum esse ait. Idem *Iansenius* cap. 131. Concordiæ in fine Commentarii in illa verba: Hoc est enim corpus meum; et putat *Innocentium* cap. Cum Marthæ: hanc sententiam probabilem esse definivisse, quod scilicet aqua una cum vino convertatur in sanguinem, etiamsi vera sit physicorum sententia, quod aqua non convertatur in vinum. Fundamentum est partim illa *Innocentii* definitio, partim quia *Damascenus*, *Ambrosius*, *Irenæus* citati docent calicem vini et aquæ transire in sanguinem. Partim denique, quia aqua miscetur ab Ecclesia cum intentione et persuasione, quod ea possit in Christi

sanguinem converti, et quod communiter convertatur. At si existimatasset Ecclesia aquam non posse immediate converti in sanguinem, non poterat ex tali persuasione miscere, siquidem, ut ex Concilio *Triburiensi* dicebamus, tertia pars aquæ iubebatur affundi, quæ haud dubio tam cito non potuit in vinum verti; et idem accidit in casu, quo sacerdos immediate ante consecrationem adverteret se non affudisse aquam, et in casu, quo post sumptionem adverteret defuisse vinum et immediate affuso vino et aqua consecraret; tunc enim non est mora sufficiens ad conversionem aquæ in vinum.

Dicendum tamen est cum *D. Thoma* hic ar. 2. *Suario* disp. 45. sect. 4. aquam non converti in sanguinem, nisi prius convertatur in vinum, quod etiam docet *Alanus*, *Paludanus* etc. et alii relati a *Suario*. Et in Catechismo *Pii* 5. dicitur aqua, quæ affunditur, debere esse modicissima, quia doctorum iudicio illa aqua in vinum verti debet. Colligit *Suarus* ex *Tridentino* sess. 13. can. 2., ubi substantia panis et vini dicitur in corpus et sanguinem Christi transire, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini. At si aqua immediate transit in sanguinem, nec suffcienter explicasset Concilium materiam transsubstantiationis, nec recte dixisset panis dumtaxat et vini species manere, sed etiam aquæ species remanerent; ergo potius dicendum est, quod quemadmodum farinæ admiscetur aqua, nec tamen aqua convertitur in corpus Christi, nisi prius transeat in substantiam panis, ita similiter. Verum hoc non urget; Concilium enim loquitur de speciebus vini, ut abstrahit a vino et misto, sicut loquitur de speciebus panis, ut abstrahit a fermentato et azymo. Fundamentum ergo huius sententiae est authoritas *Innocentii* Cap. cum *Marthæ* de Celebr. Missar. §. Quæsivisti, ubi tres sententias hac de re numerat; verum ex illis eligit et ex illis ait probabiliorem esse, quæ docet aquam cum vino in sanguinem transire. At inter sententias relatas nulla dixit simplicem aquam immediate transire in sanguinem, sed tertia sententia solum dixit aquam transmutari, cum in vinum transeat mista vino; ergo hanc sententiam approbat pontifex. Loquitur autem illa tertia sententia de transitu aquæ in vinum, non illo, qui sola commistione constat, seu non de solo transitu, quo ad sensum, verum de illo, quem physicos quosdam negare ait, eo quod aqua separari possit a vino per artificium quoddam. Addunt alii: hoc sacramentum institutum esse a Christo in cibo et potu

apto ad nutriendum et alendum corpus, ut hoc modo effectus spiritualis huius sacramenti apte significetur per cibum et potum naturalem, efficientem nutrimentum corporale, ut ex Concilio *Florentino* etc. colligitur. At licet vinum nutriat, aqua tamen non nutrit, sed est vehiculum ad deferendum nutrimentum ad diversas partes, ut *Galenus* saepe docet; ergo. Verum haec ratio solida non est; nam *Aristoteles* 4. de Gen. Alim. c. 2. aquam quoque nutrimentum esse docet, et quemadmodum aqua converti possit in vinum, sique nutritre, ita non video cur, vi et activitate stomachi in chylum verti non possit et nutritre. Addit *Suarius*, quod si aqua immediate transiret in sanguinem, posset sola aqua esse materia sufficiens, sed id non concluditur; potuit enim ex divina institutione secus statui.

Ad fundamenta primae sententiae: imprimis *Innocentius* pro nobis facit, ut diximus, *Ambrosius* et alii solum docent aquam converti in sanguinem, non tamen explicant: an tunc solum cum in vinum vertitur, vel etiam ante, et ita aquam dicunt converti, non quod aqua formaliter manens convertatur, sed quod aqua remanens virtute in illo misto, quemadmodum elementa manerent in misto, convertatur. Ecclesia autem solum intendit hoc totum, quod in calice est, et ex Christi institutione converti debet in sanguinem, fieri sanguinem; si quid vero sit in calice, quod ex Dei institutione non debet converti in sanguinem, Ecclesia non intendit illud convertere, nec adorat illud latria, etiamsi in calice sit, ut patet cum palea, pilus, gutta mellis vel quid simile est in calice, aut in pane pars casei, etc.

Dubium II.

AN PRÆCEPTUM DIVINUM SIT UNAM SPECIEM SINE ALIA NON CONSECRARE?

Certum in primis est, quod si seorsim fiat consecratio, ita ut vel solus panis, vel solum vinum adhibeat, verum effici sacramentum, ut optime *Bernardus* Epistola 69. ad Guidonem, et bene probat *Suarius* disp. 43. sect. 2.; siquidem verba consecrationis unius speciei efficiunt, quod significant, etiam antequam consecratio alterius speciei proferatur. Deinde certe est præceptum Ecclesiasticum esse de consecratione sub utraque specie, quod qui negligeret, graviter peccaret, quia ut *Gelasius* ait de Cons. d. 2.

cap. 12. Comperiemus, divisio eiusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.

Solum igitur difficultas est: an consecrare sub utraque specie ita sit de iure divino, ut ne Ecclesia quidem possit dispensare circa hoc.

Prima sententia est *Ciaudii* Sanctii Repetit. 10. cap. 3. fol. 3776., qui citat *Albertum* dicentem expedire, ut in terris, ubi vinum non habetur, dispensemetur, quod corpus sine calice consecrari possit; et *Volaterranus* inquit, lib. 7. Geographiæ cap., de Saxonibus refert: Innocentium 8. id Norvegis concessisse. Idem placuisse *Tappero*, *Hesselio*, aliis, et quod *Cætanus*, inquit sacrilegium vocat panem sine vino consecrare, forte id ex lutteranis, sicut multa alia, imbiberauit. Favet *Navarrus* in Man. c. 25. n. 91., ubi vocat præceptum Ecclesiasticum consecrationem sub utraque specie; et *Bernardus* Epistola citata dubius in hac re fuisse videtur. Fundamentum est; tum quia integrum sacramentum est sub qualibet specie; tum quia Christus Dominus in Emaus sub una specie consecravit, ut constat ex *Lucæ* 24. v. 32. Ibi enim Eucharistiam confectam a Christo docent cum *Augustino* Tom. 4. lib. 3. de Consensu Evangelist. cap. 25.; et obscure innuit Epistola 59. q. 8., et alii, quos *Suarius* disp. 43. sect. 3. in prima sententia refert.

Dico tamen breviter de iure divino esse, ut sacerdos celebrans utramque speciem consecret, nec in eo posse dispensare Ecclesiam. Ita *D. Thomas* hic q. 80. ar. 12. ad 2. et 3. *Cætanus* ibi, *Suarius* hic. disp. 43. sect. 3., et quos ipse late refert, *Gabriel*, *Paludanus*, *Argentina*, *Hosius* etc. Estque meo iudicio, aperta sententia Concilii *Tridentini* sess. 22. cap. 1., ubi ait Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo obtulit ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, præcepit per hæc verba: hoc facite etc., ut semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit. Rursus sess. 21. cap. 1. Nullo inquit divino præcepto laicos et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum; ergo clericos confidentes supponit divino præcepto obligari. Ratio theologica est; nam Sacrificium corporis et sanguinis Christi non potest esse sine consecratione utriusque speciei, sed consecratio huius sacramenti perfici non potest sine sacrificio; ergo nec sine consecratione utriusque materiæ. Maior

patet; nam incruentum sacrificium Missæ essentialiter consistit in repræsentatione cruenti sacrificii mortis Christi, quæ per separationem sanguinis a corpore perfecta est, ut q. 83. ostendemus, et expresse docet *Tridentinum* sess. 22. cap. 1., habeturque *I. Corint.* 11. v. 46.: Mortem domini annunciatis etc. At hæc repræsentatio sine consecratione duplicis speciei esse non potest; propterea siquidem illa separatio sanguinis a corpore repræsentatur per consecrationem, quia ex vi verborum sub speciebus panis tantum ponitur corpus Christi, sub speciebus vini tantum sanguis; ergo.

Minor primi syllogismi probatur: nam, ut Concilium *Tridentinum* dicebat, illa verba Christi Domini: hoc facite, præceptum sacrificandi continent, ut semper intellexit Ecclesia; et ex contextu facile colligitur; siquidem Christus Dominus præcepit, ut id facerent, quod ipse fecit, seu quod in eius illo opere præcipuum fuit; illud autem fuit offerre se per sacrificium incruentum sub speciebus panis et vini; ergo etc.

Ex quo ulterius bene infert *Suarus* loco citato sect. 4., non posse pontificem in hac re dispensare, tum quia, ut *D. Thomas* docet 12. q. 97. ar. 4. ad 3. et pontifex fatetur cap. 6. Sunt quidam 25. q. 1.: In iis, quæ sunt iuris divini, nemo potest dispensare, nisi Deus, vel cui ipse specialiter committeret; tum quia in iis, quæ ad substantiam sacramentorum spectant, Ecclesia nil potest mutare, ut docet *Tridentinum* sess. 21. cap. 2. Sed licet non spectet ad substantiam Eucharistiæ, ut sacramentum est consecratio sub utraque specie, spectat tamen ad substantiam eius, ut sacrificium est, ergo.

Dices, Ecclesia dispensare potest in votis, etiamsi illa iure divino obligent, ergo similiter etc. Hoc nil urget; eodem enim argumento ostendi posset pontificem in iure naturali posse dispensare; nam obligatio voti solvendi est iuris naturalis. Respondent quidam cum *D. Thoma* 22. q. 88. ar. 10. Dispensationem duplē esse; unam propriam, qua relaxatur præceptum, cum alias validum esset, et haberet materiam debitam præcepto, et hoc modo neminem posse dispensare in lege, nisi superiorem ipsa lege, aliam impropriam cum declaratur hic et nunc deesse materiam debitam præcepto, proinde cessare præceptum, et hoc modo non relaxat, sed declarat Ecclesia aliqua vota non esse observandā, quia deest materia necessaria voti, quia scilicet illius observatio impedit maius bonum. Verum hoc non satisfacit; nam imprimis obligatio adim-

plendi votum non solum est iuris divini, sed etiam naturalis. At contra præcepta iuris naturalis non potest dispensare, ne quidem ipse Deus, ut docet *D. Thomas* 12. q. 100. ar. 8., si nimirum integra maneat omnia, quæ ad obligationem necessaria sunt. Deinde non videtur vere esse dispensationem voti solum esse declarationem, quod in tali casu non obliget; tum quia, ut optime ostendit *Vasquez* 12. disp. 178. cap. 2., sequeretur non solum superiorem, sed quemlibet doctorem posse declarando dispensare cum voto, ut si verbi gratia sciat in simplici voto castitatis dispensatum esse a Papa, eo quod qui voverat, stimulus carnis sentiret, posset quis secum et cum aliis declarando dispensare; tum quia si declarare esset dispensare, sequeretur pontificem posse etiam in iure naturali et divino dispensare, cum possit utrumque interpretari. Respondeo ergo: dispensationem non esse declarationem, qua superior declarat hic et nunc desinere verbi gratia materiam voti, sed esse licentiam quamdam, quæ conceditur, ut non obstante voto, quod emisit, facit contrarium, quæ licentia ut concedatur, licet subesse debeat causa aliqua, non est tamen opus, ut causa talis sit, quæ per se sufficiat obligationem voti tollere. In voto autem, etsi eius observatio iuris naturalis sit, propterea potest dispensare pontifex, quia ex natura rei oritur, ut is qui promisit, liberetur ab obligatione, si cui promisit, vel qui eius in hac re vices habet, consentiat, ne res sibi promissa solvatur. Unde dispensare in voto non est dispensare in iure divino, vel naturali, sed est auferre aliquid, quod ex natura rei necessarium est ad hoc, ut promissio obliget nimirum acceptationem eius, cui promittitur.

Ad 1. primæ sententiæ concedo integrum sacramentum effici in una specie; tota enim perfectio substantialis huius sacramenti in una specie continetur, tam ex parte contenti scilicet Christi Domini, qui totus est in qualibet specie; tam ex parte effectus, quia per quamlibet speciem datur eadem gratia, et eadem refectione spiritualis, quæ cibus et potus spiritualis est, ut supra diximus. In ratione tamen sacrificii non est integrum hoc sacramentum, si sub una specie consecretur; quia vero præceptum Christi est non conficiendum hoc sacramentum sine sacrificio, sequitur non posse confici in una specie.

Ad 2. *Iansenius* cap. 146. Concordiæ, *Suarus* disp. 43. sect. 3. ad 1. putat ibi Christum Dominum non distribuisse Eucharistiam, quod (ut omittam coniecturam Iansenii) ex eo mihi probabile fit;

nam discipuli illi de resurrectione Christi dubitabant et ad Eucharistiæ susceptionem non videbantur dispositi; nihilominus, inquit *Iansenius*, ex hoc loco probabile argumentum sumi potest ad unius speciei usum comprobandum; tum quia hunc locum antiqui Catholici de Eucharistia intellexere, unde patet illos credidisse sacramentum hoc sub sola panis specie conferri posse, cum sicut calicis non sit mentio, ita constet porrectum non fuisse ex eo, quod mox evanuisse dicitur Christus ab oculis eorum, tum quia hoc sacramentum cum sua efficacia saltem insinuatum fuit in hoc facto, quamvis non fuerit datum. Deinde esto, concedatur Christum potestate excellentiæ usum sub una specie consecrasse, ex eo tamen non sequitur licitum esse aliis id facere contra præceptum divinum.

Quod vero dicebatur Norvegis concessum esse, ut consecrent unam speciem, fabulas esse existimo; nec *Volaterranus* id dixit, sed solum ait concessisse *Innocentium* 8., ut calix sine vino consecraretur, quod concedi nullo modo potuit. Unus tamen casus occurrit, in quo sacerdos sine peccato unam dumtaxat speciem consecraret, nimirum si post consecrationem panis vel effundatur vinum ex calice, aut veneno infectum diffundatur, nec aliud haberi postea possit, vel advertatur ex inadvertentia naturali non fuisse, nisi aquam in calice, nec vinum habeatur; tunc enim impotentia excusat sacerdotem; et, ut *Suarus* illa sect. 4., eodem modo excusaretur, si post consecrationem panis sine evidenti mortis periculo non possit hærere in consecratione calicis.

Dubium III.

DE PRÆSENTIA ET MAGNITUDINE MATERIÆ CONSECRANDÆ.

Præsentia physica, seu mensura præsentiae moralis.

Dico 1. Ut aliqua materia valide consecretur, debet physica præsentia esse præsens toto tempore, quo profertur forma. Hoc probavimus q. 60. ar. 5. dub. 5., late *Suarus* disp. 43. sect. 5. Quia forma huius sacramenti ratione illius pronominis demonstrativi „hoc, hic“ significat materiam præsentem loco et tempore. Nam licet in speculativis pronomine huiusmodi possint absentia demonstrari intellectui, eo quod præsentia sunt intellectui, in practicis tamen id fieri nullo modo potest.

Quanta tamen esse debent hæc præsentia physica, mathematice non potest definiri; nam quod *Viguerius* in Institutionibus cap.

16. §. 3. n. 1. docet tantam præsentiam requiri, ut sonus verborum attingat materiam consecrandam, ridiculum est, et contra usum Ecclesiæ. Nam saltem cum cumulus hostiarum consecratur, certum est multas particulas sub aliis latentes non attingi illo sono, præsertim si valde submissus sit; in genere igitur solum dici potest tantam præsentiam sufficere et requiri, quanta sufficit et requiritur, ut iuxta communem usum hominum possit pronomine demonstrativo significari vel ratione sui, vel ratione alterius, cum quo sit unitate ordinis, vel cumuli, quare nec requiritur, nec sufficit, ut quis videre possit materiam consecrandam, siquidem *Soto* 4. d. 2. q. Unica ar. 2. concl. 1., ait se novisse Episcopum cæcum, qui Tridenti quotidie celebrabat ex dispensatione papæ, et in cumulo hostiarum multæ sub aliis delitescentes videri non possunt. Contra vero multa a longe videre possumus, quæ per pronomen „hoc“ demonstrare non possumus. Ex eodem principio intelligitur hostiam trans parietem subtilem vel in arca occlusam non posse consecrari; quæ enim sunt ultra parietem, nemo præsentia dicit. E contra vero etiam quæ post tergum sunt, ut assistentes famuli præsentes dicuntur et sine capitinis versione possunt digito mostrari, sicut et cumulum panum etc. Quod si quando dubium esset: an ratione præsentiae consecratio valida esset, species reverenter essent tractandæ.

Dico 2. Nulla est adeo parva quantitas panis et vini, quæ, si retineat formam panis et vini, non posset consecrari. Ita *Soto* loco citato concl. 2. Probatur: materia Eucharistiæ est substantia panis et vini, ergo ubique est vera substantia panis et vini, est vera materia, ergo. Confirmatur. Quantitas, quæ est sufficiens ad conservandum corpus Christi, est sufficiens, ut sub illa primo producatur, cum ad utrumque eadem omnino sint necessaria; sed corpus Christi conservari potest sub quacunque minima quantitate, (sive coniuncta aliis partibus, sive non), sub qua conservari potest substantia panis, cum, ut postea dicemus, non desinat corpus Christi esse sub speciebus, nisi quando substantia panis non possit conservari; ergo sicut substantia panis non desinit per divisionem in partes insensibiles, ita etc. Nec est par ratio de Baptismo, cuius materia non potest esse quælibet aqua insensibilis; nam in Baptismo debet esse ablutio, quæ non fit per aquam insensibilem, ac proinde materia Baptismi est aqua apta abluere, at vero materia Eucharistiæ est ipsa substantia panis et vini secundum se, et non ut exercetur

actus aliquis hominis circa illam. Est enim hoc sacramentum permanens, et verum sacramentum, licet nemo illo utatur. Pars autem insensibilis panis natura sua sensibilis est, et habet qualitates aptas terminare sensationem gustus, tactus aut etiam visus, quod satis est ad rationem sacramenti, etiamsi per accidens ratione parvitatis vel distantiæ sentiri non possit. Unde non probo, quod *Suarius* illa disp. 43. sect. 7. docet: in quantitate tam parva, quæ sensu percipi non posset, non posse confici hoc sacramentum.

Dico 3. Materia Eucharistiae nullum habet terminum magnitudinis, vel multitudinis secundum se, nisi aliunde ratione absentia impedimentum ponatur. Ita *D. Thomas* hic ar. 2. *Soto*, *Suarius* et alii ubi supra. Probatur; nam si quis esset terminus magnitudinis materiae Eucharistiae, vel desumeretur ex natura panis et vini, vel ex fine institutionis, scilicet ex usu fidelium, vel ex eo, quod sphæra activitatis agentium sit limitata, vel demum ex eo, quod si magna esset quantitas, non essent præsentes omnes partes panis. Non ex primo; nam panis et vinum nullum habet terminum magnitudinis, sicut nec aliæ res homogeneæ, ergo cum substantia panis et vini, quæ sunt materia Eucharistiae, possint esse sub quavis magna quantitate, potuit et Eucharistia. Non ex secundo; nam ex usu fidelium potius contrarium celligitur, ut ait *D. Thomas*; nullus enim est certus numerus fidelium utentium Eucharistia, quin maior esse possit. Non ex tertio; nam verba consecrationis concurrunt per potentiam obedientiale, non naturalem, hæc autem, quatenus subest concursui divino, nullam certam sphæram activitatis habet. Nec ex quarto; demonstrari enim potest, quantumvis magna materia, dummodo habeat unitatem ordinis vel cumuli, cum alia parte physice præsenti, quomodo montem ingentem demonstramus. Et id, quod de consecratione panis dico, dicendum etiam est de consecratione calicis, si in consecratione calicis nomen calicis accipiatur absolute pro vase, quo vinum includitur, non præscribendo tantam vel tantam mensuram. Aut si hæc vox: calicis non sit de essentia formæ, cum *Math.* 26. v. 28. in forma consecrationis prætermittatur, et solum dicatur: hic est enim sanguis, etc. Addit tamen *D. Thomas* peccare sacerdotem, qui magnam quantitatem sine necessitate consecraret et propter irreverentiam, et propter contrariam Ecclesiæ consuetudinem. Deinde notat *Suarius* disp. 43. sect. 5. in fine, et sect. 8. concl. 2., posse esse tam magnam rem ut quædam eius partes moraliter non censeantur præsentes; nam si

cui pars maris, vel arcis præsens sit, licet illa continua sit cum aliis partibus, non dicitur tamen totum mare, tota arx præsens esse. Ac proinde ex hoc capite fieri possit, ut non quælibet magnitudo possit consecrari.

Circa intentionem vero ministri consecrantis præter ea, quæ supra q. 64. dub. 2. diximus, recte docet *Suarius* disp. 43. sect. 6., necessarium esse, ut materia consecrationis subsit determinatæ intentioni actuali vel virtuali sacerdotis, id est, ut intentio feratur in determinatam materiam, et non in materiam vagam, nam si quis vellet tantum in confuso, medietatem hostiæ consecrare, non determinando illam, neutram partem consecraret. Ratio est; nam illa intentio non sufficit ad efficiendam consecrationem, sub qua quælibet hostia, vel quælibet pars eiusdem hostiæ, simul et æqualiter includitur et excluditur, nec est maior ratio, cur una includatur potius, quam excludatur. Sed talis est intentio vaga sacerdotis; quælibet enim pars potest esse inclusa et exclusa ab illa intentione, ergo. Ubi et illud bene notat *Suarius*, si quis plures hostias detulit ad altare consecrandas, etiamsi tempore consecrationis non recordetur illarum, dummodo actu expresso, non excluderit illas manere consecratas. Vinum vero, quod in pede calicis, vel ad latus hæret etiam interius, non consecrari; intentio enim sacerdotis ferri debet in consecrationem eius, quod in fundo est contingens, vel continuum, non vero, quod in latere est non mistum aquæ.

Quæstio LXXV.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI.

ARTICULUS I.

An in hoc sacramento sit vere corpus Christi?

Longissima ne inutilis hic posset institui disputatio contra sacramentarios; verum quia validis ictibus eorum errorem iam pridem elisere *Bellarminus* Tomo 2. Controversiarum, *Claudius Sanctius* in 10 illis suis Repetitionibus de Eucharistia, *Gregorius*, *Valentia*, *Suarius* et alii in hunc locum *D. Thomæ*; nos in eorum erroribus refutandis hoc loco brevissimi erimus.

Dubium I.

AN VERE ET REALITER PRÆSENS SIT CHRISTI CÖRPUΣ IN HOC SACRAMENTO?

Calvinus, *Beza* et cæteræ pestes, quamvis more iam olim usitato hæreticis, ut notat *Irenæus* præfat. lib. 1. contra hæres. n. 12., similia nobis loquantur, dissimilia tamen sentiunt; simpliciter enim negant veram et realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia, quamvis aliud verbis indicent. Nam *Calvinus* lib. 4. c. 17. n. 5. docet carnem Christi manducare non esse solum credere in Christum, et quemadmodum non aspectus, sed esus panis corpus alit, ita animam vere participem fieri corporis Christi. Et addit n. 10. Symbolis externis rei signatam veritatem adesse. Et n. 19. Non sola imaginatione, aut mentis intelligentia, sed re ipsa percipi corpus Christi, et *Beza* Epistola 4. Theologica contra Adrianum quendam, qui in cæna non ipsum Christi corpus, sed eius symbola et fructum percipi dicebat, multis contendit ipsum corpus Christi sumi, cum Christus non dixerit: Hoc est monumentum vel virtus corporis mei, sed hoc est corpus meum. Et concludit: non magis tolerabiles esse, qui Christi ipsius communione exclusa, quique fructus ex eo ad nos pervenire posse doceret, quam qui traderet cibo et potu non sumptis corpus nutririri, et pharmaca mederi iis etiam, a quibus non sumuntur. Et Epistola 5. Theologica ad *Alamanum* Verba, inquit, illa, quod pro nobis tradetur, necessario eo te adigunt, ut de ipsa corporis et sanguinis substantia hoc intelligere cogaris, quod ut planissime intelligas, age pro his vocibus corpus et sanguis, substituamus illam interpretationem et dicamus. Hoc est efficacia mortis meæ, quæ pro vobis tradetur; quid ineptius hac oratione! Quod si id ipsum sumi iubet Dominus, quod tradidit et effudit pro nobis, necesse est fatearis credentes fieri ipsiusmet participes. Postea respondet *Beza*, quomodo illud: caro non prodest quicquam intelligatur, ut inferius dicemus. Quæ omnia significare videntur veram corporis Christi præsentiam; verum non ita est. Negant enim corpus Christi vere præsens esse, ideo *Beza* partim Epistola illa 5, partim Epistola 76., a loco, inquit, in quo cænam celebramus, tam procul tunc abest corpus Christi, quam abest cælum a terra; et *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 24. 10. etc., nos et corpus Christi toto cæli et terræ spatio dissitos et remotos esse ait. Quomodo autem sumere possimus ipsum corpus Christi, quod

præsens non est, explicare volens *Calvinus* illo lib. 4. c. 17. v. 24. ait: Christum tam extero symbolo, quam specie sua descendere ad nos, ut substantia carnis suæ animas vivificet; et n. 31. Non illum descendere sed nos ad se evehere, quia ut ait *Beza* Epistola illa 5. fides nostra in cælum usque evehitur, ut Christum quam efficacissime apprehendat. Demum quia videbat *Calvinus* hæc omnia rem non expedire, ait n. 24., nihil esse magis incridibile, quam hoc suum dogma, quod scilicet res toto cæli et terræ spatio dissitæ et remotæ, in tanto locorum distantia non solum coniungantur, sed et uniantur; ita nimirum falsus se involvit et evertit veram ac realem præsentiam tollendo.

Fundamentum est 1. Ex Scriptura sacra, quia Christus iam ad cælos ascendit, ubi mansurus est usque ad diem iudicii, ut habetur *Act.* 3. v. 21.; ergo non est in Eucharistia, quo argumento aiunt. Christum *Ioan.* 6. v. 63. ostendisse se non dicere carnem suam apud nos fore præsentem, quod dicit: Ne scandalizemini, quod hæc dixerim vobis, cum enim cælos ascendero, tunc quia non amplius ero in terra; (iuxta illud *Matth.* 26. v. 11. Me non semper habebitis vobiscum); intelligitis me non loqui de præsentis carnis manducatione. Et confirmatur; nam eodem *Ioan.* 6. v. 64. explicans Christus, de qua manducatione carnis suæ loquatur, ait: Spiritus est, qui vivificat, caro non potest quidquam, ubi ostenditur carnem non esse reipsa sumendam, sed spiritualiter intelligenda verba Christi et ut mox dicemus, verba quoque Christi in ultima cæna prolatæ figurate accipi debere contendimus. 2. Argumentum est ex Patribus, qui aliquando Eucharistiam corporis et sanguinis Christi figuram esse docent, ut *Tertullianus* 4. contra *Marcion.* c. 40. n. 662., *Augustinus* in *Psal.* 3. initio. Alias docet *Augustinus* in *Psal.* 98. (in illud: adorate scabellum etc.) Non hoc corpus, quod videbant discipuli, nec illum sanguinem, quem fusuri erant inimici, sumptuosos discipulos, sed sacramentum. Et Epistola 23. sub finem: Eucharistiam corpus Christi dici secundum quendam modum, quo sacramentum fidei fides dicitur; et 21. de Civit. c. 25., negat manducare corpus Christi eos, qui non sunt in corpore Christi, at manducarent, si corpus Christi realiter præsens esset; ergo. 3. De doctrina Christiana c. 16.: Nisi manducaveritis carnem etc., facinus et flagitium videtur iubere, figura est; et Tomo 6. lib. contra Adimant. c. 12. Hoc est corpus meum, dixit, cum signum et figuram daret. 3. Argumentum a ratione sumitur; quia

est contra rationem corporis, ut sit simul in pluribus locis, ut magnum corpus, in quo organa omnia humani corporis distincta sunt, exigua hostia contineatur. Confirmatur; qualis est alimonia et eius finis, talis debet esse modus percipiendæ alimoniae. Sed corpus Christi est spiritualis alimonia, non corporalis, et eius finis esconiunctio spiritualis cum Christo; ergo. Confirmatur 2. Signum et memoriale non est, nisi vi absentis. At Eucharistia est signum et memoriale corporis Christi iuxta illud: Hoc facite in meam commemorationem; ergo.

Dicendum tamen est substantiam corporis Christi vere et realiter præsentem esse in sacramento Eucharistiæ, quam veritatem Catholicam latissime probant contra novatores *Bellarminus* libro quidem 1. de Eucharistia ex Scripturis, libro 2. ex Patribus singularum ætatum, libro 3. ex ratione ostendendo possibilitatem et convenientiam huius rei, *Valentia* 3. p. disp. 6. q. 3. puncto 1., *Suarus* 3. hic. disp. ub., *Claudius Sanctius*, *Alanus* et quam plurimi alii. Probatur vero breviter 1. Ex Scripturis, quæ quidem ^{Ex Scriptura.} triplices sunt; quædam, in quibus hoc sacramentum promissum est; aliæ, in quibus institutum; ultimæ, in quibus usus sacramenti iam instituti explicatur; ex quibus omnibus facile hæc veritas comprobatur. Nam in primis Christus Dominus ante huius sacramenti institutionem præparare volens animos discipulorum, promiserat hoc sacramentum corporis sui se daturum, *Ioan.* 6., ubi tamen antequam verba faceret hac de re, admirabilibus operibus fidem præstruens rebus admirabilioribus, quas præmissurus erat. Satiat primum 5. panibus 5. millia hominum, super aquas ambulans *Ioan.* 6. v. 11. 19. tum deinde *Ioan.* 6. v. 52. 56. Panis, quem ego dabo, caro mea, caro mea vere est cibus, qui manducat meam carnem etc. Ex quo loco, ut efficax sumatur argumentum duo probanda sunt. 1. Eo loco sermonem esse de hoc sacramento, seu de vera et reali manducazione, non vero de manducazione per solam fidem. 2. Eo loco de vero corpore, non de signo corporis Christi sermonem esse. Primum patet; quamvis enim initio illius capituli sermo sit de fide in Christum de qua *Augustinus* Tract. 25. in *Ioan.* post medium et refertur de Con. d. 2. cap. 47. ut quid paras ductum et ventum, crede et manducasti; et Tract. 26. initio, et refertur de Con. d. 2. cap. 59. Credere in eum, hoc est manducare panem, vinum: tamen postea a versu 48. sermonem esse de manducazione corporis reali clarissimum est. Tum quia Patres

omnes, utpote *Basilius*, *Chrysostomus*, *Cyrillus* uterque, *Damascenus*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Tertullianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus* et alii, quos late referunt *Bellarminus* lib. 1. cap. 5., *Suarius* loco citato sect. 2., præcipue vero *Toletus* *Ioan.* 6. v. 25. 33. *Maldonatus* ibidem n. 53. *Valentia* illa q. 3. p. 1. §. 4. et quæst. 8. p. 5. §. 4. *Sanctius Repetit.* 6. cap. 5., id docent, et *Augustinus* Tom. 4. lib. 3. de Consensu Evang. c. 1., iccirco ait *Ioannem* non meminisse institutionis Eucharistiae, quia ante copiose fuerat de ea locutus, quod si qui Patres cum *D. Thoma* hic q. 65. ar 4. ad 2., q. 80. ar. 9. ad ultimum locum illum de spirituali manducazione intelligent, non iccirco tamen negant etiam de reali manducazione intelligi posse ac debere, sed ut *Toletus* notat Annot. 25. in *Ioan.* 6., significare volunt Christum loqui de manducazione salutari corporis sui, quæ non est sine spirituali manducazione. Et id clarius patet ex lib. 21. de Civit. cap. 25. Tum quia novam corporis sui manducazionem promittit Christus, quam nondum ante dederat vel Apostolis, vel Patribus. Ideo enim verbo futuri temporis: Dabo utitur et addit: Non sicut manducaverunt patres manna etc. Atqui per fidem etiam veteres una cum Apostolis biberant de spirituali petra Christo, cum non fuerit aliud nomen, in quo salvari potuerint. Ergo caro Christi, quatenus ut obiectum creditum est causa alimenti spiritualis, data iam erat antiquis. Tum quia litigant iudæi, quomodo Christus potest carnem suam dare, quod intellexerint aliquid novum et difficilius a Christo dici, quam solum esum per fidem, eorum vero intelligentiam Christus non correxit, sed potius magis explicando suam doctrinam: Nisi manducaveritis, inquit etc., et: Caro mea vere est cibus. Tum quia, ut *Augustinus* dicebat, divus *Ioannes* non omisisset mentionem huius sacramenti in ultima cæna, nisi actu de eo egisset. Tum quia si hæc verba non intelligentur de Eucharistia, ex Scriptura non constabit Eucharistiam esse sacramentum, quia nusquam alibi extat missio de gratia conferenda sumentibus Eucharistiam, imo nec de eius usu usquam extat alibi præceptum. Nam quod *Lucæ* 22. v. 19. legimus, explicans *Pauli* I. Corint. 11. v. 25. ait Christum præcepisse, ut quoties hoc facimus, in sui memoriam faciamus, quæ forma loquendi non tam usum præcipit, quam potius, quod utamur modo, quo utendum sit præscribit. Ipsi etiam novatores cum usum Calicis urgent, utuntur hoc loco *Ioan.* contra nos; ergo fatentur hic sermonem esse de Eucharistia.

Tum denique quia Concilium *Ephesinum* 1. Tom. 1. Concil. fol. 605. in Epistola ad *Nestorium* in incruento Ecclesiæ sacrificio vivificationem et Verbi propriam carnem nos sumere, ex illo *Ioan.* 6. probat, septima vero Synodus Tom. 3. Concil. fol. 153. In incruento sacrificio non imaginem corporis Christi sumi ex iisdem verbis probat. Idem Concilium *Tridentinum* sess. 13. cap. 2. Concilium Viennense, et *Clemens* in *decret.* de reliquiis et veneratione sanctorum, Circa medium, ubi illa, si quis comederit ex hoc pane, vivet, de Eucharistia dictum ait, sicut de ligno paradisi dictum erat: Quacunque die comederitis etc. Alia vero argumenta habet *Toletus* Annot. 25. v. 5. 6. *Ioan.* in fine quibus id probat. Sed hæc mihi firmiora. Secundum vero, quod ibi de vero corpore, non de eius figura sit sermo, docet septima Synodus loco citato ex omnium antiquorum Patrum intelligentia, et patet. Tum quia siccirco hunc cibum præfert Christus mannæ, quæ tamen et ipsa figura erat corporis Christi, quod hic non figura, sed vera caro detur. Tum quia licet nomen rei figuratae imponi possit signis, tamen particula *Vere*, quam Christus addit, vim habet significandi illam propositionem, in qua additur, non intelligi ratione repræsentationis, quæ est in eius signo, sed secundum veritatem, unde licet statuam *Platonis* vocare possim *Platonem*; dicere tamen non possum *Platonem* vere esse lignum, tametsi statua *Platonis*, quam *Platonem* vocamus, vere sit lignum, ergo similiter Christus non potuit dicere carnem suam vere esse cibum, sanguinem vere esse potum, ex eo, quod signa carnis et sanguinis vere sint cibus et potus. Tum quia, ut *Augustinus* ait 3. de doctrina Christiana c. 10., verba Scripturæ proprie intelligenda sunt, cum non constat aliunde figuram inesse illis, alias nil certi esset in Scriptura. Tum denique quia discipuli, qui audientes verba Christi dixere, durus est hic sermo et abierunt, de vera et reali ipsius corporis Christi mandatione intellexerunt illa verba, siquidem in mandatione signi corporis vel in mandatione per fidem nulla maior difficultas potuit ab eis apprehendi, quam in actu credendi Christo, vel in actu comedendi panem; nec Christus eorum intelligentiam redarguit, ut debuisse, si scandalum ortum vidisset ex intelligentia mala figurati et obscuri sermonis. Et haud dubie fecisset, qui enim pro ove quærenda cælo descendit, tantum laboravit, an putandus est unico verbo, cum posset tantum scandalum eximere, dicendo se spiritualiter dare corpus, non fecisse;

sed potius approbat eorum intelligentiam subdens: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis etc., quasi dicat, ut explicat *Chrysostomos* et *Toletanus* in Ioan. 6. Annot. 32. *Suarius* sect. 2., Si nunc tam incredibile videtur vobis, ut carne mea vescamini, quanto minus creditis vos in terra carnem meam sumpturos, si me cælos ascendentem videritis, quasi prædicens, quas tragœdias moturi essent homines de Eucharistia ob illam ipsam, quam in symbolo profitentur Christi ascensionem. Vel ut *Augustinus*, *Cyrillus*, *Toletanus* in expositione illorum verborum et alii exponunt: Etiamsi me cælos ascendere videritis, si meam agnoveritis divinitatem, non creditis modum me habere, quo sine horrore manducari faciam carnem meam? Et quæ de potestate verborum institutionis mox dicemus, huc quoque possunt accommodari. Ex quibus evidens est, Christum ibi promisso veram et realem sui corporis manducationem in Eucharistia. Nec obstat, quod aliqui negent, si eo loco sermo sit de Eucharistia, fore, ut quicunque Eucharistiam sumat, salvetur, et parvulis etiam necessarium sit hoc sacramentum. Nam illæ promissiones: Si quis manducat, vivet in æternam, qui crediderit salvus erit 1. omnis, qui invocat nomen Domini, salvus erit, *Ioel* 2. v. 32. *Act.* 2. v. 21. *Rom.* 10. v. 13. etc., tacitam conditionem involvunt, si videlicet aliunde impedimentum non ponatur. De necessitate vero huius sacramenti late egimus q. 73. ar. 3. ubi diximus vel illam necessitatem ad eos spectare, qui probare se possunt iuxta dictum *Apostoli I. Cor.* 11. v. 28. vel de necessitate in voto debent explicari. Confirmatur; nam figuræ necessario debent esse inferiores veritate, sicut umbra inferior est corpore, ut constat *Coloss.* 2. v. 17. *Heb.* 10. v. 1. At figuræ Eucharistiæ vel excellentiores sunt, vel non inferiores pane simplici ac naturali, ut patet discurrendo per figuræ, quas supra q. 73. ar. 3. retulimus, ergo. Unde recte *Hieronymus* in cap. 1. ad Titum: Tantum, ait, interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem etc.

*Secundus
locus Scrip-
turæ ab
institutione.*

Probatur deinde hæc veritas ex Scriptura, in qua institutio huius sacramenti continetur. Ut enim Christus Dominus *Matt.* 19. v. 4. de matrimonio disputans et divertium ex Scripturis comprobantes ex ipsa matrimonii institutione refellit, ita nos adversarios ex iis, quæ in institutione Eucharistiæ gesta legimus, convincemus. Igitur *Matt.* 26. v. 26. *Marci* 14. v. 22. *Lucæ* 22. v. 29.

Christus hoc sacramentum instituens: Hoc est, ait, corpus meum, quod pro vobis datur, vel ut *I. Corint.* 11. v. 24. habetur, quod pro vobis tradetur, quibus verbis ne fingere quidem possumus clariora, quibus uti poterat Christus absque battologia ad significandum id, quod nos credimus. Verum quia, ut *Augustinus* ait 3. de doctrina Christiana c. 10. Cuius animum præoccupavit erroris alicuius opinio, quidquid aliter asserit Scriptura, figuratum arbitratur. Iccirco moderni hæretici tam multas in paucis verbis figuras excogitarunt. Ita minirum ingeniose obstinata est humana mens ad detorquenda et eludenda Dei verba, quæ captum superant; omnia enim pervestigans ac comparans, quamdiu potest, contradicit. Cuius rei ut plura exempla omittam, quæ *Psal.* 77. v. 20. *Num.* 11. v. 22. et alibi passim, unum *Abrahæ* factum videamus: promisit ei Deus semen, *Gen.* 12. v. 37., sed effatam ille uxorem considerans ad spiritualem et figuratam intelligentiam verba deflectit et de semine adoptato Eliezer interpretatur *Gen.* 15. v. 2. 3. Deus ut hunc scrupulum eximat, subdit *Gen.* 15. v. 4. Non hic erit hæres, sed qui egredietur de utero tuo. Credit Deo sed ob naturæ difficultatem longe a proposito Dei aliorum verborum Dei exitum quærit. Ut enim et Dei verbum impleretur et omnis rationis ac naturæ perplexitas solveretur prundentiæ carnis, Saræ sterilis instinctu *Gen.* 76. v. 2. ex ancilla suscipit prolem. Sed qui comprehendit sapientes in astutia docuit primum Saram malum adversus Deum consilium, consultori pessimum insolescere passus ancillam, tum demum *Gen.* 17. v. 19. diserte ex Sara prolem prædixit Deus. Quod promissum ridet Sara *Gen.* 18. v. 10. quia naturæ leges violari putabantur. Adeo multum erratur, ubi naturæ imbecillis legibus Dei promissa librantur. Varie enim primum Dei verba numeratis etiam syllabis mutatisque ad humanos sensus detorquentur, et cum non habetur, quo veritati resistatur, cachinnis et iocis legitima interpretatio eluditur. Idem omnino in paucorum istorum Christi verborum interpretatione faciunt novatores. Nam *Claudius Sanctius* Repetit 1. de Eucha. c. 10., anno 1575 harum paucarum vocum 84 diversas expositiones, *Chrysophorus Rasperger* libello de hac ipsa re edito *Ingolstadii* an. 1577. ducentas horum verborum expositiones collegerunt ex novatorum scriptis. Et *Zwinglius* quidem a nocturno monitore doctus metaphoram inesse putat in verbo „est“, vel in nomine „Corpus“, ut scilicet „est“ pro significat aut corpus pro figura corporis sumatur, *Lutherus* synecdochen, qua

A pleno et
obvio sensu
ad figurarum
fabulas con-
vertuntur,
lucemque in
meridie tortis
interpretatio-
nibus obum-
brant.

pars hoc est corpus, quod sub pane est, pro toto ponitur. *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 21. metonymiam, qua nomen symboli rei significatæ tribuitur. Miratur vero *Schlusselberg* lib. 1. Theolog. *Calvin*. ar. 22. fol. 114., quod nemo adhuc repertus sit, qui ironiam Christi verbis inesse dixerit, ut sic omnes 4. tropi parvi panis in verbis cænæ reperirentur. *Saduel* lib. de *sacramenti* manduc. cap. 4. fol. 134. hunc tropum ait esse sacramentalem, id est ut ego interprætor fictum innominatum omnibus dicendi magistris incognitum. Fundamentum illorum est 1. Quia multæ similes locutiones in Scriptura, ut septem boves sunt septem anni *Gen.* 41. v. 26. Septem capita septem montes *Apoc.* 17. v. 9. Petra erat Christus *I. Cor.* 10. v. 4. agnus est phase *Exod.* 12. v. 11. Circumcisio est pactum, *Gen* 17. v. 13. 2. Quia verba illa sacramentalia sunt, ergo sacramentaliter intelligenda et figuratae. 3. Quando duæ substantiæ primæ de se mutuo prædicantur, figurata est locutio. At hic de pane prædicatur, quod sit corpus Chrssti, ergo. 3. In voce Calicis figuram inesse negari non potest, cum *Lucæ* 22. v. 20. *I. Cor.* 11. v. 25. dicitur Calix vocem testatur in meo sanguine, ergo similiter et in voce Corpus figura erit.

Verum illa Christi verba proprie intelligi debere et non figurate probatur 1. Ex 7. *Synodo Generali Act.* 6. Tom. 3. Concil. fol. 153. Edit. Colon. anno 1567.: Lege quoscunque velis, ait Concilium nunquam invenies neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incuruentum illud sacrificium, quod a sacerdote offeratur, figuram et imaginem dixisse, verum ipsum corpus, ipsum sanguinem etc. Nam licet, ut mox dicam, aliquando figuræ nomen usurpent Patres, cum de hoc sacramento loquuntur, nemo tamen dixit solam figuram esse. 2. Si tropos et figuræ pro libitu in aperta Christi verba inferri liceret, inprimis brevi omnis religio in fabulas abibit. Nam cum *Hymeneo*, quæ de corporum resurrectione dicuntur, ad spiritualem resurrectionem referuntur, cum *Ario*, *Nestorio* etc. divinitas Christi eluditur, deinde nunquam certo constare poterit, quæ aut qualis figura his verbis insit; æque enim facile erit hunc ac illum tropum inferre.

Iccirco Tom. 7. lat. Edit. *Bellarminus* an. 57. fol. 384. In defensione verborum cænæ: perinde facere ait sacramentarios, ac si quis negans cælum et terram a Deo creata, ita illa verba *Genes.* In principio etc. exponeret, Deus, id est Cucus, creavit, id est devoravit, cælum et terram, id et currucam cum plumis et ossibus;

vel si quis negaret Verbum carnem factum, et illa *Ioannis* verba: Et verbum etc. ita exponeret; Verbum, id est baculus curvus, caro id est milvus, ut sensus dicti Ioannis sit: Baculus curvus factus est milvus. Et deinde magno plausu gloriaretur probari non posse Deum condidisse cælum et terram. 3. Ad hominem id probari potest; nam si lutherani figuram in verbis cænæ admittunt, frustra proprietatem verborum urgent contra calvinistas, cum ipsi fatentur, figuratam esse locutionem, nec ex Scripturis constet, quæ illi figura insit. Contra vero *Bеза* et *Calvinus* ex eo, quod Christus non dixit: hæc est figura, hic est fructus corporis mei, non bene urgent ipsum corpus Christi vere et realiter, ut *Calvinus* loquitur lib. 4. c. 17. v. 33., sumi in Eucharistia, si figuram in iis verbis admittunt; æque enim facile est unam ac aliam figuram verbis affingere, cum ex Scriptura nihil habeatur de figura horum verborum. Unde non loquitur consequenter *Calvinus*, cum ex una parte metonymiam hic agnoscit, ex alia parte verum Christi corpus sumi a nobis contendit, licet addat: id tantum spiritualiter sumi. At si hic corpus non accipitur proprie, nullo ex loco colligitur vere sumi corpus Christi. Sin pro vero corpore sumitur, illud suum: spiritualiter, tantum *Calvinus* e suo cerebro in Scripturam infert, in qua hoc non habetur. Deinde impossibile est ipsam substantiam corporis Christi sumi, nisi adsit; at *Calvinus* illam sumi ait. 4. Ab absurditate argumentorum, quibus adversarii probant figuram inesse his verbis; nam si ex eo, quod aliquando signum pro re signata sumitur, recte sequitur etiam hic id fieri: ergo eadem ratione inferunt manichæi: Verbum ideo dici carnem, quia figuram carnis referebat, cum *Genes.* 18. v. 2. Angeli viri nominantur, eo quod figuram viri referebant. Inferunt ariani has propositiones: Verbum est Deus, Ego et Pater unum sumus, figurate intelligendas, et cum in lege veteri bos vel agnus offerri iubebatur, id de agno metaphorico intelligendum, siquidem sæpe agni nomen hoc modo sumitur. Eodem modo olim *Nestorius* et alii eludebant Scripturas, in quibus Christus Deus dicitur; et tamen ex sola huiusmodi verborum proprietate damnavit olim Ecclesia istos, reiectis, quas ad libitum fingebant troporum nugis. Denique *Lutherus* illo Tomo 7. In defensione verborum cænæ fol. 386., paulo crassius ad hoc argumentum respondens, ait: si ex uno particulari licet ad aliud argumentari, probari potest *Saram* matriarcham virginem fuisse, quia Christi mater sanctissima fuit

virgo; et *Pilatum* fuisse Apostolum, quia *Petrus* fuit Apostolus. Deinde addit Christum a *Paulo* dici petram, sed spiritualem petram; petra autem spiritualis non significabat Christum, sed erat ipse Christus. Similiter cum iubentur comedere festinanter agnum, quia pascha est, perinde esse ac si dicatur: Comedite carnes, dies enim dominica est, bibite aquam, est enim dies veneris. Hæc Lutherus, et ut paucis concludam, de sacramentis non ex loco similium, sed ex propria eorum institutione ferendum est iudicium. Deinde inferrent, cum voces illæ sacramentales sint *Ioan.* 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, figurate accipendum nomen aquæ pro donis Spiritus Sancti; quomodo accipitur *Ioan.* 4. v. 14. Cap. 7. v. 38., 39. Et omnia, quæ de circumcisione, agno paschali et reliquis sacramentis legis veteris præscribebantur, figurate debuisse accipi, et tamen certum est hæc omnia planis, propriis, minime figuratis verbis expressa. Ad hæc si quando duæ substantiæ de se efferuntur, semper figurata est locutio, ergo cum dicitur Deus est homo, Verbum est caro, figurata erit locutio, quamquam ut inferius dicemus, falsum est hic de pane dici, quod sit corpus Christi, ubi etiam explicabitur, quid sit illud, quod pronomen „hoc“ demonstret. Denique etiamsi apud *Lucam* in voce calicis figura usitatissima esset, qua continens pro contento dicitur, eam tamen clare explicat *Matt.* c. 26. v. 28. *Marcus* 14. v. 24., cum vocabulo calicis prætermissa sanguinis solum meminere, quamvis recte *Maldonatus* *Matt.* 26. v. 26. negat synecdochen ullam apud d. *Lucam* esse; neque enim calix dicitur esse sanguis, ut hac ratione continens pro contento sumi possit, sed quemadmodum absque ulla figura dicimus calicem aquæ, ita Christus dixit calicem sanguinis, qui sanguinem continebat. Vocatur autem hic calix testamentum in Christi sanguine, seu pro sanguine Christi, quo mediante fœdus nobiscum initit, quia testamentum aliud non est, quam signum et instrumentum significans voluntatem testatoris; quemadmodum igitur externa significatio voluntatis testatoris dicitur testamentum et circumcisio vocatur fœdus; ita calix sanguinis dicitur testamentum, seu signum externum voluntatis Christi, fœdus ineuntis cum humano genere, sicut *Exod.* 24. v. 8. sanguis fœderis nominatur. 5. Ut *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 22. ait, optime verbi substantivi: „Est“ ea est emphasis, ut nullum schema admittat, quod late ostendit *Sanctius* Repetit. 3. cap. 3. in fine, *Maldonatus* *Matt.* 26. v. 26. ex omnium rhetorum et grammaticorum usu, et ex I. versu

Calix
Sanguinis.

cap. 3., cum vel existentiam significet in propositionibus de secundo adiacenti, vel nota sit connexionis prædicati et subiecti, præterquam quod nec in metaphoris, nec in parabolis, nec unquam „est“ pro „significat“ sumitur, nec ulla metaphora ab ullo unquam intelligente per verbum „significat“ explicata sit. Cum enim verbi gratia Christus Dominus, aut *Hercules* leo dicitur, in prædicato est metaphora, non in verbo substantivo, nec illa metaphora explicari potest per verbum significat, sed ita explicanda est, ut *Hercules* vere dicatur leo, non natura, sed qualitate, animi corporisque robore. Eodem modo statua *Platonis* dicitur *Plato*, non natura, sed lineamentis, colore, figura etc. Similiter in voce „Corpus“ synecdoche esse non potest, ait *Sandæus* de Sacram. Manduc. cap. 4. fol. 117. Nam corpus non est pars panis, nec vinum pars calicis, nec uterque simul est pars alicuius totius, si metaphora sit, male illa resolvetur ab adversariis in „significat“; nunquam enim metaphora in „figura“ vel in „significat“ resolvitur. Metonymia *Calvini*, qua signum pro re significata sumitur, ut toga pro pace, falces pro magistratu, laurea pro triumpho etc., hic esse non potest. Tum quia metonymia solum invertit dictiones, unam pro alia ponendo, non invertit tamen eorum significationem, sicut metaphora; ergo si in voce „corpus“ metonymia est, retinebit ea vox propriam significationem. Tum quia per metonymiam, quæ unius verbi figura est, effertur quidem signum pro re signata, nunquam tamen de signo res signata enunciatur; nemo enim dicit togam esse pacem. Tum demum quia etsi per metonymiam signum pro re signata ponatur, tamen res signata pro signo poni non potest, ut pax pro toga etc. At hic secundum, *Calvinum* non signum, id est panis pro re signata, sed res signata, id est Corpus, ponitur pro signo, etc. 6. Ex ipsis Christi verbis evidenter constat non figuram corporis et sanguinis, sed ipsum sanguinem contineri in Eucharistia et consequenter vocem corporis et sanguinis non sumi figurate, ut eruditus deducit *Sandæus* lib. 7. de visibili Monarchia fol. 655. Nam ita legimus: *Lucæ* 22. v. 20. *Τοῦτο τὸ πότης οὐρ ή καὶ ἡ διαθήκη ἐν τῷ αἷματι μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐχυνόμενον* hic calix novum testamentum in meo sanguine pro nobis fundendus. Ubi *ἐνχυνόμενον* fundendus participium præsentis temporis nominativi casus est, atque ideo cum dativo, id est sanguine „*αἵματι*“ construi nullo modo potest, sed cum nominativo *πότης οὐρ*, id est calix, seu poculum, si enim participium illud referri

deberet ad *αιματι*, in dativo poni debebat *ἐνχυρομένω* et latine per ablativum reddi, hoc modo: In sanguine meo pro nobis fundendo. Ex eo loco ita argumentor: Calix effusus est pro nobis, hoc est ut *Matt.* 26. v. 28. interprætatur: In remissionem peccatorum: atqui certum est, non vinum, sed sanguinem Christi emundantem conscientiam nostram esse fusum pro nobis, ut *Matt.* 26. v. 28. *Marci* 14. v. 24. ipse Christus explicat, ergo calix ille non erat vini, sed sanguinis. Vedit *Beza* hoc argumentum, ideo in cap. 22. *Lucæ* v. 20 ait: vetustos omnes codices ita scriptum habere, et illud: *τὸ υπὲρ ὑμῶν ἐνχυρόμενον*, si constructionem spectemus ad poculum pertinere, non ad sanguinem, ideo, ait, manifestum est, ex margine irrepsisse. Itaque si *Bezæ* credimus, vel loqui Spiritus Sanctus nescivit, qui per Evangelistam sine ulla causa in grammaticam impegit, vel quia ita *Bezæ* placet, licet omnia exemplaria semper hoc modo verba habuerint, irrepserunt tamen ex margine, idque pari probabilitate, ubi quidpiam nobis in Scriptura non arriserit, dicere poterimus semper, vel certe verum est dogma Catholicorum in Calice verum Christi sanguinem contineri eumque in remissionem peccatorum sumi.

Deinde ex iisdem Christi verbis alia argumenta sumi possunt; tum quia in illis Christi verbis: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, vel traditur *Lucae* 22. v. 19. *I. Corint.* 11. v. 24. pronomen „quod“, refert id, quod nomine corporis significabatur, ergo id pro nobis traditum est, quod nomen corporis significat, non figura corporis Christi, sed ipsum corpus traditum est pro nobis, ergo nomine corporis id significatur. Unde hac formula loquendi manifeste excludit Christus illam, quam ingenii exercendi causa excogitavit *Lutherus* loco citato excusatione verborum cænæ, quod scilicet „meum“ possessive accipiatur, ut sensus sit: Hic panis possidetur a me tanquam Domino, creatore etc. Panis enim possessus a Deo imo etiamsi illi esset unitus hypostatice non esset corpus pro nobis traditum. Quæ etiam particula excludit aliorum figmentum, qui pronomine „hoc“ demonstrari aiunt vel collegium Apostolicum, vel totam actionem illam præceptam, quod hæc expositio calici applicari nullo modo posset, sicut nec illa, qua quidam pronomine „hoc“ demonstrari aiunt ipsum visibile corpus Christi, quod Apostoli videbant. Tum quia iccirco Christus non nominat panem et vinum, sed circa panem utitur pronomine „hoc“, circa vinum pronomine „hic“, ut

ipsa diversitate generis indicet non demonstrari panem et vinum, sed solum substantiam illis accidentibus contentam, ut articulo sequenti explicabimus 7. et ultimo, quia ut ait *Augustinus* Tom. 4. lib. 83. q. 9. q. 69. Circumstantia solet Scripturæ sententiam illuminare, optime ostendit *Valentia* disp. 6. q. 3. p. 1. *Suarius* Tomo. 3. d. 46. sect. 3. *Bellarminus*, in his verbis non posse esse figuram aliquam sive rem ipsam, de qua agebatur, sive personas, sive tempus, locumque spectemus. Christus enim loquebatur in fine vitæ, cum Apostolis, quibus explicare solebat ea, quæ aliis obscurius dixerat *Matt.* 13. v. 36. cap. 15. v. 15., non pro concione loquebatur, in qua ad amplificationem et motionem figuræ adhibentur, sed tanquam providus paterfamilias moriturus testamentum condebat, sed fædus sanciebat, novum dogma, novum fidei articulum, novum præceptum tradebat, cuius digna observatio tanti erat, ut qui indigne tractaret, quod percipiebatur, reus esset corporis et sanguinis Domini. At nemo vir bonus posterorum concordiæ studiosus tabulas testamenti conficit, nisi claris, usitatis propriis verbis et ea loquendi formula, quæ in controversias multiplices cadere non posset, ideoque iudices nullomodo ferrent eum, qui in testamento pro pago vel oppido figuram aut picturam pagi intelligeret; similiter ex omnium gentium ac nationum more fæderum et pactionum formulæ familiaribus propriis clarissimis verbis concipiuntur. Deinde in ipsa lege veteri, in qua nil, nisi figuræ erant, cum ritus et sacra legalia præscribebantur, adeo claris, propriis verbis utitur Deus, ut nemini in mentem venerit figurata accipiendo agnum anniculum, circumcisionem etc., ergo in luce Evangelii in summo fidei mysterio tradendo figuris usus non est Christus. Adhæc, cum in figurata locutione fundari veritas fidei non possit, ut *Augustinus* sæpe docet, præsertim Epistola 48. in medio, ubi ait: Impudentissime niti aliquem id, quod in allegoria est, pro se interprætari, nisi habeat manifesta testimonia aliunde; et ante ipsum *Irenæus* lib. 2. cap. 46., quia inquit parabolas ac figuræ quisque applicans apud nullum erit regula veritatis, id quod in præsenti materia exemplo adversariorum manifestum est, qui postquam in verbis prædictis Christi figuram commenti sunt post tam diuturnam inter se contentionem nullam certam figuram in iis, nullam fixam testamenti expositionem invenere, nullum fingendi finem fecere, sed pro influente phantasia nunc hunc, nunc illum tropum accipiunt, nec ullis vel divinis vel humanis satis

idoneis testimoniis probare potuerunt, hanc potius, quam illam figuram his verbis inesse. Denique non minus naturale, quam verum est illud rhetorum præceptum, nova communiter, communia novo locutionis genere efferenda. Cum enim res notæ, usitatæ clare perspectæ sunt, nec periculum est, ne vocibus impropriis decipiamur, tropis utimur, ut gratia rebus addatur, tollatur tedium. At vero qui res novas, peregrinas, insolitas, difficiles tropico sermone proponit, ænigmata proponit; licet ergo multa Evangelica præcepta metaphoris et allegoriis abundant, id tamen fit vel quando sententia præcepti claris verbis exposita figuratis augetur et exornatur. Vel cum de rebus alias notis præcipitur, et eæ miscentur figuris, quæ sensum proprium adjunctis clarioribus verbis eleganti quadam vicissitudine aperiunt; nisi igitur credamus vel Dei verbum leges verborum ignorasse, vel cum, qui caro factus est, ut ab idolatria nos liberaret, cum pancissimis verbis liberare nos potuerit, tantam occasionem idolatriæ dedisse, credendum non est figurato sermone usum in institutione Eucharistiae, quæ nec tuta nec nota res erat, nec talia verba apposita habet, quibus genus figuratæ locutionis pateficeret; imo cum in reliqua narratiore Evangelistæ non nihil varient, ubi ad verba, quibus institutio sacramenti continetur, nonne omnes eodem modo sine variatione et additione ullius verbi, quod ad eorum explicationem simpliciter necessarium sit, referunt: Hoc est corpus meum.

Tertius locus

Scripturæ:
Ex usu.

Tertio ex Scriptura probatur, quæ usum huius sacramenti explicat, *I. Corint.* 11. v. 27. Qui manducat indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Ex quo loco tale fit argumentum: si corpus Christi vere præsens non est in Eucharistia, ideoque non ore, sed sola fide sumitur, fieri non potest, ut quis indigne illud sumat et tractet. Si enim fides desit, Christi corpus non sumitur, ut *Calvinus* ait; si adsit, digne sumitur. Atque Apostolus docet quosdam indigne sumere, ergo non sola fide, sed et ore sumitur. Respondet *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 33. in fine non ideo damnari, quod corpus Christi comedenterint, sed quod mysterium profanaverint. Contra: signa Christi profanare *Calvinus* non putat sacrilegum esse, siquidem imagines et figuræ Christi diffringit, quæ tamen magis clare Christum significant, quam purus panis; ergo similiter, si nil, nisi purus ac nativus panis sumitur in Eucharistia, non erit adeo grave

flagitium, etiam si non alio sumatur apparatu, quam cibarius panis. Deinde reum esse corporis Christi est idem, quasi scelus committere, quod designarunt qui Christum indignis modis morte affecerunt. At si tantum signum corporis Christi sumeretur indigne, tantum scelus non commiteretur, ut v. g. si quis agnum paschalem, mannam etc. indigne comedelerit; ergo.

Ex eodem loco aliud quoque argumentum sumi potest; nam probatio, quam Apostolus præmitti vult, velut præparationen manducationi corporis Christi, aliud non est, quam spiritualis manducatio corporis Christi; nemo enim se satis probatum exhibit, nisi qui et fide Christum complectitur, et animo quantum potest, purgato in ipsum fertur, ergo præter spiritualem et internam corporis Christi sumptionem aliam agnoscit Apostolus, ad quam præperatio sit illa interna probatio. Ad internam enim illam et spiritualem sumptionem alia præparatio necessaria non est; manducatio enim, quæ fit per fidem, posita fide temeraria et inconsiderata esse non potest; ergo Apostolus præter hanc internam et spiritualem sumptionem aliam agnoscit. Non posset autem aliter, quam per fidem sumi Christi corpus, si illud realiter præsens non esset; ergo.

Quarto est *I. Corint' 10. v. 16.* calicem et panem, cui benedicimus, et quam frangimus, vocat Apostolus *κοινωνίαν* communicationem corporis et sanguinis Domini, ubi loquitur Apostolus non de Eucharistia secundum se, sed prout sumitur et communione percipitur atque communionem illius esse communionem corporis Christi. At si sola fide et non reipsa esset præsens corpus Christi, communicatio Eucharistiæ posset esse sine corporis Christi perceptione; ergo.

Secundum caput argumentorum sumitur ex consensu Ecclesiæ et Patrum. Conantur idem facere hæretici, quod *Achab* cum *Nabotho* III. Reg. 21., eripere volunt nobis hæreditatem Patrum nostrorum sed sine pretio, vineam fæcundissimam vini lætificantis corda adimere volunt, Patrum scilicet sensum et intelligentiam, offerunt pro his *Lutheri*, *Calvini* commenta. Sed propitius sit nobis Dominus, ne demus hæreditatem Patrum nostrorum illis.

Et in primis hanc veritatem probare possumus ex eo, quod semper in Ecclesia pro hæreticis habitu fuerint, qui negarunt veram corporis præsentiam, ut ostendit *Suarius* disp. 46. sect. 1.; ex Concilio *Nicæno*, *Chalcedonensi*, *Ephesino*, *Constantinopolitano*, in quibus teste *Calvino* lib. 4. c. 9. n. 8., quantum ad fidei dogmata nil

*Coccius**Tom. 2.**Thesauri lib. 6.**ar. 2. Sanctius**Repetit 2.**Maldonatus**Joan. 6. v. 55.**Bellarminus,**Suarius,**Valentia.*

continetur, nisi nativa et pura Scripturæ intelligentia; ita ergo loquitur *Nicænum* Concilium lib. 3. editione pisani fol. 177.: In divina mensa ne abiecte intenti sumus ad propositum panem et poculum calicis, sed cogitatione sursum erecta fide intelligamus in sacra illa mensa situm esse agnum, qui tollit peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum; quibus cum nil clarius dici possit, Calvinus lib. 4. c. 17. v. 36. prima sola verba recitat, omissis illis: sed cogitatione etc. Idem ipsum docent *Constantinopolitana*, *Chalcedonensis*, *Ephesina* Synodus, cum in iis semper primus Canon confirmationem contineat Nicaenæ fidei; verba vero *Ephesini* Concilii et 7. *Synodi* supra in primo loco scripturæ retulimus. Si ergo ut *Augustinus* ait 4. de Trinit. c. 6., contra rationem nemo sobrius, contra Scripturas nemo Christianus, contra Ecclesiam nemo pacificus sentit; si id solum secure asseritur, quod in gubernatione Domini Dei universalis Ecclesiæ consensione roboratum est, ut ait *Augustinus* lib. 7. de Bapt. contra Donatum c. 53. Si quantum quisque amat Ecclesiam, eique compaginatur, tantum habet spiritum Sanctum. Certum est eum, qui in hac re ab Ecclesiæ consensu recedit, eum Spiritum Sanctum non habere.

Sed probamus ex Patribus Catholicam veritatem; ex quibus Prima probatio probationes sumuntur. Prima probatio ex patribus: multi ex patribus. ex patribus dicunt: corpore, ore sumi corpus Christi: at si tantum spiritualiter sumitur, quod abest, id non est verum; ergo.

Cyrillus. Maior patet: *Cyrillus Hierosolymitanus*, quem Synodus *Constantinop.* dilaudat, Catech. 4. Mystagog; ubi postquam dixisset, eum, qui aquam mutavit in vinum, dicere: Hoc est corpus meum, addit nos Christophorus effici, cum eius corpus et sanguinem in membra nostra recipimus. *Gregorius Nyssenus* frater *Basilii magni*, orat.

Nyssenus. Catech. cap. 37., postquam explicasset quomodo fieri possit, ut verum illud corpus, quod tam multis distribuitur, totum sit in unoquoque et ipsum totum maneat, subdit: Christus se per carnem inserit credentibus, commistus et contemperatus Corpori credentium. *Ambrosius* ita *Theodosium* alloquitur apud Nicophorum lib. 12. c. 41. Socratem lib. 5. c. 17. In part. lib. 9. c. 30. Quomodo divinum Domini corpus manu excipies, quomodo sanguinem prætiosum ad os afferes, per quod tantum fudisti sanguinem? *Leo Magnus*, cui totus *Chalcedonense* Concilium acclamat: Credimus, quod *Leo* credit, Serm. 6. de Ieiunio septimi mensis, sic, ait, sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil de

veritate corporis et sanguinis Christi dubitetis, hoc enim ORE sumitur, quod fide creditur, et Sermone 14. de Passione in fine, Christum a nobis spiritu et carne gustari. *Tertullianus* de Resurrect. Carnis cap. 8. v. 76., Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima Deo saginetur. *Augustinus* Tom. 6. lib. 2. contra Adversar. legis. cap. 9., Christum carnem suam nobis manducandam, sanguinemque bibendum dantem fideli corde et ORE sumimus, quamvis horribilius videatur carnem manducare, quam perimere: Idem prim. Tom. 4. quæst. 57. in Leviticum, et *Cyprianus* Serm. de cæna domini v. 11., ubi aiunt in lege veteri sanguinis esum prohibitum esse, in novo præceptum, vel ut *Augustinus* ait, ad bibendum exhortamur *Ioan.* 6. Quod omnino frigidum est, si sanguis Christi reipsa non sumitur. *Chrysostomus* hom. 27. in I. ad Corint. Christi mensa exceptus ait lingua eius carnem tangis; lib. 3. de Sacerdotio Initio, o miraculum, qui cum Patre sursum sedet, illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur. *Hilarius* lib. 8. de Trinit. initio: Christum, ait, per carnem in nobis manentem habemus, in eo nobis corporaliter unitis. *Gregorius* hom. 23. in Evangelio, quid sit sanguis agni, non audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis sumitur. *Theodoreetus* in I. Corint. 11. Ignominia afficitur, ait, corpus Christi ab iis, qui immundis manibus accipiunt, cum os pollutum immittunt.

Secunda probatio: Patres in hoc sacramento stupendum miraculum agnoscent, quod virtute omnipotentiæ Dei perficiatur, et in specie hoc admirabile dicunt, quod idem corpus eodem tempore sit in pluribus locis, et quod idem Christus seipsum manibus gestaverit. At si corpus Christi vere præsens non est, nullum miraculum, nullum tam grande opus omnipotentiæ hic reperitur; nam significatione corpus Christi esse hic non est maius miraculum, quam totam machinam mundi in duabus syllabis dictionis „mundus“ contineri significatione, aut quam in pictura Christum esse significatione. Similiter fide præsentem fieri non est magis mirum, quam si ego cognomen meum prænotum faciam passione Christi, etc., ergo. Maior patet. *Iustinus* Martyr Apolog. 2. Non minus miraculum ait hic fieri, quam in Incarnatione. *Cyprianus* Ser. de Cæna domini: Panis iste, ait, non effigie, sed natura mutatur, omnipotentia verbi factus est caro, et sicut in persona

Hilarius.
Gregorius

Secunda probatio ex patribus.
Admirabile esse hoc mysterium.

Iustinus.
Cyprianus.

Chrysostomus. Christi humanitas videbatur, latebat divinitas, ita etc. *Chrysostomus* lib. 3. de Sacerdotio: o miraculum etc., ut supra retulimus,

Damascenus. *Damascenus* 4. de fide. c. 14. Corpus Christi, ait, non descendit ex cælo, sed panis et vinum transmutantur in illud; si quæras, quomodo sit istud?

Calvinus lib. 4. c. 17. v. 7. Respondeo et ego tibi; Spiritus sanctus obumbrat, et hæc operatur super sermonem et intelligentiam. *Chrysostomus* Tom. 4.

Nec mens cogitando, nec lingua explicando sufficit. hom. 17. ad Hebr., *Ambrosius, Theodoretus, Theophilactus, Oecumenius, Haymo, Remigius* in c. 10. ad Heb., iisdem pene verbis ait totum

Chrysostomus etc. Christum esse in uno loco, totum in alio, ideoque quia ubique unum corpus offertur, unum esse sacrificium. *Augustinus* vero

Augustinus. de Trinit. c. 4. Illud, quod ex fructibus terræ acceptum mystica prece consecratur, corpus Christi esse ait. Et subdit: tam magnum sacramentum non fieri, nisi operante invisibili Spiritu Dei. At si hoc sacramentum sola significatione perficitur, nulla invisibilis operatio spiritus in eo opere intervenit et in Psal. 33. Conc. 1. et refertur de Consec. d. 2. can. 192. accesserunt: Ferebatur manibus suis. Hoc fratres quomodo possit fieri in homine, quis intelligat?

Quis enim portatur manibus suis? Quomodo intelligatur in ipso Davide secundum LITERAM, non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim manibus suis, cum dixit. Hoc est corpus meum. Hæc ibi, ubi secundum literam ait portasse Christum seipsun, hoc est non figurate, non umbram, figuram corporis, quam et alii portare possunt. Calvinus lib. 4. c. 17. v. 28. Respondet: Augustinum adverbio (quodam modo) interposito declarasse non vere et realiter Christum sub pane inclusum. At tota illa concione prima illa limitatio non est. Sequenti concione addit illud (quodam modo) non quod velit ad literam non seipsum portasse, sed quod non eo modo; quo alias ferre solemus, id est non modo aspectabili, laboriose corporis pondus suscipiendo, sed admirabili alio modo, quo nullus bominum seipsum ferre potest; cum tamen quivis figuram corporis sui ferre possit. Huc etiam spectant variæ similitudines, quibus Patres ostendere conantur possibilitatem huius mysterii.,

Cyrillus. ut *Cyrillus* Catech. 4. Mystagog exemplo conversionis aquæ in

Ambrosius. vinum, *Ambrosius* de his, qui initiantur myster. cap. 9. exemplo rugæ *Moysis*, exemplo iustificationis humanæ, quæ fit in Baptismo

Augustinus. et quam *Augustinus* Tract. 72. in Ioan non minus miraculum dicit, quam creationem cæli et terræ. De quibus exemplis infra latius.

Huc etiam spectant aliæ Patrum exaggerationes, cum aiunt hoc mysterium creditu difficile esse, non esse hic credendum iudicio sensuum, quæ omnia ridicula sunt, si panis solum significatione est corpus Christi. Unde *Cyrillus* Cateches. 4. Mystagog. Nec gustu rem iudices, ait, quin potius habeas ex fide pro certissimo esse tibi donata corpus et sanguinem. Chrysostomus hom. 83. in Matth. Credamus Deo, etiamsi cogitationi nostræ absurdum videatur quod dicit, superet et sensum et rationem nostram sermo ipsius. Nam verbis ipsis fraudari non possumus, sensus vero noster deceptu facillimus est.

Tertia probatio ex Patribus: Patres expresse illum sacra-
mentiorum errorem respientes ex eo probant Christum vere suum corpus dare nobis, quia non dixit: Hæc est figura corporis, sed hoc est corpus etc. Ideoque aiunt non solam figuram et signum corporis dari, sed ipsum corpus. *Damascenus* 4. de fide c. 14. *Damascenus*. Hoc est inquit corpus meum, non figura corporis, non figura sanguinis, sed sanguis. Idem ad verbum *Theophilactus* in c. 14. *Theophilactus*. Marci; 26. Matthæi, *Chrysostomus* hom. 60. ad populum: Semet- ipsum, ait nobis commiscet non fide tantum, verum et ipsa re nos suum efficit corpus. Idem 7. *Synodus* relata in primo loco Scripturæ.

Quarta probatio: Si in Eucharistia vere præsens non esset corpus Christi, non recte diceretur corpus Christi in ara, cālice etc. esse, aut corpus Christi tangi dentibus, frangi etc. Atqui sancti Patres passim ita loquuntur, *Optatus* lib. 6. cont. Donatistas, quid aliud est altare, quam sedes corporis et sanguinis Christi? Quid vos offendit Christus, licet ibi per certa momenta corpus et sanguis habitet? Fregistis calices sanguinis Christi portatrices. *Hieronymus* Epistola ad Rusticum sub finem ait: portatur sanguis Christi in vitro, corpus in vimineo canistro. *Chrysostomus* hom. 60 ad populum et 45. in Ioan., Christum ait in hoc sacramento videri, tangi, et hom. 61. ad populom: linguam tremendo sanguine rubescere. Hom. 24. in 1. ad Corint. corpus, quod magi in præsepio venerati sunt, nos in altari venerari.

Quinta probatio: ex veteri ritu adorandi hoc sacramentum, cum tamen nullum aliud sacramentum adoretur; *Augustinus* in *Psal.* 98. Carnem nobis ad manducandum dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. *D. Dionysius* Areopag cap. 3. Eccl. Hierar. parte 3. initio: o divinum penitus sanctumque mysterium, spirituales nostros oculos singulare et aperto suo lucis

Cyrillus.

Chrysostomus.

Tertia probatio ex pribus

Damascenus.

Theophilactus.

Chrysostomus.

Septima Synodus.

Quarta probatio ex Patribus.

Optatus

Quinta probatio expatibus Augustinus

fulgore imple. *Chrysostomus* hom. 24. in I. ed Corint., et hom. 3. in Epistola ad Ephes. Adora et manduca, vere adest, idem hom. 61. ad populum. Homil. vero 8. in Matth. et hom. 24. in I. Corint. etc., exemplo magorum provocat ad adorationem. *Augustinus* rursus Epistola 121. cap. 27. Divites, inquit, superbi et ipsi accipiunt de corpore et sanguine Christi, sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur. *Ambrosius* vero in psal. 98. et lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. Orig. hom. in Exodus.

Vide *Suarium* disp. 46. sect. 6. §. Dicendum vero, Valentiam disp. 6. q. 3 p. 1. §. 6.

Denique *Chrysostomus* hom. 61. ad populum, lib. de sacerdotio versus finem, *Gregorius* 4. dialog. c. 58. aiunt angelos circumstare et adorare hoc sacramentum idque veris sanctis a Deo revelatum esse. Imo et sacra vasa ait *Chrysostomus* hom. 20. in 2. ad Corint. venerabantur; ergo. Summa veneratio huius sacramenti: *Tertullianus* de Corona milit. c. 3. *Origenes* hom. 13. in Exodus, *Cyrillus* et alii apud *Suarium* illa sect. 6. vetant, ne particula cadat. Postea ibidem prohibitum ait, ne tangeretur Eucharistia ab aliis, quam presbyteris, imo nec sacra vasa, ut canones multos citat ibi *Suarium*. Ex eodem capite ortum, quod gentiles putabant Christianos humana carne vesci et saepe id obtinuit apud *Tertullianum* Apolog. c. 7. *Eusebium* lib. 4. c. 8. lib. 5. cap. 1. *Iustinum* Apolog. 2. ad *Antoni*. sub finem.

Et certe mirari satis impudentiam lutheranorum non possum, qui fatentur Christum hic præsentem esse et tamen negant adorandum. Sed cur non adoretur? An quia de hoc in Scriptura non est præceptum? At id in primis falsum. Iubetur enim Deus adorari, iubetur Christus *Heb.* 1., etiam ab Angelis adorari. Deinde ubi magis, ubi latroni in cruce, centurioni, fæminæ etc. præceptum erat? et tamen adorarunt. Certe Christi maiestas id exigit, ut si ibi est, adoretur. Si ad nomen Christi genua flectuntur, *Philip.* 2. solum quia illo sono illis syllabis eius maiestatis memoria ad aures perfertur, quid ni in sacramento divinissimo, cui se tot promissionibus adesse professus est? *Abraham*, *Jacob* in *Bethel*, *Moyses* ad rubrum in monte *Sinai* adorat, cur non et nos? At quid si sacerdos non consecrasset, inquis, idololatra esses. Respondetur. Nimirum optime *Augustinus* in *Euchirid.* cap. 60.: Cum se sathanas in angelum lucis transformat, etiamsi sensus corporis fallat, si mentem non moveat a vera rectaque sententia, nullum est in religione periculum.

Sexta probatio ex Patribus; nam Patres docent corpus Christi

sumi etiam ab indignis et peccatoribus. At si sola fide sumeretur, *Sexta probatio* ut Calvinistæ aiunt, non posset sumi, nisi a dignis, ut supra ^{ex patribus :} deduximus in 3. loco Scripturæ; ergo. Antecedens docet Augustinus illa Epistola 121. cap. 27. citato et Tract. 27. in Ioan. versus finem: Carnem Christi et sanguinem non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali sed usque ad spiritus participationem manducemus. Et lib. 5. de Bapt. contra Donatistas cap. 8. et refertur de cōns. d. 2. cap. 68.: Sicut *Iudas* indigne quis sumens dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini et sanguis nihilominus erunt etiam iis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat. Et lib. 2. contra liter. Petiliani c. 55.: Audituri sunt ait: Non novi Vos, qui corpus et sanguinem eius in sacramento manducant, et membra eius toto orbe diffusa in Evangelio non agnoscant; et Tomo 6. lib. 1. de adulter. Coniug. cap. 27.: Iudæ datum a Christo sacramentum ait. Similia *Chrysostomus* hom. 83. in *Matth.* Hom. 45. in *Ioan.* et I. Corint. 11., quibus locis docet corpus Christi sumi ab immundis. Idem *Cyprianus* Epistola 11. quæ est libri 3. Epistola 15. *Leo* Sermone 6. de Ieiunio septimi mensis et alii.

Tertia probatio ex miraculis, quibus Deus vel confirmare infirmos, vel terrere impios volens nonnunquam præsentiam sui corporis attestatus est, sive aspectabilem se specie visendum exhibens, sive puniens indignos. De quibus multa *Sanctius Repetit.* 2. cap. 9. *Suarius* 3. p. Tom. 3. disp. 46. sect. 5. *Bundenbach*, lib. 1. Collat. Sacram. cap. 35. lib. 7. Cap. 60. *Gulielmus* a Gent proprium libellum de miraculis Eucharistiæ edidit Coloniæ an. 1584. *Ioannes Diaconus* lib. 2. vitæ D. Gregorii c. 41. lib. 3. de Eucharistia fæmina e *D. Gregorii* manu hostiam sumens, cum papa proferret illud: corpus domini nostri etc. subridet fæmina; causam risus quærerit papa, illa vero: panem, quem ego confeci, tu corpus Christi dicis: tum Gregorius orando cum populo panem in carnem mutat, ostendit fæminæ, illa credit, rursum caro in panem reformata. *Kreitus* in Metropoli lib. 1. cap. 9. *Carolus magnus* cum in Saxonia esset, *Vedekindus* mutato habitu ad eum venit, in templo cognitus fassus est vidisse se de manu purpurati sacerdotis singulos pulchellum panem in os sumere, quem quibusdam ludibandum arrisisse, alias aversatum in os tamen descendisse, unde factus est Christianus, *Amphilochius* in vita, Basilii lib. 3., *Basilio* celebrante iudæus vidi per

manus Basilii infantem distribui, accedit et ipse, hostiam sumit, fit vera caro, rem Basilio refert, fit Christianus; Sotom. 8. c. 5. *Nicephorus* lib. 13. c. 7., Uxor Mandoniana virum habens Catholicum in gratiam mariti, haeresim fingit eiurare, sacrum mysterium sumit sed ore continet, panem, quem attulerat furtim, mandere vult, sed panis in lapidem versus; *Chrysostomus* lib. de Sacerdotio versus finem, Viro admirabili revelatum fuisse ait consecrationis tempore angelos fungentes adstare, ut rege præsente solent milites etc. *Optatus* lib. 2. refert donatistas, qui canibus sacra mysteria obiiciunt, a canibus discerptos. Unde licet ad fidei exercitium et probationem non semper puniat Deus violatores, interdum tamen vel ad confirmandos infirmos, vel ad terrendos improbos ostendit suam præsentiam. *Evagrius* lib. 4. c. 36. *Nicephorus* lib. 17. cap. 25. ex more urbis Constantinopolitanae cum reliquiae corporis Domini innocenteribus e schola distribuuntur, data et filio iudæi; pater re cognita filium in fornacem vitriaram ardenter iniicit, triduo illæsus ibi fuit. Apôstolus *I. Corint.* 11. v. 30. mulctatos ait indigne sumentes. *Cyprianus* Sermone de lapsis: Nunc in favillas, nunc in cineres abiisse ait sacra mysteria, ne ab impiis sumi possit, qui domi conservabant. *Eusebius* 6. hist. c. 34. Singularis gratia *Serapioni* collata, ne mori possit, antequam communicaret; *Ambrosius* Tom. 5. in obitu Satyrii. *Satyrium* in nanfragio conservatum beneficio Eucharistiae e collo suspensæ; *Prosper* lib. 4. de promission. cap. 6. Attactu huius sacramenti obcessi liberati, cuius insigne exemplum est in vita *S. Bernardi*, qui Eucharistiam supra energumenon tenens, adest, inquit, inique spiritus, iudex tuus, resiste si potes, hoc est illud corpus, quod in cruce pependit, in cuius maiestate præcipio tibi excede, *Augustinus* 22. Civit. c. 8. *Hesperii* domus infestata a dæmonibus liberata est celebrato ibi corporis Christi sacrificio. *Valdensis* Tom. 2. cap. 63., rem suo tempore gestam narrat, Londini sacramentarius quidam cum nihilo maiorem honorem mereri clamaret hoc sacramentum, quam araneam, spectante populo aranea tecto delapsa in os hominis, vix ab eius veneno defensus. *Rudolphus* primus Austriacæ familiæ caput, privatus adhuc et nec somnians de imperio e Verona rediens obvium habuit ministrum, divinum ægro viaticum ferentem luculenta via, equo desilit, nolentem mystam iubet descendere, pedes ipse præit, dicit, reducit, coeno sordidatus, ea ipsa die divinitus cognoscit imperium sibi ac beatæ posteritati mercedis loco destinatum. Ita historia austriaca etc.

Quarta probatio ex ratione sumenda; licet enim ratione naturali cognoscere non possimus veram præsentiam de facto a Deo insitutam esse, duo tamen cognoscimus, primo nihil in hoc mysterio esse impossibile, ut patebit ex dicendis; secundo hoc mysterium fuisse valde conveniens ostendi multis modis potest. Ostendit *Suarus* 12. rationibus disp. 46. sect. 7. Recte *Tertullianus* de Bapt. c. 2. Nihil adeo est, quod obduret mentes hominum, quam simplicitas divinorum operum, quæ in actu videntur et magnificentia, quæ in effectu promittitur. Quia mirandum est, iccirco non credis? Qualia decent esse opera Dei, nisi super omne admiranda? Sed incredulitas miratur simplicia, quasi vana, magnifica, quasi impossibilia. Et quod *Hilarius* lib. 2. de Trinit. dicit de Incarnatione, idem ego de Eucharistia. Hoc, ait, si quis indignum Deo recolit, tanto se maioris beneficii obnoxium confitebitur, quanto minus hoc Dei convenit maiestati. Non ille eguit homo fieri, sed nos eguimus ipso. Humilitas ipsius est nostra nobilitas, contumelia ipsius honor noster. Ex parte igitur Dei conveniens erat 1. ad ostendendam omnipotentiam suam, memoria mirabilium Dei. Innumera hic mira, quod idem hic et in cœlo, quod tam magnus sub mica panis, quod præsens nec videri, nec palpari potest, quantum unus, tantum mille sumit, nec sumptus consumitur etc. 2. Sapientiam, ut qui cibo perieramus, cibo reficiamur, o felix disparitas! cibus ille visu pulcher, suavis gustu videbatur, mortalis erat, ita hic non visu, gustu, sed fructu suavis etc. 3. Iustitiam; humanum genus in *Adamo* plus credidit sensibus, quam Dei verbo, nunc supra sensum, quod non capit, quod non videt, animosa firmat fides; et iustum erat, ut sacra Christi caro tot opprobriis saturata in terris quoque honoraretur, adoraretur, lædi' non posset. 4. Amorem, *Chrysostomus*: Quis pastor, ait, oves membris suis nutritivit; multæ matres infantes nutricibus dant, ipse proprio corpore nos alit et sibi conglutinat.

Ex parte nostra fidem exercet, cum quem non videmus, adesse credimus. Spem erigit; si enim in hac vita sic se nobis unit, quid in alia? charitatem et studium virtutum excitat. Ames proximos, quia omnes unum corpus sumus, qui de uno pane sumimus I. *Cor.* 10.

Chrysostomus hom. 83. in Matt. 60. ad populum. Quos radios solares non debet excedere lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat tibi in mentem, quo sis honore affectus, qua

Ut erux
Christi iudæis
scandalum,
gentibus stul-
titia etc., nobis
etc Ita etc

mensa fruaris? Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes trement, neque absque pavore aspicere possunt, et eadem hom. 60. ad populum et in I. Corint., hom. 17. Cogita, quid manu capias, nec ullum audeas verberare, et manus ab omni avaritia conserva; reputa, quid ori admoveas et linguam custodi a contumeliis et turpibus verbis mundam. Adverte, quod post manus et linguam cor suscipit horrendum illud mysterium, nec unquam in proximum sumas dolum; *Cyprianus* Sermone de Cæna domini v. 16. Hoc uno ferculo contenti pauperes semper omnes mundi delicias aspernantur; est cibus omnem suavitatem habens; in fortitudine cibi eius tot virgines etc. Est sanguis agni in utroque poste, ut ex *Gregorio* in prima probatione ex Patribus dixi.

Ad argumenta *Calvini* respondeo: ad 1., ex eo, quod Christus ascendit, non sequitur non posse simul esse in terra, ut mox probabimus. Christus autem in eo statu negat se semper nobiscum fore, in quo ipsum ungere et similia ipsi obsequia præstare possimus, seu quod idem est, visibili humanoque et quo usurpari oculis possit modo; hoc enim modo reliquit mundum, ut *Ioan.* 16. v. 28. habetur. Unde *Luce* 24. v. 44., statim a resurrectione præsens cum præsentibus Apostolis loquebatur, et tamen quia in carne corruptibili eo modo, quo ante cum illis iam non erat, ait: Hæc locutus sum vobis, cum adhuc apud vos essem. Ad confirmationem respondeo: simili arguento probari posset carnem Christi non ascendisse in cælum, quia I. *Corint.* 15. v. 5. dicitur: Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, ut quidam volebant teste *Augustino* Epistola 146. Deinde cum Apostolis expresse dicat *Coloss.* 1. v. 22., reconciliatos nos esse corpore carnis Christi, de corpore Christi dici nullo modo potest, quod nihil proposit. Si enim caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ait *Augustinus* Tract. 27. in *Ioan.*: Respondeo ergo cum S. Augustino Tract. 27. in *Ioan.*: Caro ait non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt, carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur. Deinde addit *Augustinus* hic ita intelligendum, quomodo illud I. *Corint.* 8. v. 1. Scientia inflat, sine charitate scilicet, ita caro sola nihil prodest sine spiritu, quam etiam expositionem repetit 10. Civit. c. 54., sequitur *Cyrillus* lib. 4. in *Ioan.* c. 23. 24. et *Toletus* *Ioan.* 6. Annot. 23. et apud ipsum *Damascenum*, ut sensus sit: Caro sola nihil prodest sine coniunctione ad Verbum, vel ut alii: Caro sola, si sine fide et

spiritus Christi participatione sumatur, nil prodest. Et rursus *Augustinus* in Psal. 98. circa medium: Portaverunt, inquit, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo et datus illis; et certe manifester retorqueri hoc argumentum potest in *Calvinum*; nam si ex eo, quod caro non prodest quicquam, colligitur re ipsa non dari nobis carnem Christi, colligere etiam possumus, nec per fidem quidem debere a nobis carnem Christi manducari, quia si non prodest caro sine fide sumpta re ipsa, multo minus proderit, si sola fide sumatur, non re ipsa; Demum verba illa non de Christi carne, sed audientium imbecilla et carnali intelligentia explicanda esse docent *Toletus* in Ioan. 6. Annot. 33. ut sensus sit: Carnalis intelligentia, quæ secundum carnem fit, et proprio iudicio metitur omnia; nam in Scriptura quando nomen carnis opponitur spiritui, ut hic fit, carnis nomen, non natura carnis, sed infirmitas et culpa, quæ ex carne nascitur, accipi tolet. Ad ea, quæ pro figura verborum institutionis adferabantur iam respondinus. Adferunt quædam alia Scripturæ loca, sed minus urgentia, ut cum *Matt.* 24. v. 23. 26. dicitur, non credendum si quis dixerit: Ecce hic est Christus etc. et quod *I. Corint.* 20. v. 3. ait *Paulus* patres veteris testamenti eandem escam spiritualem manducasse nobiscum. Nam priori illo loco monet Christus, ne pseudoprophetis, pseudochristis, qui exurgent, credamus, se enim esse unum Christum, qui ascenturus ad Patrem, aspectabili forma amplius in terris non erit mansurus. Addit *Lyrrinus* c. 30. contra prophanas novitates: Hæreticos habendos, qui extra Ecclesiam in desertis quærunt Christum, qui absconditum sæculis prioribus dogma sectantur. Apostolus vero nunquam dixit eandem nobiscum escam manducasse veteres, sed solum ait eos inter se eandem cibum spiritualem manducasse, id est manna, qui cibus spiritualis dicitur, ait *Ambrosius* *I. Corint.* 10., *Cyrillus* lib. 3. in *Ioan.* cap. 34. Quia non mundi lege parata fuit manna, nec aqua ex petra, sed Dei virtute sine elementorum coniunctione ad tempus creata, habentia in se figuram futuri mysterii. Et sane non video, quomodo hoc loco utatur *Calvinus*, qui fatetur nos ipsum Christi corpus sumere, non sola fide, sed re ipsa, patres vero sumere illud nullo modo potuere, cum nondum esset. *Augustinus* vero, etsi aliquando dicat iudeos eandem nobiscum manducasse escam, non tamen eodem modo; illi enim in figura et typo, nos in veritate illud manducamus.

Ad 2. *Tertullianus* et *Augustinus* figuram et signum corporis Christi dicunt esse in Eucharistia, nemo tamen nudam et solam figuram dixit, nec cum figuram nominant, veritatem excludunt, sicut Apostolus *Heb.* 1. v. 3., Christum figuram substantiæ Patris appellans substantiam divinitatis ab illo non separavit, quanquam *Valentia* q. 3. p. 1. §. 20. in prima observatione cum *Sanctio*, *Alano* etc. aliter *Tertullianum* interprætantur. Verum ergo est externa symbola typos ac figuræ esse corporis Christi nutrientis animam, sed falsum est nuda et vana signa esse. Præterea ipsum quoque corpus Christi sub speciebus existens figura est sui ipsius in cruce patientis et cruenti sacrificii, in cuius memoriam hoc sacramentum est institutum. Adhæc figura est sui ipsius invisibiliter in cælo præsentis, quemadmodum manna in arca conservatum *Exod.* 16. v. 32., monumentum et figura erat sui ipsius e cælo labentis. Ad alia *Augustini* loca ut respondeamus, suppono ex *Augustino* Epistola 145., sæpe aliquid videri affirmari de re ipsa, quod tamen non de re secundum se, sed de re secundum aliquem modum et conditionem affirmatur, quod tum ibi, tum etiam Tom. 6. lib. 11. contra Faust. c. 7. probat Apostolus illo exemplo *I. Corint.* 15. v. 44. Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt, et v. 50. Corpus surgit spirituale; hæc enim, ait *Augustinus*, non de carne secundum substantiam, sed secundum qualitates intelligi debent. Eodem modo Tract. 19. in Ioannem explicat illud *Ioan* 5. v. 22. Pater non iudicat quemquam, quod de certo quodam iudiandi modo, nimirum de forma iudicii sensibili et visibili intellegitur. Eodem ergo modo, licet quoad substantiam corpus illud sumatur in Eucharistia, quod fuit in cruce, dicere tamen potuit Apostolus non hoc corpus, quod videbant, manducaturos Apostolos, ita ut hac loquendi forma non ipsa substantia corporis, sed modus visibilis carnalis excludatur, quia scilicet, ut ex *Augustino* diximus ad 1. argumentum, non erant comedenti illud corpus more aliarum carnium, laniatum, mansum, coctum in forma propria, ut Caparnaitæ intelligebant; hoc enim modo absurdum seu flagitiolum quid videretur Christus iubere, ut *Augustinus* dicebat. Nec magis derogat veræ præsentiae corporis Christi, quod *Augustinus* ait, secundum quemdam modum Eucharistiam esse corpus Christi, quam deroget immortalitati animæ, quod ait Epistola 28. animam hominis secundum quemdam modum immortalem esse, non omni modo, sicut Deus etc., solum enim significat *Augustinus* modum

supernaturalem esse, quo Eucharistia est corpus Christi. Adhæc licet literalis sit sermo Christi in ultima cæna, quo ad rem, spiritualis, tamen est, quo ad modum et genus edendi, quia sine laniena carnis Christi regebatur. Negat *Augustinus* ab hæreticis sumi corpus Christi, fructuose scilicet, utiliter, spiritualiter, quamvis corporaliter sumant. Quando vero *Augustinus* Tract. 25. in Ioan., *Cyprianus* Sermone de Cæna dominica, non ventrem et dentem parandum aiunt ad usum sacramenti, non negant ore corporis sumi, sed aiunt non manducari fructuose, nisi fides etc. adsint. Iccirco etiam spirituale cibum vocant, non corporale; non enim est cibus, quo nutriatur corpus more consueto, sed quo anima reficiatur, qui tamen cibus spiritualis ore corporis sumatur. Denique tametsi signis rei signatæ nomina attribui interdum possint, id tamen in præsenti fieri et panem vocari corpus falsissimum esse supra probavimus, cum panis non sit corpus pro nobis traditum, nec vinum sit effusum in remissionem peccatorum, sed sanguis Christi.

Ad 3. Ostendemus inferius suis locis nihil horum esse impossibile. Ad 1. Confirmationem: eodem modo probari posset Christum tantum figurate passum et spiritualiter. Nam redemptio Christi morte parta et finis passionis scilicet iustificatio nostra spiritualia sunt; similiter regeneratio spiritualis est in Baptismo et tamen corporaliter debemus ablui. Ex quo patet maiorem illam esse gratis assumptam. Ad 2. Confirmationem quam multis urget *Sadel* lib. de Sacrament. Manduc. cap. 4. Verum idem ipse lib. de Manduc. Spirituali c. 5. fol. 125., 127.; optime hoc solvit; postquam enim obiecisset sibi Patres, qui cum de cæna loquuntur, usurpant vocabula figuræ, signi, memoriae, ideoque negare videntur in cæna sumi corpus Christi; veteres, inquit, sacra symbola in cæna proposita appellant signa, sed non nuda signa; ille enim simul nobis offertur, cuius mors et passio commemoratur. Idem nos respondemus, nec necesse est, ut memoriale et signum sit tantum rei absentis. Nam columba in Christum descendens signum erat Spiritus sancti præsentis, sicut et linguæ igneæ, arca Dei signum erat Dei habitantis in populo; signum filii hominis apparebit in nubibus, cum ipse præsens ad iudicandum venerit. Signum erat nati Messiae, quod pastores inventuri erant puerum in præsepio. Deinde hoc sacramentum memoria est passionis Christi; quoties enim manducamus, mortem Domini anunciamus, ait Paulus, quæ Christi mors præterita est et absens.

Signa grati
animi præsen-
tis vera signa
sunt.

Dubium II.

QUANDO INCIPIAT IN EUCHARISTIA ESSE PRÆSENS CORPUS CHRISTI?

Prima hæresis est dicentium corpus Christi non nisi in usu esse præsens. Ita lutherani, qui ob eam causam negant asservari deberi, vel adorari Eucharistiam, qua de re re hic loquitur *Schlusselberg* lib. 1. Theolog. Calvin. ar. 28. fol. 158. Durabilem præsentiam corporis Christi extra usum in elementis damnamus. Fundamentum est, tum quia ad rationem huius sacramenti ea omnia necessaria sunt, quæ Christus instituit et præcepit et quæ significantur per verba Christi Domini. At Christus instituit et præcepit, ut accipiamus, manducemus, ergo tota illa actio constituit sacramentum, ut contendit etiam *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 15. et 39.; tum quia Baptismus et alia sacramenta, ut habeant veram rationem sacramenti, debent percipi, ergo similiter.

Secunda hæresis est: Christi corpus etiam ante consecrationem ubique præsens esse atque ideo etiam in Eucharistia. Ita *Brentius* in libro Concordiar. *Schlusselberg* lib. 1. Theolog. Calvin. art. 5. fol. 24., et fusissime explicat *Hunnius* libris 4. de persona Christi editis Vittemberg. anno 1587., ex quo fideliter hunc errorem referam. Ait ergo fol. 35., ut humanitas in Christo versa non est in divinitatem, nec divinitas in humanitatem, sic propria humanitatis, ut nasci, pati etc. nunquam fiunt propria divinitatis. Nec contra propria divinitatis fiunt propria humanitatis, ut esse spiritum æternum, omnipotentem etc. Addit fol. 59., 60.: Humanitati Christi communicatam esse omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam et vim vivificandi. Nihilo minus hæc propria esse divinitatis, quæ ex se suæque naturæ conditione est omnipotens, caro autem Christi non est omnipotens ex proprietate suæ naturæ. Ideo ait fol. 65. Caro non exæquatur deitati, licet has proprietates habeat, sicut corpus non exæquatur animæ, quamvis habeat proprietates animæ, ut ex vita et vitalibus actionibus patet. Iccirco ait fol. 66., 67.: licet caro sit omnipotens, non sequitur tamen, quod sit Deus; solum enim illud est Deus, quod ex sua natura et proprietate essentiæ est omnipotens. Quod si queras, quando humanitati Christi communicata sit omnipotentia ista, omniscientia etc.: respondet fol. 73., 74., 86., 90., 93. Ideo mature Verbi maiestatem communicatam esse humanitati in momento conceptionis, eodem tamen momento huius maiestatis plenum usum esse evacuatum, et ita deinceps

usque ad ascensionem tantum habuisse in actu primo, non in actu secundo, sicut infans in actu primo habet animam intelligentem, philosophus dormiens habet in actu primo eruditionem, non in actu secundo, quia inquit fol. 97. tempore exinanitionis non fuit ubique; in uno enim loco natus et mortuus est, et vere Angelus dixit, surrexit non est hic. Fundamentum est 1. Quia, ut ait *Hunnius* fol. 101., si verbum alicubi esset extra suam carnem, sequeretur, quod tota sua hypostasi sit extra eam, partem enim non habet, ut aliqua sui parte sit in ea, alia extra eam. At si tota hypostasis Verbi est extra humanitatem, tollitur unio hypostatica; ergo. 2. Idem *Hunnius* Labyrintho 1. papist. 61., ita argumentatur, verbum communicat suam personalitatem humanitati; at hæc personalitas est ipsa omnipotentia, omniscientia etc.; ergo humanæ Christi naturæ hæc attributa communicantur. Confirmat *Schlusselberg* loco citato. Nam qualis est unio Verbi cum humanitate, talis est communicatio attributorum humanitati facta, at vero realis est, non verbalis, ergo realiter communicantur attributa ista humanitati. 3. Ex Scriptura: *Matt.* 28. v. 18. Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra, at non est data illi ulla potestas in tempore secundum divinitatem, ergo secundum humanitatem. Similiter *Coloss.* 2. v. 3. et 9., in Christo dicitur corporaliter habitare plenitudo divinitatis et omnes thesauri sapientiae Dei; ergo est omniscius. Eodem modo *Coloss.* 4. v. 10., Christus ascendisse dicitur, ut impleret omnia; ergo est ubique. Et Confirmatur; nam Christus sedet ad dexterum Patris, ergo ubi est duxera Dei, ibi est Christus, sed duxera Dei ubique est, ergo. 4. Probat *Hunnius* illo lib. de persona Christi fol. 162. ex Patribus. Nam *Hieronymus* contra Vigilant. c. 2. in fine: Si agnus ubique est, ergo et hi qui cum agno sunt. *Ambrosius* in c. 10. ad Heb. initio, et *Chrysostomus* hom. 17. ad Heb. Unus, inquiunt, ubique est, Christus. Eadem verba habet *Cyrillus* lib. 52. in Ioan. c. 32.

Dico 1. Peracta consecratione etiam ante usum verum corpus Christi est in Eucharistia. Ita Concilium *Tridentinum* sess. 13. can. 4. et late probat *Valentia* hic disp. 6. q. 1. punto 3. *Suarius* disp. 46. sect. 8., *Bellarminus* lib. 4. de Eucha. c. 1. *Sanctius Repetit.* 4. c. 12. Probatur 1. Eo modo nunc est in Eucharistia corpus Christi, quo fuit tempore institutionis in ultima cæna. Sed tunc ante usum vere erat præsens corpus Christi. Quod evidenter patet; nam statim ac Christus dixit: Hoc est corpus meum, vera

erat illa propositio, etiamsi tunc necdum omnes Apostoli sumpserint; verba enim illa Christi sunt assertoria de præsentि, non promissoria de futuro, ut absurdissime putat *Calvinus* lib. 4. c. 17. v. 37. Siquidem promissio de futuro verbis futuri temporis concipiatur, non præsentibus. Cum ergo Christus non dicat: Hoc erit corpus, vel: Hoc est corpus, si sumatis, sed absolute: Hoc est etc., sequitur statim fuisse corpus Christi, et similiter statim ac Dominus dixit: Hic est calix sanguinis, vera fuit illa sententia et tamen tunc omnes simul non bibebant ex uno calice. Ergo sicut lutherani ex veritate illorum verborum Christi: Hoc est corpus meum, colligunt aliquando præsens esse corpus Christi, ita colligere deberent tunc esse præsens, cum illa propositio prolata est, etiamsi actu nemo tunc sumat Eucharistiam; alias enim illa verba a ministro prolata falsa essent ante usum. Confirmatur. Nam licet cibus sit propter usum, non tamen est ipse usus, sed materia usus, et suppositio ante usum, ergo. 2. Probatur: ex consensu Patrum, qui fatentur omnes post verba consecrationis esse corpus Christi, *Irenæus* lib. 5. c. 2. v. 11., quando mixtus calix et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis et sanguinis Christi. *Ambrosius* de iis, qui initiantur mysteriis cap. 9.: Sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur. *Nissenus* orat. 37. Catactet., Sanctificatur per verbum Dei, non per manducationem. Denique *Augustinus* recitatus de Cons. dist. 2. can. 41., ait ante consecrationem esse panem, post consecrationem corpus Christi. Confirmat similiter id praxis Ecclesiæ conservantis cum summa veneratione et deferentis Eucharistiam. Nam ut ipse *Calvinus* ait lib. 4. c. 17. n. 39., veteris Ecclesiæ exempla habent, qui Eucharistiam asservant in templis, ut constat ex Concilio Nicæno I. can. 14., et refertur dist. 93. can. 14. Ex facto *Serapionis* apud *Eusebium* lib. 6. c. 36. alias 44. *Nicephorus* lib. 6. cap. 6. Ex eo, quod Patres sæpe docent corpus Domini manu suscipi, ut *Ambrosius* apud *Socratem* lib. 5. c. 17. *Chrysostomus* lib. 3. de Sacerdotio, initio. Quod *Ambrosius* in obitum fratris *Satyrii* ait: Ipsum in tempestate sacramentum collo suspensum gestasse, quod *Optatus* lib. 6.: Altare vocet sedem corporis et sanguinis domini, quod *Hieronymus* Epistola ad Rusticum sub finem ait: *Exuperium* portasse sanguinem Christi in vitro vase, corpus in canistro, quod *Eusebius* lib. 5. c. 24. alias 26., tradit ex *Irenæo* Eucharistiam mitti solitam absentibus. 3. Ad hominem argumentari licet; nam si

corpus Christi ubique est, ut moderni lutherani fatentur, ergo etiam ante usum præsens est in Eucharistia. Quod omnino non video ab iis negari posse, sed solum dicere possunt panem lutheranorum, cui præsens est corpus Christi, non esse sacramentum, nisi cum illo utuntur, eo quod ipse quoque usus spectet ad rationem sacramenti, quod sine ullo fundamento dicitur, ut mox patebit. Et a quibusdam catholicis etiam docetur, ut q. 73. ar. 1. dub. unico dicto 2. nec damnatum esse dixi.

Unde ori
vestro ea vis,
ut corpus
Christi attacu
suo præsens
statuat?
Et quando
præsens.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondeo. Inprimis nego omnia, quæ ibi Christus fecit et præcipit, spectare ad rationem huius sacramenti. Sicut enim cum iubet Apostolis: Euntes baptizate etc., non dicit ad rationem Baptismi necessarium esse, ut baptizantes eant per universum mundum, sed etiamsi quis nunquam domo exivisset, posset baptizare, ita etc. Deinde non omnes circumstantiæ actionis Christi præcepta tunc fuerunt. Nam verbi gratia, quod multi fuerint, quibus tunc dictum est: Accipite, non arguit semper necessarium esse, ut plures sint, qui accipiunt. Ad 2. Ex forma reliquorum sacramentorum aperte constat, sacramenta illa in actione consistere; id enim significant illa: Ego te baptizo, absolvo, ungo etc., at vero formæ Eucharistiæ non significant actionem aliquam exercendam circa hoc sacramentum, sed solum significant: Hoc esse corpus Christi, quæ propositio si vera est, etiamsi nullus Eucharistiam sumat, necesse est ibi esse corpus Christi.

Dico 2. Christi Domini corpus ex vi unionis hypostaticæ non est ubique, ac proinde nec in sacramento est ante consecrationem. Dixi (ex vi unionis); nam, ut sequenti dubio dicemus, et bene probat *Sanctius Repetit* 4. cap. 7. fol. 135., *Gabriel* sect. 46. in canonem, *Suarus* 3. p. Tomo 1. disp. 32. sect. 4. *Valentia* 3. p. disp. 1. q. 5. p. 2. et ab ipso citati: *Scotus* 4. d. 10. q. 2. ar. 3. *Sotus* 4. *Chrysostomus* q. 2. ar. 3., sicut potest unum corpus ponere Deo in locis pluribus, ita pari facilitate posset poni in omnibus omnino locis totius mundi, non quidem per ipsam divinam omnipotentiam, sed modis explicandis inferius, quamvis de facto certum sit de fide non esse ubique corpus Christi.

Hanc conclusionem latissime probant *Suarus* et *Valentia* locis citatis et præterea *Valentia* 3. p. disp. 192. puncto 3. *Bellarminus* lib. 3. de Incarnatione cap. 1. *Sanctius Repetit*. 4. de Eucharistia et alii. Et quidem omnipotentiam divinam humanitati Christi

communicatam non esse 3. p. q. 13. ostendimus, sicut et illud quoque: Christi humanitatem non potuisse per divinam scientiam cognoscere. Nunc breviter quo ad omnipræsentiam probatur, conclusio: 1. Si ex eo, quod persona Verbi identificata omnipræsentia, omnipotentiæ etc. unita est humanitati, recte inferretur etiam humanitatem esse ubique, omnipotentem etc.; ergo similiter recte inferretur humanitatem esse spiritualem, æternam, actum purum, impassibilem, primam rerum omnium causam etc.: at hæc nullo modo sequuntur, cum certum sit humanitatem Christi ante beatam Virginem non fuisse, passam esse etc., ergo. Sequela maioris patet; nam non minus est identificata hypostasi Verbi divina æternitas, impassibilitas, spiritualitas etc. quam divina immensitas. Et consequenter non minus est communicata humanitati una, quam alia, mediante hypostasi Verbi. 2. Si ex vi unionis hypostaticæ communicantur hæc attributa humanitati, ergo impossibile est, ut manente unione non communicentur hæc attributa humanitati, ut patet. Tum quia argumenta adversariorum semper eandem vim habent, quamdiu manet unio hypostatica, ac proinde si aliquid probant, probant toto tempore, quo unio manet, manere hanc communicationem attributorum. Tum quia communicari non potest aliqua forma alteri rei, quin suum effectum formalem tribuat illi. Atqui certissimum est Christum, dum in mundo versaretur, secundum humanitatem non fuisse ubique. Tum quia id *Scriptura* diserte docet *Marci* 16. v. 6. Surrexit, non est hic, et *Ioan.* 11. v. 15., non eram ibi. At si revera fuissest ibi secundum humanitatem, etiam invisibiliter non recte diceretur non fuisse ibi, sicut non recte dicitur Deus non esse hic. Tum quia *Act.* 2. v. 31., Christus descendens in infernum, non relictus erat ibi, ergo non semper mansit ibi, ergo non fuit ubique. Similiter non vere diceretur relinquere mundum *Ioan.* 16. v. 28., nisi ascendens in cælum ex vi illius motus realem existentiam suam e mundo transferret, etiamsi aliunde per aliud mysterium et alio modo in mundo maneret. Tum denique quia si Christus ubique fuissest, non vere, sed tantum secundum apparentiam exivisset ex utero Virginis, non vere intrasset ad discipulos ianuis clausis etc., quia hæc sine mutatione loci intelligi non possunt. Et quæmadmodum vere dixi non posse Deum aliquo moveri, eo quod ubique est, nec ullus inde discedit, ubi est, aut eo it, ubi fuit, ita similiter. Nec est ad rem, quod *Hunnius* de actu primo et secundo som-

niat; nam habere omnipræsentiam actum secundum significat; idem enim est, ac esse ubique, et si semel concedatur posse humanitatem habere omnipræsentiam mediante unione hypostatica, nec tamen esse actu ubique, omnia argumenta hæreticorum redundunt inutilia, ut consideranti patet. Præterea habere immortalitatem et impassibilitatem divinam est non posse pati, non posse mori: at Christi humanitas passa est, ergo potuit pati, ergo non habuit ne quidem in actu primo immortalitatem divinam. Denique si per unionem hypostaticam tota plenitudo ita est communicata humanitati, ut illa fieret omnipotens etc., ergo non solum attributa sed et eorum actus secundi communicati sunt humanitati, cum omnia, quæ in Verbo sunt, communicata sint. 3. Hæc hæresis proinde ac manichæorum plane evacuat et inutile reddit sacramentum Eucharistiae, si minirum æque in omnibus rebus sumitur corpus Christi ac in Eucharistia, qua de re ita *Augustinus* Tomo 6. lib. 20. contra Faust. c. 13. Noster, ait, panis et calix non quilibet, quasi propter Christum in spicis et sarmentis ligatum, ut ipsi despiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, proinde quod non ita fit, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, licet benedicimus, gratiasque agimus Domino in omni eius munere; vobis autem per fabulam vestram in escis omnibus Christus ligatus apponitur. 4. Ex mera ignorantia videtur orta hæc hæresis, eo quod non intelligentes, in quo sita sit ratio communicationis idiomatum duarum naturarum, arbitrentur adversarii communicationem idiomatum esse transfusionem proprietatum unius naturæ in aliam naturam, ut scilicet unius naturæ proprietates re et voce alteri tribuantur, quod et damnatum olim in *Eutychete* in Concilio *Chalcedonensi* act. 5, ubi in 2. fidei confessione definitur in Christo inconfusas et salvas esse naturarum proprietates. At si proprietates et attributa divinæ naturæ humanitati tribuerentur, non manerent inconfusæ proprietates, sed quemadmodum *Eutyches* volebat, confunderentur, ergo. Et *Augustinus* Serm. 191. de Tempore, *Hieronymus* Expositione fidei ad Damasum: Exsecramur, aiunt, eorum blasphemiam, qui asserunt a tempore susceptæ carnis omnia, quæ erant divinitatis in hominem commigrasse, et rursum, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa. Et evidenter falsum est; sequeretur enim etiam naturæ divinæ æque attribui debere proprietates humanæ naturæ, sicut proprietates divinæ attribuuntur naturæ humanæ, ac proinde na-

tura divina esset mortalis, cœpisset in tempore etc. Communicatio igitur realis attributorum et idiomatum in eo consistit, sicut 3. p. q. 16. explicavimus, quod eidem personæ habenti utramque naturam vere communicentur et tribuantur utriusque naturæ proprietates, quamvis uni naturæ nec vere, nec re tribui aut convenire possunt attributa alterius naturæ. Sicut ergo quando eadem persona est faber et medicus, vere dicimus: hic faber est medicus, scit curare morbos etc., non tamen dicimus, artem fabilem esse scientiam curandi morbos: ita propositio de hac persona, quæ vere et realiter habet utramque naturam, recte dicere possumus: Christus, seu hic homo, seu hæc persona est Deus, est homo, est omnipotens, immensus, æternus etc. Et hæ proprietates significant illum eundem, qui est Deus esse hominem, et duas naturas in eodem supposito esse. Ratio est; nam ad veritatem propositionis affirmativæ in recto casu requiritur aliqua identitas prædicati et subiecti, alias non recte diceretur: Hoc est hoc. Unde ut aliquid in concreto recte prædicetur de subiecto in concreto, sufficit identitas subiecti, id est suppositi. Concreta enim in recto significant subiectum vel suppositum, illud autem in enunciatione prædicatur et subiicitur, quod significat in recto terminus. Unde cum dico: hoc corpus est album, perinde est ac si dicam, hoc corpus est illud idem, quod habet albedinam; album enim idem est, quam habens albedinem. Verum quia nec abstracta de abstractis non possunt recte prædicari, nisi prædicatum sit de essentia subiecti, ut accidit in hac propositione, albedo est qualitas etc., nec ulla identitas est inter naturam humanam Christi et attributa divina: iccirco non potest recte dici humanitatem Christi esse æternam, immensam etc., sed tantum suppositum idem dici potest esse id, quod habet naturam divinam et naturam humanam simul.

Ad 1. Hunnii Respondeo: eodem modo probant animam rationalem non esse in capite, eo quod tota sit etiam extra caput, in pede nimirum, similiter probant Deum non esse in nobis eo, quod totus sit in Indis. Dico ergo eandem rem totam posse esse præsentem humanitati et simul posse esse, ubi non est humanitas. Ad 2. Concedo Verbum communicando humanitati suam substantiam, ut per illam subsistat, communicare illi se totum et omnia sibi identificata, non ita tamen, ut humanitas per illa sit spiritualis, æterna, immensa etc., sed ut per substantiam Verbi

subsistat. Sicut anima rationalis communicat se corpori, non ita, ut per illam corpus sit spiritualis (sit anima); sed ut sit animatum, id est habens animam, a qua perficiatur. Ad confirmationem respondeo: talis est communicatio proprietatum duarum naturarum, non inter se, sed in eadem persona, qualis est unio, ac proinde non solum verbaliter, sed vere et realiter eadem persona Deus et homo est, et eidem personæ attributa utriusque naturæ conveniunt. At vero attributa unius naturæ alteri nullo modo nec realiter, nec verbaliter communicantur. Dices: Ubiunque est Verbum est homo, ergo ubique est humanitas et unio cum illa. Respondeo, si antecedens hoc sensu sumatur, hoc suppositum, quod est ubique, est homo, concedo antecedens; si vero sensus sit, hoc suppositum, quod est ubique, etiam humanitatem habet ubique, falsa est. Ad 3. respondeo: humanitati Christi communicatam esse creatam quandam potestatem excellentiæ in cælo et terra fatemur cum *Augustino* lib. de fide cap. 7., ita ut omnibus imperare, omnia immutare possit, quæ potestas non requirit realem præsentiam in rebus omnibus. Idem dico de scientia animæ Christi. Deinde concedo etiam divinam potestatem communicatam humanitati, una cum persona Verbi, ut scilicet per illam subsistat humanitas. Ad illud *Ephes.* 4. Respondeo: Christus ascendisse dicitur, ut impleret omnia, scilicet quæ de ipso in Scripturis prædicta erant; vel ut impleret donis cælestibus omnia, vel denique ut impleret omnia dominatione, operationeque, idque in carne. Ad Confirmationem respondeo: per sessionem Christi ad dexteram quidam Patres, quos late refert *Suarius* Tomo 2. disp. 51. sect. 2., intelligunt æqualitatem divinitatis Christi cum Patre, unde et Apostolus *Heb.* 1. v. 13. ex hac propositione ostendit hanc æqualitatem. Secundum humanitatem vero dici etiam potest sedere ad dextram, ita tamen ut cum Deus dextram et sinistram non habeat, hac loquendi forma significetur humanitatis ipsius gloria et exaltatio super omnes creature, quæ ratione dignitatis personæ debita ipsi collata est in ascensione propter ignominiam passionis, ut habetur *Philipp.* 2. v. 9. *Lucæ* 24. v. 26. *Heb.* 2. v. 9. Sicut ergo non valet hæc argumentatio: Nos in Deo sumus *Act.* 17. v. 28. ergo ubiunque Deus est, et nos ibi sumus, ut recte monet *Augustinus* Epistola 57. q. 1. Non est, ait, consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus; vel anima tota est in digito, ergo ubiunque est anima, ibi est etiam digitus. Ad 4. *Hierony-*

mus cum sanctos et Christum ubique esse docet, loquitur non de reali et locali præsentia, sed de præsentia per virtutem, potentiam, cognitionem, eo quod omnium ubique orantium necessitates audiant, sublevent. *Ambrosius*, *Chrysostomus* etc. solum dicunt idem corpus Christi ubique præsens esse, ubi sacrificium offertur; explicant enim ibi, qua ratione sit unum sacrificium nostrum, cum tot locis offeratur, et aiunt unum esse ratione unius rei oblatæ, scilicet eiusdem corporis Christi, quod ubique in omnibus sacrificiis idem est.

Dubium III.

AN UNUM CORPUS IN PLURIBUS SIMUL LOCIS POSSIT CONSTITUI?

Cum hæc res maiori ex parte physica sit, occasione tamen huius mysterii disputari cæpta, brevissime eam attingere placuit. Qua de re late *Fonseca* 5. Metaph. c. 4. q. 4. sect. 5. *Suarus* hic disp. 48. sect. 4. *Bellarminus*, *Valentia*, *Alanus* etc.

Dico 1. Etsi naturaliter res una non nisi in uno loco esse possit, dico tamen, nihil impedit, idem pluribus in locis simul esse. Ex Patribus idem diserte docent *Chrysostomus* hom. 17. in Epistolam ad Heb. *Ambrosius* in cap. 10. ad Heb. initio et in eundem locum, *Theodoreetus*, *Occam*, *Theophilactus*, *Haymo*, *Pri-masius*, *Remigius*, qui ideo aiunt in omnibus locis, in quibus offertur corpus Christi, unum esse sacrificium, non plura, quia idem Christus ubique offertur. *Augustinus* vero Tomo 8. Conc. in psal. 33. : Christus, ait, in ultima cæna, cum dixit: Hoc est corpus meum, portabatur suis manibus, quod secundum literam in homine fieri non posset. Eadem verba habet *Prosper* lib. 2. de Promissione c. 25. *Chrysostomus* lib. 3. de Sacerdotio, o miraculum, quia cum Patre sursum sedet, illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur. *Nissenus*, Orat. Catechet. cap. 37.

Idem Cyrillus
12. in Ioan.
c. 32.

Unum et idem Christi corpus ait multis millibus fidelium distributum totum esse in unoquoque, et Orat. de Paschate: *Sicut*, inquit, divinitas replet mundum et tamen una est, ita innumerabilibus locis consecratur et tamen unum est corpus. *Bernardus* sermone 2. de Cæna Domini: Te, inquit, piissime Jesu, præsentem habemus in manibus, in oculis, qui totus sedes ad dexteram Patris, et unius horæ momento ab ortu solis ad occasum præstoes; idem in diversis locis. *Similia Gregorius* relatus de Cons. d. 2.

can. 73. quid sit, *Augustinus* relatus ibidem cap. 75. qui manducavit cap. 70. Invitat: Integer, ait, totus in cælo, totus in terra, non ergo timemus, ne manducantes finiamus panem istum, et postea, quod manducemus, non habeamus etc. *Augustinus* vero Tomo 4. de Cura pro mort. c. 16.: dubitas, an sancti per se ipsos adsint uno tempore, diversis et inter se longinquitate dissitis locis. Licet enim id naturaliter fieri non possit, alii tamen sunt, inquit, limites rerum humanarum, alia divinarum signa virtutum. Deinde hæc veritas non solum evidenter colligitur ex iis, quæ dubio 1. e. et 2. probavimus ex Scripturis, sed etiam ex Christi Domini ascensione et posterioribus apparitionibus. Nam Christus cælos ascendit usque ad tempus restitutionis omnium. *Act.* 3. v. 21. vel, ut alibi dicitur, donec ponantur omnes inimici scabellum pedum eius. *Heb.* 8. v. 1. *I. Corint.* 15. v. 25. *Ephes.* 1. v. 20. *Coloss.* 3. v. 1., hoc est usque ad diem iudicii ibi mansurus, ut *Berza*, *Calvinus* et alii novatores consentiunt, quos late refert *Fevardentius* 6. *Theomachiæ* c. 10., *Sanctius Repetit.* 4. cap. 7. Et tamen Christus post ascensionem visus est in terra D. Paulo, *Act.* 9. v. 17. 27. cap. 22. v. 14. cap. 26. v. 13. *I. Corint.* 15. v. 8. cap. 8. v. 1. ergo eodem tempore et in cælis fuit Christus et in terra, ut late deducunt *Valentia* hic disp. 6. q. 3. p. 1. §. 23. *Ballarminus* 3. de Eucharistia c. 3. *Suarius* 3. p. Tomo 2. disp. 51. sect. 3. Nec dici potest Christum in cælis existentem visum a *Paulo*, vel tantum visum in specie; tum quia *Act.* 23. v. 11. dicitur astitisse Paulo Christus; tum quia *Act.* 9. v. 17. 27. cap. 26. v. 13. dicitur Christus a Paulo visus in via. At quod a via, qua quis vadit, remotum est, id non in via videtur, sed ex via; nemo enim secus dicet se vidisse aliquem in lecto, in cubili, qui in cubili non fuit. Tum quia Paulus ibi vidit Christum, ubi comites vocem loquentis audire poterant *Act.* 9. v. 7., ubi fulgor apparentis oculos Pauli potuit perstringere etc. Tum quia si Paulus non in terra, sed in cælo vidisset Christum, non erat causa, cur quæreret: *Act.* 9. v. 7. quis es Domine? Et certe si *Paulus* Christum in cælis existentem videre potuit, ineptissima est illa *Calvini* interrogatio lib. 3. c. 20. v. 24. Quis ait, adeo longas esse sanctis aures revelavit, quæ ad nostras voces pertingant? Deinde multæ aliæ Christi apparitiones leguntur, ut illa *D. Petro* Romæ, cum se iterum crucifigi dixit, quam refert *Hegesippus* lib. 3. de Excidio urbis etc. et *Ambrosius* oratione in *Auxentium* de tradendis basilicis, quæ

habetur post *Epistolam* 32. Confirmari potest ex aliis operibus mirabilibus Dei supra naturam factis unionis hypostaticæ. Confirmatur a similitudine animæ rationalis, quæ tota est in capite, pede .etc.

Denique hæc veritas ratione naturali probatur. Nam nulla in ea est requgnantia; si quæ enim esset, vel esset ex parte corporis; vel ex parte loci extrinseci, vel ex parte ubi intrinseci, vel ex parte eorum, quæ consequuntur corpus in diversis locis constitutum. At ex his omnibus nulla repugnantia sumi potest; ergo.

Ex primo capite, hoc est ex parte corporis non repugnare patet. Vel enim repugnaret ratione unitatis corporis, eo quod si esset in pluribus locis, esset divisa res a seipsa, quod est contra rationem unius, quod debet esse indivisum in se, vel ratione extensionis, cuius ea natura est, ut pars non possit excedere loco totum, nec corpus unius potest excedere loco maiora corpora; vel ratione finitæ virtutis corporis ad occupandum locum, eo quod si corpus posset poni ubique, posset esse immensum, quod est proprium Dei; vel denique ratione finitæ virtutis activæ et passivæ corporis; si enim poneretur in omnibus locis idem verbi gratia luminosum, totum mundum illuminaret, idem homo totam terram elevaret, ubique levando particulam terræ, ab omnibus pateretur etc. At hoc nihil concludit, ergo etc. Minor patet. Nam in primis indivisio, quæ constituit unitum non est indivisio secundum locum, sed secundum entitatem et intrinsecam realitatem rei, unde pluralitas loci opponitur formalí unitati secundum locum, non unitati entitativæ, quam res quælibet habet seipsa; ergo sicut pluralitas accidentium non tollit unitatem substantiæ et pluralitas successiva locorum, in quibus res est, non multiplicat entitatem rei, sicut nec unitas loci, in rebus, quæ simul essent per penetrationem, tolleret multitudinem entitativam rerum, ita etc. Secundo non maior esset extensio partis, quam totius, etiamsi pars poneretur in pluribus locis et consequenter occuparet maius spatum, quam totum; semper enim extensio in ordine ad se maior esset in toto, licet in parte essent ubi plura, vel unum perfectius; unde sicut ex eo, quod totum cælum per penetrationem partium poneretur in exiguo loco, non sequeretur cælum in se esse exiguum, sed solum exiguum spatum occupare, ita etc. Tertio finita capacitas occupandi locum non repugnat. Nam naturalis potentia finita est; potentia vero obedientialis illimitata est, quæ ut educatur ad actum, requirit in agente principali vim infinitam, ut alibi explicavimus. Et quamvis corpus poneretur in

omnibus locis, non tamen haberet immensitatem divinam; sicut si ab æterno conderetur, non haberet æternitatem Dei. Immensitas enim una simplicissima ratio est, identificata naturæ divinæ, illique necessario conveniens, cum tamen ubi creatum distinctum sit, multiplex, limitatum etc. Quarto denique vis activa non augetur nec intensive, nec extensive ex loci pluralitate, ac proinde quoad actiones, quæ flunt cum resistentia passi, non plus potest agere corpus in pluribus locis constitutum, quam in uno, ideoque si quis in uno loco elevet pondus æquale viribus suis, in alio nil poterit elevare etc. quod vero adtinet ad actiones, quæ flunt sine resistentia passi, ut est illuminatio etc. non potest quidem res producere in pluribus locis intensius lucem, quam in uno, potest tamen ratione applicationis passi plures partes illuminare, sicut posset etiam in uno loco existens luminosum omnes partes corporis diaphani, si per penetrationem applicaretur illuminare simul, et quod de facto non illuminet, est defectus applicationis et propter limitatam spheram activitatis.

Ex secundo capite hoc est ex parte loci non repugnare patet; nam vel repugnaret eo, quod locus est terminus rei locatæ, terminus autem est, extra quem res terminata non est. Et præterea quia terminus loci et locati sunt simul, ac proinde sicut repugnat locatum esse extra proprios terminos, ita repugnat, esse extra terminos loci. Vel quia locus rei est adæquatus locato, at non esset adæquatus, si locatum esset extra locum ergo. Vel demum quia sicut res non potest esse in diverso tempore, ita nec in diverso loco. At nil horum impedit. Nam in primis respectu potentiae naturalis corporum ad replendum locum, verum est id, quod primo et secundo loco assumitur, non tamen in ordine ad potentiam obedientiale, quam corpus habet, ut a Deo possit in multis locis constitui; quæ responsio in multis aliis supernaturalibus locum habet apud omnes. De duratione quod additur, non est difficile, si enim duratio ex natura rei distinguitur a re, potest illa quoque multiplicari, non ita quidem, ut simul existat in diversis partibus temporis successivi, cum implicat partes rei successivæ simul esse, sed ita ut vel successive existat in diversis partibus temporis, vel simul per diversas durationes sit hoc tempore. Si autem duratio est ipsa entitas rei cuiuslibet, clarum est sine multiplicatione rei non posse illam multiplicari, ubi vero multiplicari potest, cum ex natura rei distinguitur a corpore.

Ex tertio capite scilicet ex parte ubi non repugnare patet; si enim repugnat vel ideo quia hoc ubi non est, nisi ipsa quantitas rerum, quæ non multiplicatur, vel ideo, quia unum ubi constituit rem cum omnibus suis accidentibus hic, ergo etiam secundum ubi constitueret corpus cum omnibus accidentibus alibi, ergo etiam primum ubi constitueret alibi. At id fieri non potest; cum enim effectus formalis huius ubi sit esse hic, non potest esse alibi, ergo. Verum ista non concludunt. Non primum; nam ubi non est quantitas, quæ eadem semper manet, sed accidens distinctum de prædicato ubi, quod variari ac mutari potest manente eadem quantitate, sicut et extensio in ordine ad locum, seu ratio, quæ res apta est occupare tantum vel tantum locum, eadem maneret etiamsi per motum localem mutetur ubi, ut postea dicemus. Nec secundum urget; nam in primis in re, quæ habet diversas partes et diversa accidentia, non est unicum ubi, sed tot, quod sunt entitatis diversæ. Deinde licet duo ubi compossibilia sint in eodem subiecto, tamen non possunt sibi invicem suos effectus formales communicare, quia nec se mutuo afficiunt, nec alterum est capax effectus formalis alterius, quemadmodum ergo licet in eodem subiecto sit calor et frigus in gradu remisso, tamen non communicant sibi mutuo effectus formales, nec calor reddit frigus calidum, ita similiter etc. Vel secundo quia si corpus existens in uno poni possit in alio per productionem novi ubi in illo: hoc autem recipere non potest corpus. Si enim reciperet deberet recipere hoc ubi, vel ut est in priori loco, et sic ratio essendi in secundo loco esset in corpore existente in priori loco, quod plene impossibile est, ut diximus, cum ratio essendi hic in mobilis sit, nec alibi esse possit; vel reciperetur in corpore, ut existente in secundo loco, et hic iam supponeretur esse alibi. Et Confirmatur; nam ut ubi afficiat et modificet corpus, debet illi præsens esse; non enim potest modificare rem distantem, nec illi uniri. Si autem corpus debet esse præsens, ut modificari possit ab ubi, ergo ante modificationem talis ubi, iam res erit in pluribus locis, quod est falsum. Verum nec hoc urget; nam ubi secundum recipitur in ipso corpore, non prout est alibi, sed prout constituitur per ipsam receptionem secundi ubi in hoc loco, tanquam per rationem formalem, quæ in genere causæ formalis prior est, quam constitutio corporis in secundo loco. Unde non supponit corpus esse in secundo loco, sed constituit illud in secundo loco, quod commune est omnibus

rationibus formalibus. Nam existentia verbi gratia non supponit rem existentem, sed constituit, nec singularitas supponit rem singularē, sed constituit, nec quantitas supponit rem extensam, sed facit extensam seipsa, ita nec ubi supponit subiectum esse hic et esse sibi præsens, sed seipso constituit hic.

Ex quarto capite scilicet ex iis, quæ consequuntur constitutionem corporis in pluribus locis, nullam sumi posse implicationem ex dicendis constabit; et ex his non tantum ostenditur fieri posse, ut idem corpus Christi simul habeat plures præsentias sacramentales, sed etiam idem corpus cum sua locali extensione posse a Deo constitui simul in diversis locis, quod etsi multi veteres negent, ut *Bonaventura*, *Capreolus*, *Henricus*, *Aegidius*, *Ferrar.*, *Soto*, quos late refert *Suarius* disp. 48. sect. 4. et vehementer infirmit *D. Thomas* hic ad 3. Revera tamen argumenta pene omnia, quibus ostenditur non posse res cum sua extensione poni simul in multis locis, retorqueri eodem modo possunt ad ostendendum, impossibilem esse etiam pluralitatem præsentiae sacramentalis in eodem corpore, et eodem modo solvenda sunt, quo nos iam solvimus ea, quæ ostendere videbantur contradictionem.

Dico 2. Corpus constitutum in diversis locis prædicata, quæ includunt præsentiam localem, vel in ea fundantur, diversa habet, ut præsentiam, distantiam etc. Cætera vero prædicata absoluta et ab hac præsentia independentia diversa etiam habere potest, atque adeo ex vi agentis naturalis recipere potest aliquod accidens in uno loco, quod in alio, ex vi eiusdem agentis recipere non posset. Prima pars patet; nam eo ipso, quod præsentiae locales constituentes in locis diversis multiplicentur in eodem corpore, non solum una non est alia, sed etiam non potest una esse, ubi est alia, cum una formaliter sit ratio essendi hic, alia essendi alibi, et una ex ratione sua individuali ita sit ratio essendi hic, ut sit prorsus immobilis, nec alibi constitui possit. Et ictcirco cum moventur corpora, licet alia accidentia transferantur motis nobis, præsentia tamen non transfertur, sed corruptitur necessario. Dices: ea quæ relationes oppositas habent, naturaliter distinguuntur inter se, sed corpus habens duo ubi, habet relationes oppositas. In primis enim habebit relationem distantiae a seipsa; et si vicinum esset sibi ipsi, haberet etiam relationem præsentiae. Similiter eidem rei erit præsens, ut est hic, absens, ut est alibi. Respondeo: eodem argumento ostendi posset non esse eandem animam in capite et pede. Dicen-

dum ergo est, corpus in duobus locis existens non distare a seipso absolute lorquendo, sed solum quatenus est hic, sicut si in uno loco haberet albedinem, in alia nigredinem, non esset absolute sibi dissimile, sed solum prout est album et nigrum; et sicut in hoc casu similitudo et dissimilitudo non esset immediate in corpore, nec illi identificata, sed in coloribus, corpus autem solum mediate esset simile: ita in præsenti relatio propinquitatis et distantiae immediate esset in ubi, tanquam in fundamento immediato, cui identificatur relatio et ideo rationem diversorum ubi communicarent solum hæ relationes corpori. Similiter præsentia et absentia eiusdem corporis respectu eiusdem rei, non sunt oppositæ relationes, sed quemadmodum ignis secundum unam qualitatem est similis soli, secundum aliam dissimilis, ita idem corpus secundum diversa ubi est præsens eidem loco, et secundum aliud distans abeo, cuius relationis fundamentum proprium non est ipsum corpus ex se indifferens ad præsentiam, vel distantiam, sed ubi. Secunda pars patet; nam licet verum sit proprietates corporum, sine quibus naturaliter corpus existere non potest, connaturaliter debere esse, ubicunque res illa est, cum sine illis connaturaliter non possit conservari. Similiter licet verum sit corpus constitutum in pluribus locis connaturaliter petere, ut accidentia absoluta, a loco et aliis corporibus extrinsecis abstrahentia, quæ in uno loco acquirit, constituantur a Deo etiam in aliis locis, ubi est illud corpus; tum quia identitas, seu potius unitas entitativa subiecti postulat, ut eadem habeat accidentia absoluta; tum quia unio absoluta accidentis cum subiecto eo ipso, quod est independens ab hoc, vel illo loco, postulat, ut uniat subiecto accidens, independenter ab hoc et illo loco; tum quia respectu qualitatum habentium contrarium, quarum latitudo de facto expleta est in omnibus corporibus, secus fieri connaturaliter non potest, nam si in corpore sic produceretur caloris gradus aliquis, debet corrumpi necessario aliquis gradus frigoris, et, ut omittam id, quod siè consequenter debere ubique corrumpi, et consequenter etiam in corpore alibi existente, ideoque vel in illo quoque produci debet calor, vel corpus ibi manebit, non expleta latitudine contrariarum qualitatum; si alibi remaneret idem frigus in corpore, sequitur plus posse recipere qualitatis corpus in duobus locis, quam in uno; ultra totam enim latitudinem qualitatum, quam alibi habet, hic acquirit novos gradus caloris, quæ omnia contra naturæ leges sunt; ergo. Tum demum,

quia in hac veritate fundatur communis doctrina de concomitantia sacramentali accidentium, quæ corpus Christi habet in cælo, et illa doctrina *D. Thomæ* hic q. 76. ar. 1. q. 81. ar. 4. de Constitutione in sacramento omnium accidentium absolutorum, quæ corpus Christi denuo acquirent extra sacramentum. Licet inquam hæc ita sint, potest tamen idem corpus hic habere lumen, motum etc., ibi non habere etc. Tum quia de facto corpus Christi in cælo habet extensionem in ordine ad locum, non habet in Eucharistia; et anima rationalis in capite habet aliquam partem unionis substantialis, quam non habet in pede, ergo. Tum quia ad hoc, ut idem corpus in uno loco habeat albedinem, in alio non habeat, non requiritur, ut corrumpatur unio albedinis, sed sat est, si in corpore producatur ubi, non producatur in albedine et unione illius; eo enim ipso albedo aberit a corpore et consequenter non erit illi intima, nec suum effectum formalem dabit illi, quem dare non potest, si seipsam non det. Tum quia nulla in hac re contradicatio appetet; non enim sequeretur tunc idem corpus esse album et non album; semper enim altera pars propositionis contradictoriæ, nempe negans falsa esset absolute; in ea enim, cum prædicatum complete distribuatur, nullo modo dicitur inesse ei corpori, verbi gratia albedo, quod falsum est. Et idem iudicium est de termino privativo, qui etiam absolutam negationem includit, ideoque si corpus in uno loco moveretur, simpliciter falso diceretur corpus illud quiescere, licet alibi non moveretur, sicut et anima in brachio moveri potest, alibi quiescere. Si vero propositio negativa non sumatur absolute, sed cum determinato modo, loco etc., tunc non erit contradicatio, quia una propositio non negat id, quod alia affirmat, sed una affirmat verbi gratia corpus simpliciter esse lucidum, alia non negat illud habere simpliciter lucem, sed negat illam habere in hoc loco. Et eodem modo solvendæ sunt omnes similes argumentationes.

Duo tamen pro huius conclusionis intelligentia addenda sunt. Primum est id, quod ante innuimus, Dei solius esse, ut accidentia, quæ in uno loco producuntur in tali corpore, ponantur etiam in alio loco, ubi est idem corpus. Solius enim naturæ vi, si hic verbi gratia illuminetur arx, producatur in oculo species, visio etc., non ponerentur ista etiam in alio loco, quia constitutio eiusdem rei in locis pluribus est effectus supernaturalis, non minus in accidentibus, quam in substantia ignis, sicut etiam ut

ab extremo ad extremum sine medio transferatur. Nec dici potest per resultantiam ab eodem subiecto constitui accidens in alio loco, in quo est subiectum; quia hæc resultantia includit productionem secundi ubi, quod ante non erat in accidenti; incipit autem esse ex vi alicuius potentiae producentis hunc novum effectum supernaturalem, minirum ut idem accidens habeat duo ubi, quæ a nullo agente rationali fieri possunt in eadem re. Secundum est, cum, ut diximus, ex eo quod corpus ponatur in pluribus locis, non angeatur illius potentia activa, vel passiva, ideoque quod in uno eodemque loco naturaliter non potest agere vel pati, nec potest in diversis. Iccirco, sicut in uno loco naturaliter non potest simul calefieri et frigere, sanus et infirmus esse, et expleta latitudine contrariarum qualitatum non potest naturaliter alium gradum ultra totam latitudinem recipere, etc.: ita similiter naturaliter non poterit in uno loco augeri calor in illo, in alio augeri frigus etc., licet id totum divina virtute fieri possit. Ideo si in uno loco eidem parti applicetur calor, in alio frigus, id solum aget, quod est fortius ad agendum, si æqualis virtutis sunt, neutrum aget. Ex quo facile intelligitur, quid consequenter de aliis similibus dicendum sit.

Dico 3. Contradictionem implicat, ut idem constitutum in locis pluribus in uno corrumpatur substantialiter, in alio remaneat. Dixi: Idem; si enim non sit omnino idem, secus fieri potest, unde si una eademque anima eidem materiæ duabus diversis unionibus uniretur, posset in uno loco corrupti totum compositum et mori homo, quia ad corruptionem totius non est necessaria corruptio partium, sed sufficit unionis corruptio. Hæc conclusio adeo est evidens, ut non videam, quomodo possit negari, quam in physica duabus rationibus probavi, quibus ne nunc quidem occurrunt meliores. Prima est: quia ex principiis creatis nullum habemus aliud principium realis distinctionis rerum, quam quod illa sint realiter distincta, quæ ita se habent, ut uno corrupto, alterum remaneat integrum, ut ex *Aristotele*, S. Patribus et ratione naturali alibi evidenter ostensum est. Ergo si hoc corpus desinit esse et corruptitur illo manente, hoc non est illud. Ergo si hoc est illud, non potest desinere hoc manente illo. Secunda ratio est; ut aliquod corpus vere corrumpatur, necessarium est, ut desinat aliquid substantiale spectans ad eius constitutionem; sicut enim non est productio substantialis, nisi aliquid substantiale

producatur, ita non est desitio, seu corruptio substantialis, nisi aliquid substantiale desinat esse. Sed ex eo, quod verbi gratia Deus produceret in una materia ubi, per quod constitueretur Romæ, in anima vero et unione non produceret, vel si idem homo poneretur Romæ et hic, conservaretque Deus in materia illius ubi, quo constituitur hic, cessaret vero a conservatione ubi, quo anima constituebatur ibi; licet materia hic non esset informata, cum informari non possit, nisi unionem et formam habeat intime sibi communicatam; nulla tamen ratio substantialis desineret tunc esse in rerum natura, sed solum desineret esse ratio accidentalis, per quam anima constituebatur hic; ergo sicut ex eo, quod cum moveor localiter, desinit tota substantia esse hic, et incipit esse ibi, non ideo tamen dicitur hic annihilari, ibi produci substantialiter: ita similiter etc. Quamvis ergo materia eadem possit in uno loco esse animata, seu informata anima, in alio loco non esse informata; impossibile tamen, ut corrumpatur et desinat res in uno loco ex eo solum, quod aliqua ratio accidentalis, verbi gratia aliquod ubi, vel aliquis concursus divinus cesseret esse in rerum natura, absque desitione ullius rei substantialis spectantis ad constitutionem rei, si vero illa cesseret esse, evidens est illam nusquam esse. Implicit enim, ut quod non est, seu quod desiit esse alicubi sit; ex eo autem, quod cesseret esse hic, non magis dicitur res corrumpi, quam ego corrumpor, cum moveor. Ergo sicut ridiculum esset, si quis diceret annihilari substantiam, quando tota desinit esse hic, vel produci substantiam, et quasi replicari ipsius esse, quando incipit esse alibi; ita ridiculum est dicere ex sola desitione ubi unionis substantialis fieri corruptionem substantiae; ibi enim revera fit sola corruptio accidentalis.

Dico 4. Corpus existens in uno loco constitui potest in pluribus aliis absque ulla conversione substantiali tam instantanea, quam successiva mutatione. Hæc conclusio est contra illos, qui docent corpus Christi in cœlo existens non posse constitui in Eucharistia sine conversione; ita sentiunt *Paludanus*, *Capreolus*, *Bonaventura*, *Fevardentius*, *Marsilius*, quos late refert *Suarus* disp. 49. sect. 1. et præter hos *Alanus* lib. 1. de Eucharistia cap. 35. Fundamentum est, quia *D. Thomas* hic ar. 2. in 2. et ar. 3. 4., qui ita ratiocinatur: non potest aliquid incipere esse alibi, ubi prius non erat, nisi vel per mutationem loci, vel per conversionem aliquius in illam. Corpus Christi non incipit in Eucharistia esse per

motum localem, tum quia non deserit locum, quem habebat ante, tum quia non transit per medium, ergo per conversionem. Nostra tamen conclusio est communis *Scoti*, *Durandi* in 4. d. 11. *Caëtani* hic ar. 1. et 2. *Soti* et aliorum, quos loco citato sequitur *Suarius*, qui docent Christi corpus posse a Deo constitui præsens in Eucharistia, etiamsi maneret substantia panis et vini, ac proinde nulla fieret conversio. Et probatur 1.; nam de facto sub speciebus panis non solum est corpus Christi in quod convertitur panis, sed etiam est anima, sanguis etc., in quæ non convertitur panis, ut postea probabimus, cum hæc per concomitantiam tantum sint ibi et non ex vi significationis verborum, qua mediante operantur verba consecrationis efficiendo, quod significant, ergo etc. 2. Nam in hoc nulla est contradictio, ut producatur in corpore Christi vel per mutationem instantaneam ubi permanens, quale est in corporibus in fine motus localis, vel per motum localem producatur ubi successivum in corpore absque deperditione præcendentis ubi permanentis; licet enim naturaliter non fiat acquisitio novi ubi sine deperditione prioris, sicut nec fit acquisitio novi caloris sine deperditione frigoris; divina tamen vi contrarium accidere potest. Ratio est; nam terminus, a quo motus qui necessario aquisitus est et semper debet perdi, acquisito termino, ad quem, non est positivus, sed est privatio termini ad quem, quæ excluditur per terminum ad quem. Terminus vero a quo positivus, nec semper necessarius est, ut patet in productione successiva luminis specierum initio naturalium, soni etc., nec necessario excluditur, cum possit Deus conservare simul formas naturaliter repugnantes in eodem subiecto. Confirmatur; nam corpus non constituitur in hoc vel illo loco, et multo minus in pluribus locis per productionem substantialem, siquidem nec substantia corporis, nec actio productiva illius est ratio essendi in hoc vel illo loco, sed potius indifferens ad omnia loca et determinabilis per hoc, vel illud ubi, ad hunc vel illum locum; at ubi est producibile per propriam actionem absque ulla conversione, ut patet in motu locali, qui per se primo terminatur ad ubi, ergo poterunt in corpore produci plura ubi absque ulla conversione corporis, et eo ipso corpus erit in pluribus locis. Sicut enim quando res producitur per actionem productivam, quatenus terminatur ad substantiam corporis, non constituitur corpus in hoc loco magis, quam in illo, sed per aliam actionem, per quam in corpore producitur ubi; ita per similem

actionem produci potest ubi, etiamsi corpus ipsum non producatur, nec ulla fiat conversio substantialis. Ex quibus solvi possunt argumenta omnia, quæ contra hanc sententiam fieri possunt. Ad authoritatem *D. Thomæ* respondeo: *D. Thomas* solum docet præsentiam substantiæ in loco, in quo possit designari et demonstrari per accidentia sensibilia, qualis est præsentia corporis Christi in Eucharistia, non posse esse sine conversione aut motu sensibili. Revera enim hoc modo nulla substantia potest esse in aliquo loco, nisi vel motu sensibili moveatur ad illum, vel sit terminus, in quem convertatur substantia, quæ prius erat in illo loco; si enim talis substantia perseveraret sub propriis accidentibus, illa substantia, quæ adveniret modo supernaturali, non posset per illa accidentia demonstrari, quia etiam prior substantia demonstraretur, ut mox probabimus et ostendemus per eum sensum verborum, quem nunc habet forma consecrationis, non potuisse corpus Christi constitui præsens in Eucharistia sine conversione panis.

ARTICULUS II., III., IV., V., VI.

De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

Dubium I.

AN TOTA SUBSTANTIA PANIS ET VINI DESINAT ESSE, CONVERTATURQUE IN CORPUS CHRISTI?

Lutherani et calvinistæ omnes negant annihilationem panis et eius conversionem. Argumenta illorum præcipua sunt 1. Quia in Scriptura sacra vocatur panis Eucharistia, ut *I. Corinth.* 11. v. 26. Quoties manducabis panem hunc, *Matth.* 26. v. 29. A modo non bibam de hoc genimine vitis etc. *I. Corinth.* 10. v. 16., panis, quem frangimus etc. ergo. 2. Ita argumentatur *Sadel* lib. de Sacram. Manduc. cap. 3. Si non remanet substantia panis, tollitur analogia inter signum et signatum, non enim erit hoc sacramentum signum nutritionis spiritualis; siquidem non accidentia panis, sed substantia nutrit. Et confirmatur; nam in Baptismo manet substantia aquæ, ergo in cœna substantia panis. Similiter ex eo, quod Christus dixit: Ego sum panis, non sequitur Christum conversum in panem, ergo. Et ex eo, quod ostendens accidentia dixit: Hoc est corpus meum, non sequitur accidentia mutata in corpus Christi; etc. 3. Sic argu-

mentatur *Sadel*: Pronomen: hoc, simul atque profertur, aliquid demonstrat, et quidem præsens, cum res, quæ non existit, præsens demonstrari non possit. At non demonstrat corpus Christi, cum illud præsens non sit, quando profertur hoc pronomen, nec accidentia, quia hæc non sunt corpus Christi, ergo panem, ergo de pane dicitur, quod sit corpus Christi, ergo panis manet. 4. Si panis desinit esse, ergo. accidentia subsistent sine subiecto, convertentur in vermes, rursum transsubstantiantur in substantiam, et denique sola accidentia frangentur physica et non mathematica fractione, quæ absurdâ sunt. Et ludificatio, seu fascinatio potius sensus esset Eucharistia, cum species panis sensibus panem referant, qui tamen non sit. 5. Ita fatur Sadul: Si panis converteretur in corpus Christi, id colligi posset ex verbis formæ, at id non colligitur; nullum enim verbum est, quod significet conversionem, siquidem verbum: est, non significat conversionem, et si ulla conversio esset, ea præcederet propter prolationem verbi: est, et ita Christus loqueretur de re iam facta. Cuius argumenti vis, hoc modo melius appareat. Deinde vel veritas formæ est causa, ut panis transeat in corpus Christi, vel potius transitus ille est causa, ut propositio sit vera; si hoc postremum, ergo prius est ibi corpus Christi, quam forma sit vera, ideoque forma tantum significat rem iam factam, quod falsum est. Primum vero illud dici non potest; nam causa est prior natura effectu, ergo si veritas propositionis est causa conversionis, prius est vera enunciatio, quam fiat conversio: at implicat, ut sit vera nisi obiectum ita se habeat, ut oratione significatur, ac proinde nisi iam sit ibi corpus Christi; ergo. Hæc sunt præcipua argumenta haereticorum.

Addi possunt alia argumenta difficiliora. Confirmatur primo: quia ex verbis cænæ non videtur colligi, quod panis desinat esse; nam licet sub accidentibus panis esset simul panis et corpus Christi, nihilo minus per particulam: hoc, demonstrari posset solum corpus Christi. Quando enim duæ substantiæ simul continentur, in potestate loquentis est, ut unam potius demonstraret, quam aliam, ut cum in vase aureo continetur vinum, tam possum dicere vere: hoc est aurum, quam hoc est vinum, demonstrando scilicet ad arbitrium, vel continens, vel contentum. Similiter ferrum candens ostendere posses dicendo: hoc est ferrum, vel hic est ignis; ergo similiter si sub iis accidentibus simul esset panis et corpus Christi, poterat Christus vere demonstrare corpus et dicere: hoc est corpus

meum, ergo ad veritatem illorum verborum non requiritur absentia panis. Simili modo, si verbum hypostatice univisset sibi panem, vere poterat dicere: hoc est corpus meum, partim quia corpus assumpti panis vere esset corpus Christi, partim etiam quia per communicationem idiomatum corpus humanum posset prædicari de corpore panis assumpti; quando enim unum est suppositum duarum naturarum, potest una de alia prædicari, ut cum dicimus: Deus est homo.

2. Etiamsi ex verbis illis colligi posset præsentia Christi et desitio substantiæ panis, eo quod præsente substantia panis non possunt verba consecrationis esse vera: adhuc tamen ex illis verbis non colligeretur hoc fieri per conversionem; tum quia illa forma vera esse potest etiam sine conversione panis; si enim panis annihilaretur et sub accidentibus eo modo poneretur corpus Christi, quo nunc est, vera esset illa forma absque ulla conversione; tum quia, ut inferius ostendemus, sive dicatur corpus Christi substancialiter produci, sive dicatur sola eius præsentia produci, graves difficultates sese offerrent, quæ ostendere viderentur hic non esse veram conversionem.

Dico 1. Substantiæ panis et vini non manent in Eucharistia sub speciebus panis et vini: ita definitum est in Concilio *Tridentino* sess. 13. can. 2. Siquis dixerit in sacramento Eucharistiæ remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini etc., anathema sit., et cap. 4.: quia Christus dixit: hoc est corpus meum etc. ideo persuasum semper fuit in Ecclesia per consecrationem conversionem fieri totius substantiæ panis etc. Similia habentur in Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio* tertio Tom. 3. Concilior., Decreto 1. et refertur cap. Firmiter de sanctissima Trinitate, Corpus et sanguis Christi (ait) in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur transsubstantiatis pane in corpus et vino in sanguinem potestate divina. Concilium *Florentinum* in decreto *Eugenii*, ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, substantia vini in sanguinem convertitur; et Concilium *Constantiense* sess. 8. et 15. et in Decreto *Martini* papæ, quod habetur post ultimam sessionem, damnatur *Vicleph* et *Huss*, qui dicebant: substantiam manere in sacramento, nec accidentia esse sine subiecto. Idem docent Patres, quos late refert *Maldonatus* Matt. 26. v. 16., apud *Bellarminum* lib. 3. de Eucharistia, c. 20. *Suarium* Tomo 3. disp. 49. sect. 2. disp. 58. sect. 1.

Valentian: 3. p. disp. 6. q. 3. p. 2. §. 3., ut *Cyrillus* hieros. Cateches. 4. *Mystagog.*, ubi postquam dixisset eum, qui ad nuptias carnales aquam in vinum mutavit, vinum in sanguinem transmutare, subdit in fine: Pro certissimo habe panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed corpus Christi, et vinum, quod a nobis conspicitur, non esse vinum, tametsi gustui vinum videatur, sed sanguinem Christi. *Cyprianus* Sermone de cæna domini v. 7., panis, quem Dominus discipulis tradebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotenti verbo factus est caro, et sicut in persona Christi humanitas videbatur, latebat divinitas, ita etc. *Ambrosius* lib. de his, qui initiantur mysteriis cap. 9. et refertur de Cons. d. 2. can. 40. Probamus, ait, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; et postquam attulisset exempla de virga in serpentem mutata, de aquis Aegypti in sanguinem versis, et rursus sanguinem in aquas, de petra in aquam versa, de ferro natante super aquas iussu *Elisei* 4. Reg. 6. et conclusisset maiorem esse virtutem gratiæ, quam naturæ, subdit, si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicemus de consecratione divina, ubi verba ipsa Domini salvatoris operantur, quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex virgine. Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim est minus novas rebus dare, quam mutare naturas. Eadem pene iisdem verbis repetit lib. 4. de Sacramentis cap. 4. et refertur de Cons. d. 2. can. 55. iisdem exemplis utens: Si, inquit, tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quanto magis operaturus est, ut sint, quæ erant et in aliud vertantur; ubi *Ambrosius* non significat id, quod adversarii volunt, panem remanere; tum quia manifesta contradictio esset in verbis *Ambrosii*, implicat enim, ut id, quod in aliud convertitur, remaneat. Tum quia virtute supernaturali verborum opus non est ad hoc, ut panis, qui erat ante et nunc sit. Sensus ergo est, vel ut *Bellarmino* lib. 2. c. 14. ad 2., ut sint secundum extremam speciem, licet mutentur secundum substantiam. Et cap. 5. Ante consecrationem panis est et vinum, ubi verba Christi accesserint, fit corpus Christi. Et lib. 5. cap. 4., ante verba consecrationis panis dicitur, ubi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Eadem omnino verba habet

Augustinus serm. 28. de verbis domini in monte, et libro sententiolarum prospere, ut refertur de Cons. d. 2. can. 41. Similia habentur ex *Ambrosio* ibidem can. 74. Licet, ait, figura panis et vini hic sit, omnino nihil aliud est, quam caro Christi et sanguis post consecrationem. *Nyssenus* oratione Catechetica c. 37. Dei verbo sanctificatum panem vi Dei verbi corpus credimus immutari. *Damascenus* 4. de fide cap. 14., panis et vinum supernaturaliter transmutantur in corpus et sanguinem Christi, id quod explicat iisdem similibus, quibus *Cyrillus* et præterea similitudine transmutationis naturalis, qua panis et vinum in substantiam comedentis convertitur. *Bernardus* sermone de Cæna domini, Hostia, quam vides, iam non est panis, sed caro vera, liquor, quem vides, iam non est vinum. Ex quibus Patribus quidam diserte dicunt panem non remanere, alii vero eo ipso, quod docent panem converti in Christi corpus, hoc ipsum docent. Conversio enim substantialis essentialiter requirit desitionem termini a quo, si enim ille non desinit, ergo non mutatur in aliud, nec mutatio distingueretur a creatione, unde sicut cum ex terra factus est homo, ex osse formata Eva, uxor Loth versa in statuam, aqua in vinum etc. vere desivit terra etc. ita similiter etc. Tota difficultas est, ut ostendatur hæc veritas ex verbis Christi, ex quibus, ait Concilium, Ecclesiam hanc veritatem hausisse. Id ego omissis aliorum rationibus, ita demonstro. Inprimis certum est in illis verbis: hoc est corpus meum, nomine corporis significari corpus humanum Christi, ex quo scilicet temquam homo constabat, quod patet, tum quia Christus ipse manifeste docet se de illo corpore loqui, quod pro nobis traditum est in passione, at illud fuit corpus, quo Christus constabat, ut homo; solum enim illud corpus tradidit passione in remissionem peccatorum; tum quia de illo corpore hic loquitur, quod *Ioh.* 6. vocarat carnem, corpus autem panis, licet si assumptum fuisset hypostatice a Verbo, vere diceretur corpus Christi, non posset tamen dici caro. Et Patres sæpe dicunt illud corpus esse in Eucharistia, quod sumptum est ex virgine. Tum denique quia in forma calicis manifeste loquitur Christus de sanguine, quo scilicet, ut homo constabat; ergo similiter loquitur de corpore spectante ad constitutionem humanitatis, non de alio hypostatice assumpto.

Secundo certum est per pronomen demonstrativum: (hoc), aliquid demonstrari substantiale accidentibus sensibilibus suppositum,

non solum vase et indeterminate, sicut per particulam: aliquid, quippiam, etc. Nam ut *Caëtanuſ* ar. 2. in fine §. contra secundam ait pronomen hoc demonstrativum est, nihil autem potest demonstrari vase, sed ad demonstrationem requiritur aliquod singulare determinatum et hoc aliquid. Deinde id demonstrat hoc pronomen, quod revera est corpus Christi: at hoc est ratio aliqua non vaga, sed determinata, nec aliquis gradus metaphysicus per illam præcisis demonstratur, ergo.

Tertio certum est id quod demonstrat pronomen: (hoc), non esse substantiam panis. Ratio est; nam id, quod demonstratur illo pronomine, est corpus Christi humanum; id enim dicitur in forma consecrationis, cum hoc dicitur esse corpus Christi. At panis nullo modo vere diceretur esse corpus Christi, ergo. Minor probatur; nam ad veritatem propositionis affirmativæ in recto casu, quando termini in sua propria significatione et non figurata sumuntur, necessaria est aliqua indentitas prædicati et subiecti, vel realis, vel saltem identitas subiecti aut suppositi; tum quia alias non recte diceretur hoc esse hoc; tum quia absque hac identitate nulla præsentia intima prædicati et subiecti sufficit ad hanc veritatem, quamobrem non recte dicitur: anima est corpus, verbum est humanitas etc. At in pane et corpore Christi nulla talis est indentitas, quæ sufficiat ad huiusmodi prædicationem. Nam in primis panis realiter differt a corpore humano Christi: at quod semel realiter differt ab alio non potest ne quidem de potentia absoluta identificari alteri, ergo. Deinde etiamsi panis assumeretur hypostatice a Verbo et consequenter idem esset suppositum humanitatis et panis, tamen per communicationem idiomatum non posset dici panis esse corpus humanum Christi. Quod evidenter ostendo: tum ratione a priori, tum etiam argumento efficaci ad hominem contra lutheranos. Ratio a priori est; nam ratione unionis duarum naturarum in uno supposito tunc solum prædicari possunt naturæ inter se, quando significantur in concreto, sicut integra supposita ac naturæ totales, quamobrem non possumus dicere: humanitas est Deus, vel homo est divinitas, similiter in Christo, etsi anima et corpus idem habent suppositum, non tamen possumus dicere animam esse corpus, pedem esse caput etc., sed solum dicere possumus: Deus est homo etc. At in forma consecrationis corpus non sumitur pro gradu metaphysico completo, directe collocato in prædicato substantiæ, sed pro parte incompleta, ex qua et sanguine

integratur corpus humanum, ut supra ostendimus et evidens est in forma calicis, ubi sanguinis nomen aperte sumitur pro parte corporis humani. Ergo non potest per communicationem idiomatum corpus hoc prædicari de pane etiamsi et panis et corpus idem habeant suppositum. Ac proinde veritas formæ consecrationis non potest esse secundum communicationem idiomatum propter unionem hypostaticam in eodem supposito. Quamvis enim posita tali unione verissime diceretur panis esse corpus Christi, sumendo nomen corporis pro gradu metaphysico completo in prædicato collato, non magis tamen diceretur esse corpus Christi humanum, vel caro Christi, quam anima Christi dicatur esse corpus Christi. Ad hominem idem probo contra lutheranos; nam verba consecrationis talem habent veritatem et sensum, ex quo præsentia substantialis Christi efficaciter colligitur, ut fatentur lutherani: at ex veritate verborum illorum secundum communicationem idiomatum in eodem supposito, præsentia corporis Christi non colligitur; ad talem enim veritatem non requiritur præsentia in eodem loco, sed tantum veritas suppositi terminantis duas naturas, quæ inter se in concreto prædicantur, qua ratione si Verbum simul assumpsisset humanam et angelicam naturam, vere diceretur: hic homo est angelus, sicut nunc dicitur hic homo est Deus, etiamsi angelus abesset; ergo. Veritas et sensus verborum consecrationis non est secundum communicationem idiomatum, sed solum secundum illam identitatem prædicati et subiecti, quæ requiritur ad hoc, ut una res de alia vere prædicetur. At hoc modo corpus et sanguis Christi prædicari non possunt de pane et vino, ergo nec per pronomen: hoc potest demonstrari panis, qui tamen demonstrari deberet, si permaneret, ut mox dicemus.

Quarto certum est, quod si substantia panis maneret, deberet necessario per pronomen demonstrativum demonstrari: At hoc penitus est impossibile manente veritate formæ, ut ostendi, ergo impossibile est, ut manente veritate formæ panis remaneat. Tota vis argumenti est in maiori propositione, quam variis modis probant authores. *Valentia* disp. 6. q. 3. p. 2. §. 2. et *Suarus* disp. 49. sect. 2., hoc probant; nam quando aliqua substantia ex sua natura et conditione usu vel arte ad aliquid continendum non est apta, ut aliam substantiam contineat, nec ex usu humano ad continendum aliud instituta est, tunc necessario ipsa substantia debet demonstrari per pronomen demonstrativum: at substantia

panis ex sua natura non est apta ad continendam aliam substantiam corpoream, ergo si maneret substantia panis, illa necessario deberet demonstrari per pronomen demonstrativum. Maiorem probant inductione: nam si in pomo abscondatur aurum, non possumus vere dicere: hoc est aurum, sicut si in homine sit vinum, quod bibit, non vere dicitur ostendo homine: hoc est vinum etc. In iis vero, quæ ordinata sunt ad continenda alia, secus accidit: nam ostendo seipso vino pleno vere dicimus: hoc est vinum, ostensa crumena aureorum vere dicimus: hoc est aurum etc. Verum hæc ratio non est efficax; nam in primis non est universaliter vera illa regula, quam assignat, siquidem quælibet substantia creata naturaliter continet in se divinam substantiam, nec tamen possumus mediis accidentibus corporis demonstrare divinam substantiam dicendo: hoc est Deus, ergo quod per particulam demonstrativam possit aut non possit designari aliqua substantia, non ex aptitudine naturali ad continendam aliam substantiam, sed aliunde sumi debet. Deinde dicere quis posset ad minorem, ex Dei institutione substantiam panis ordinatam esse ad hoc, ut contineat corpus Christi, non quidem naturaliter, sed supernaturaliter, quemadmodum et accidentia non naturaliter sed supernaturaliter continent in se corpus Christi, nec habent aptitudinem naturalem ad continendum hoc modo corpus Christi et tamen per ea demonstrari possunt. Ex quo evidens est particulam demonstrativam non designare præsentiam naturalem et consuetam, sed simpliciter designare præsentiam, ergo si aliud impedimentum non esset substantia Christi in forma consecrationis posset demonstrari, etiamsi remaneret panis, qui ex sua conditione et natura aptus non est ad continendam in se aliam substantiam.

Alii probant; nam quando sub uno tertio sensibili non magis determinato ad unum, quam ad aliud, continentur duo, propositio demonstrativa falsa est, nisi utrumque demonstretur. Ergo si sub speciebus continetur et panis et corpus Christi, utrumque debet demonstrari, alias propositio erit falsa. Antecedens patet, tum inductione, quia hac de causa si in crumena esset aurum et argentum, falso diceretur: hoc est aurum. Similiter demonstrando hominem falsum est dicere: hoc est anima, hoc est materia etc. At huius rei alia causa non est, nisi quia pronominis demonstrativi ea vis est, ut demonstraret totum, quod est sub accidentibus, ergo; tum ratione, quia pronomen: hoc, aliquid contentum sub

accidentibus demonstrat, non est autem ratio, cur hoc potius, quam illud demonstret; ergo demonstrare debet totum contentum sub accidentibus, ac proinde si panis est in Eucharistia, etiam panem demonstrat, ergo cum illum non posset vere demonstrare, debet desinere esse panis. Verum hæc quoque ratio, si nihil addatur, insufficiens est, quamvis aliquid veri contineat. Nam, ut dicebamus, substantia Dei non minus intime præsens est accidentibus, quam corpus Christi in Eucharistia, nec tamen necesse est, ut illa demonstretur, cum contentum sub accidentibus demonstratur, ergo verum non est pronomine demonstrativo designari omnem substantiam, quæ est sub accidentibus.

Vera igitur probatio huius est; nam quandocunque sub accidentibus sensibilibus, per quæ fit demonstratio substantiæ, naturaliter continetur aliqua substantia, quæ in se habet prædicta accidentia, per particulam demonstrativam necessario designatur substantia habens in se hæc accidentia sensibilla, etiamsi in illa substantia sit etiam alia substantia intime præsens modo insensibili, seu quod idem est, quando accidentia sensibilia sunt in proprio et connaturali subiecto, mediantibus illis per particulam demonstrativam, necessario designatur illa substantia, in qua accidentia recipiuntur tamquam in subiecto, quod bene ostendunt quædam ex allatis argumentis, et a posteriori evidenter patet. Alias enim per demonstrationem accidentium alicuius subiecti posset quis demonstrare substantiam divinam, quæ omnibus rebus intime præsens est, et dicere: hoc est Deus, hæc substantia est divina: ergo si cum corpore Christi sub accidentibus præsente esset etiam substantia panis, ea necessario demonstrari deberet per pronomen: hoc; atque ita de pane prædicaretur corpus Christi, quod, ut dixi, est impossibile. Eo autem ipso, quod panis non maneat sub accidentibus, corrumpitur; nam licet possit alibi conservari divina vi, vel absque accidentibus, vel producendo alia accidentia in illo; quia tamen hoc esset miraculum, de quo nulla est revelatio; et quia hoc modo ratio veræ conversionis consistere non posset, iccirco hoc fieri nullo modo est asserendum. Sed potius ex philosophicis principiis dicendum est eo ipso, quod substantia panis spoliatur accidentibus, tolli dispositiones necessarias ad conservandam unionem formæ substantialis cum materia, ideoque solvi unionem et consequenter desinere esse formam panis, quæ a materia pendet. Et quia non introducuntur per hanc

actionem aliæ dispositiones ad aliam formam, consequenter etiam desinit materia, quæ sine forma substantiali, aut sine quantitate naturaliter non potest conservari, sive quia materia in aliquo genere causæ pendet a forma, ut quidam volunt, sive quia absque huiusmodi causalitate connaturalis connexio materiæ cum forma ita exigit, ut in physicis explicatum est.

Dices: Ex eo, quod corpus Christi præsens est et sustenat accidentia non magis potest demonstrari sub illis, quam demonstratur essentia divina conservans accidentia sine subiecto et illis præsens per immensitatem. At per illa accidentia ut posset designari Deus dicendo: hoc est divina substantia etc. Ergo. Respondeo: hoc argumentum bene probat; solam effectivam sustentationem accidentium ad hoc non sufficere. Substantia igitur corporis Christi, quamvis non recipiat in se accidentia per inhæsionem, sicut incipiebat panis, coniungitur tamen illis accidentibus quodam modo peculiari et non per solam præsentiam localem, ut infra explicabo, et ob id demonstrari potest corpus Christi per accidentia. Licet enim pronomen demonstrativum designet proprium subiectum accidentium, quando illud subiectum est sub accidentibus, quando tamen illud subiectum abest et alia substantia subit vices illius non solum effective conservando, sed etiam media aliqua coniunctione cum illis, bene potest illa substantia demonstrari per accidentia.

Ex hac ratione sequitur primo, quod licet potuerit Deus facere, ut corpus Christi desitione panis poneretur sub speciebus, tamen per eum sensum verborum, quem nunc habet forma consecrationis, id fieri non potuit. Verba enim hæc necessario postulant desitionem panis, unde in illo casu non poterat per pronoment demonstrativum designari corpus Christi, sed solum declarari posset eius præsentia per adverbium loci dicendo: Hic est corpus meum, per quam formam potuisset Christus constituere præsens suum corpus absque desitione panis.

Sequitur 2. Falsam esse sententiam *Durandi* 4. d. 11. q. 3. v. 5., qui ait materiam panis remanere in Eucharistia et informari forma Christi, quemadmodum per nutritionem naturalem acquirebantur novæ partes corporis Christi. Sicut etiam falsa est illa sententia, quam idem *Durandus* 4. d. 10. q. 1. v. 14., refert, et intelligibiliorem dicit, quam sententiam Catholicam, scilicet quod substantia panis tota remaneat et assumatur hypostatice a Verbo. Hæc ergo

omnia falsa sunt. Licet *Durandus* hæresis damnandus non sit, quia non defendit ista pertinaciter, et sententiam suam iudicio Ecclesiæ submisit; et late refutantur a *Suario* disp. 49. sect. 3.; nam ut ex Conciliiset Patribus supra diximus, tota substantia panis convertitur in corpus Christi manentibus dumtaxat speciebus, ut Concilium *Tridentinum* sess. 13. can. 2. loquitur, ubi particula: (tota), et particula exclusiva (dumtaxat), aperte damnant has sententias. Deinde si substantia panis maneret, vel etiam sola materia sine ulla forma, ergo illis inhærerent accidentia panis tamquam subiectis, ergo illa designarentur per pronomen demonstrativum, tanquam propria et cannaturalia subiecta accidentium sensibilium. Ergo de illis prædicantur corpus et sanguis Christi; ergo falsa esset forma consecrationis, cum falsum sit panem vel sanguinem esse corpus humanum Christi. Deinde in specie contra opinionem *Durandi* est; nam in primis, si materia, quæ unitur animæ Christi et fit caro, coniungatur reliquis membris Christi, sequeretur corpus Christi esse monstruosum et monte maiorem, siquidem, quot hostiæ consecrantur in orbe, tot materiæ uniuntur corpori Christi, ergo cum præter materiam debitam illi statui habeat aliam redundantem, erit verum monstrum. Idem sequeretur et multa alia mira, si corpus hoc non sit unitum reliquis membris. Deinde sequitur ex sententia *Durandi*, non illud corpus, quod ex Virgine sumptum, quod in cruce passum est, quod ad dexteram Dei sedet, dari in Eucharistia, sed aliud novum, quod fit ex pane per informationem animæ Christi. Denique multa sunt multo admirabiliora in hac sententia, quam si transtubstantiatio admittatur, videlicet quotidie innumeræ uniones hypostaticas produci et desperdi, animam Christi informare materiam sine allis dispositionibus requisitis, sine organis etc. Informare innumeræ materias et ingentem molem, accidentia panis manere in corpore humano.

Sequitur 3. Impossibile esse id, quod *Bannes* 1. p. q. 4. ar. 2. dub. 2. ad 3. ait, probabile esse existentiam panis remanere et per illam existere accidentia panis. Imo ait ex sententia *Sotii* docentis accidentia existere per eandem existentiam, per quam substantia existit, hoc neccessario sequi. In concilio autem *Tridentino* illa particula exclusiva: (dumtaxat), non excludit, inquit, existentiam accidentium, sed substantiam. Hoc ergo meo iudicio impossibile est et late refutatur a *Suario* disp. 49. sect. 4.; tum quia Concilium *Tridentinum* per illam particulam: remanentibus dumtaxat speciebus

panis, excludit omnes rationes, quæ non sunt species panis; tum quia si remaneret existentia substantialis, pronomen: hoc, demonstrare deberet illam non minus, quam substantiam panis, si adesset, ut ex paritate rationis constat. Si autem illam demonstraret, forma consecrationis vera non esset, siquidem hæc existentia non est corpus Christi, ergo. Tum demum quia, etiamsi concedamus existentiam ex natura rei distinctam esse a re existente, quod qua ratione defendi possit, 3. p. q. 17. dicto 2., tamen existentia ubstantiæ est modus illius, et seipsa illi unitur; ergo tum impossibile est illam esse sine actuali coniunctione cum subiecto, quam impossibile est esse sine seipsa; cum enim unio non sit unitiva, sed actualis nexus, impossibile est, ut quod semel per suam entitatem est actualis nexus, manere possit, quin actualiter uniat. Antecedens vero probatur; nam si existentia non coniungitur essentiæ seipsa, sed per aliam unionem superadditam, ergo illa unio necessario supponit esse actuale in eo extremo, quod media tali unione aliquid in se recipit. At existentia substantiæ nullum esse actuale supponit in substantia, ergo seipsa formaliter coniungitur existentia essentiæ sine unione a se distincta. Quamvis igitur probabilis esset eorum sententia, qui dicunt omnia accidentia existere existentia substantiæ, dum sunt in substantia, tamen in ea sententia dicendum non esset eandem existentiam remanere in operibus separatis a substantia.

Dico 2. Panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi; hæc veritas definita est in Conciliis dicto 1. relatis et expresse docent Patres, tum citati ibi, tum, quos late citat *Suarius* disp. 50. sect. 1., et Concilium *Tridentinum* sess. 13. cap. 4. Ex Christi verbis semper persuasum fuisse ait in Ecclesia, conversionem fieri panis et vini etc., unde falso dicit *Scotus* 4. d. 10. q. 1. §. Quantum ergo, doctrinam de transubstantiatione non esse admodum antiquam. Probatur conclusio ex verbis formæ; nam ex veritate illorum verborum colligitur, ita constitui Christum præsentem speciebus, ut non possit simul præsens esse substantia panis et vini, sicut probavimus dicto 1.; ergo ex veritate verborum illorum colligimus actionem physicam, per quam corpus Christi constituitur præsens, talem esse, ut sine desitione panis esse non possit, atque adeo, ut sit causa desitionis panis. Probatur consequentia; nam corpus Christi ponitur præsens ob veritatem significationis verborum et ex vi talis significationis verbo-

rum, ac proinde per actionem physicam ordinatam ad veritatem verborum; ergo sicut veritas verborum constare non potest sine desitione panis, ita nec actio illa physica, per quam Christus constituitur præsens, poterit esse sine desitione panis sub accidentibus panis; ergo actio illa, per quam Christus ponitur sub accidentibus panis, causa est, ut substantia panis et vini non maneat sub accidentibus, et proprietatibus panis et vini. At id quod est causa ne substantia maneat sub suis accidentibus et proprietatibus naturalibus, sine quibus non potest naturaliter existere, causa est, ut substantia illa non maneat in rerum natura; ergo cum actio, per quam Christus ponitur sub his accidentibus ob veritatem verborum, causa est, ut non maneat substantia sub propriis accidentibus, causa fit etiam, ut illa substantia simpliciter non maneat, desinet illa substantia panis ex vi actionis, per quam corpus Christi ponitur sub speciebus panis. Ex quo evidenter sequitur converti panem in corpus Christi. Nam conversio nihil est aliud, quam desitio unius rei ex adventu et præsentia alterius ipsi incompossibilis, ut mox declarabitur.

Ex hac conclusione sequitur, desitionem panis et vini non esse annihilationem, etiamsi tota substantia earum desinat esse, sicut desitio formæ ligni, quando in ignem convertitur, non est annihilation, etiamsi tota entitas illius formæ desinat esse. Ita *D. Thomas* hic ar. 3. *Suarius* disp. 50. sect. 7. Huius veritatis diversi diversas causas assignant: *Paludanus* et *Capreolus*, *Aegidius* aiunt ideo non annihilari, quia manet in potentia obedientiali corporis Christi. Sed hoc non est probabile; nam si absque ulla conversione per solam negationem concursus Dei destrueretur substantia panis, esset vera annihilation. Et tamen tunc non minus maneret in potentia obedientiali corporis Christi, vel alterius rei, quam ea; siquidem corpus Christi non habet aliquid amplius in se, nec crescit in virtute agendi præsertim obedientiali, quæ identificata est illi ex eo, quod per conversionem fiat, ergo. Deinde ex eo, quod res maneat in potentia activa Dei, qui potens est rem annihilatam reproducere, non tollitur vera ratio annihilationis; alias enim nihil omnino posset annihilari, ergo similiter etc. Alii docent perpetuam desitionem panis non esse annihilationem, quia ex intentione Dei desitio panis ordinatur ad præsentiam corporis Christi, ita *Bellarminus* lib. 3. de Eucharistia c. 18. in fine, quem modum non esse contemnendum ait *Suarius* illa sect. 7. §. Quarto

ergo, et consequenter ad ea, quæ ibidem sect. 8. docet, hoc necessario docere debet; ait enim substantiam panis non desinere per productionem præsentiae corporis Christi, sed per aliam actionem posteriorem, qua accidentia conservantur sine subiecto et inter has duas actiones non esse physicam connexionem, sed solum ex ordinatione Dei. Verum et hoc postremum refutabimus inferius suo loco, et ad tollendam veram rationem annihilationis non magis facit extrinseca ordinatio Dei, quam ad tollendam veram rationem creationis animæ rationalis faciat, quod illa ordinetur ad componendum cum materia, ex qua compositione sequitur destructio formæ existentis. Deinde si desitio panis perficitur per solam suspensionem concursus conservativi Dei et non per aliquam actionem positivam, talis desitio eandem naturam habet, quam haberet si ex Dei voluntate non ordinaretur in finem prædictum. At si non ordinaretur, esset annihilationis, ergo et nunc erit. Maior patet; tum quia sola extrinseca ordinatio non mutat naturam illius desitionis, sed solum addit illi denominationem extrinsecam; tum quia Deus tam bene poterat ante mille annos cessare a conservatione Pauli ordinando hanc cessationem ad hodiernam productionem Petri, et tamen illa cessatio esset vera annihilationis, at quod in eodem instanti vel diverso fiat, non infert mutationem naturæ desitionis.

Vera ergo ratio, cur panis non annihiletur est; nam quod desinit per conversionem in aliud, non annihilatur, panis autem hoc modo desinit, ut diximus, ergo. Maior patet; nam quod corruptitur per actionem positivam et non per solam suspensionem influxus divini, id non annihilatur, ut docet *D. Thomas* 1. p. q. 104. ar. 3. ad 3.; et ex terminis patet, quia actio positiva necessario est productio alicuius rei et solum consequenter est destructiva alterius rei incompossibilis, ergo tamquam in primarium terminum tendit in illud, quod producitur solum consequenter in destructionem alterius; ergo non est annihilationis, quæ solum consistit in negatione concursus conservativi absque ullius termini ulterioris productione. Sed, quod desinit per conversionem, desinit per actionem positivam illi incompossibilem vel per se, vel saltem ratione termini producti per talem actionem, ut infra explicabitur; ergo non desinit per annihilationem. Minor ultima patet; nam conversio non est vera suspensio actionis et negatio influxus, per quem res conservabatur, sed est actio positiva procedens a virtute causæ

efficientis, ergo. Licet ergo desitio panis fiat per negationem concursus conservativi Dei, non tamen omnis suspensio talis concursus est annihilatio, sed illa solum, quia ab agente conservante rem per se est. Si enim ex vi alterius actionis physice postuletur, non erit annihilatio, sed terminus quasi secundarius actionis, quae tendendo in terminum per ipsum productum tendit etiam tamquam in terminum secundarium in non esse rei, quae destruitur, ac proinde ad non esse talis influxus, quo conservabatur. Sicut igitur, ut dicebam, forma ligni non annihilatur, quando in ignem vertitur, quamvis tunc iam forma ignis nihil sit, et si eadem illa reproduceretur absque subiecto, vere crearetur, ita similiter in præsenti.

Ad argumenta in contrarium allata respondeo: ad 1. in primis Scripturæ phrasim esse, ut rebus attribuit nomen eius rei, ex qua factæ sunt, quomodo *Adam* vocat *Eavam* os *Genes.* 2. v. 38. Serpens vocatur virga. *Exod.* 7. v. 12. et *Ioan.* 2. v. 9. Aqua vinum facta nominatur, quia ergo ex pane fit Eucharistia, ideo nomen panis retinet. Deinde ex phrasi Scripturæ sæpe id esse dicitur unumquodque, quod externa accidentia referunt, quomodo Angeli faciem virorum referentes viri nominantur *Act.* 1. v. 20. *Genes.* 18. v. 2. Demum sicut manna panis vocatur *Psal.* 77. v. 25. *Sapientiae* 16. v. 20. eo, quod nutrimentum erat, et gratia Christi vocatur aqua, eo quod temperet æstum etc.: ita Eucharistia vocatur panis super substancialis scilicet, et spiritualis, quia refectio est mentis. Ad 2. Ad hanc analogiam sufficit, quod Eucharistia ex pane confecta sit et quod species panis, rei scilicet nutrientis signa, remaneant in Eucharistia. Nam sicut in die pentecostes, etiamsi substantiæ linguarum non erant, sed tantum accidentia quædam similia accidentibus linguae, bene significabatur linguas Apostolorum igne Spiritus Sancti expediendas; et sicut in visione *Petri* etiamsi non vera animantia fuerint, quæ in linteo demissa erant, sed tantum similitudines illorum, tamen analogia servata est, ita etc. Ad confirmationem; in Baptismo non dicitur hoc, quod ad lationem adhibetur, esse sanguis Christi, sicut in Eucharistia dicitur: hoc, quod in poculo est, esse sanguis, Christus autem cum se panem cœlestem nominat, necesse non est ut in nostratem panem convertatur, cum reipsa ipse fit panis cœlestis. In aliis etiam figuratis sermonibus non est necesse ad veritatem orationis, ut Christus convertatur in ostium etc. Pronomen vero demonstrativum: hoc, non accidentia,

sed substantiam sigularem contentam sub accidentibus demonstrat, ideoque non ipsa accidentia debent in corpus Christi converti, sed substantia. Ad 3. respondeo: omissis variis authorum sententiis, de quibus late *Suarius* disp. 58. sectio 7. et *Valentia* 3. p. disp. 6. q. 6. p. 2., ubi ipse meo iudicio valde incommodate hac de re fatur, ait pronomine: hoc, demonstrari aliquam substantiam, quæ existit eo instanti, quo profertur pronomen: hoc, eamque esse rationem substantiæ individuam vagam. Per pronomen: hoc, non demonstratur substantia, seu corpus Christi, ergo tempore prolationis illius particulæ adhuc est sub speciebus, nec aliqua substantia vague et indeterminate, cum nihil possit vague demonstrari, ut supra dixi ex *Caetano*, sed demonstrari substantiam aliquam singularem, nimur id, quod sub accidentibus continetur in ultimo instanti prolationis totius propositionis, scilicet corpus Christi, licet confuse significatum sub ratione contenti, aut præsentis, aut oblati sub speciebus, accidentibus continetur in ultimo instanti prolationis totius propositionis, scilicet corpus Christi. Et ratio est clara; nam nil aliud est corpus Christi, nisi id, quod in ultimo instanti prolationis est sub accidentibus, ergo nil aliud potest per illam particulam demonstrari; nec mirum est, si talis demonstratio fiat per particulam, quæ prius tempore profertur. Quando enim is, qui loquitur, efficit rem, de qua loquitur, per particulam prius tempore prolatam demonstrare potest rem, quam efficit in fine prolationis, qua ratione qui describit circulum, quando illum format, vere dicere potest: hic est circulus, licet pronomen: hic, proferatur ante existentiam circuli. Nec est contra hæc, quod *D. Thomas* q. 78. ar. 5. docet, cum refellit eorum sententiam, qui aiunt particulam hanc referri ad ultimum instans, sicut illam similem, nunc taceo, idest statim finita hac prolatione taceo, solum enim refellit. *D. Thomas* hanc sententiam, si dicat per particulam demonstrativam designari corpus Christi, ut corpus Christi est; tunc enim propositio hæc identica esset. Non tamen refellit hanc sententiam, si dicatur prædictam demonstrationem referri ad ultimum instans prolationis, non quidem ad designandum corpus Christi, ut corpus Christi est, sub expresso conceptu corporis, sed ad designandum id, quod in fine prolationis continetur sub accidentibus; unde sensus formæ est, contentum sub accidentibus in ultimo instanti prolationis est corpus Christi, non debet tamen explicari hæc forma per verbum futuri temporis, quasi sensus sit: illud quod erit in fine prolatione.

nis futurum est corpus Christi; hic enim non est sensus formæ, sed explicari debet modo prædicto per præsens tempus ipsi locutioni secundum ultimum instans illius. Per pronomen vero: meum, significatur corpus principalis loquentis, qui est Christus Dominus, quasi de novo loquens per os sacerdotis, qua ratione Angelus *Exod.* 3. v. 6. ait: ego sum Deus etc., quem Angelum fuisse ait *D. Stephanus* *Act.* 7. v. 30, tamen quia in persona Dei loquebatur, ut minister eius, dicit; ego sum Deus. Ita ergo minister in persona Christi conficiens sacramentum corpus suum vocat id, quod continetur sub speciebus, quia est corpus loquentis per os sacerdotis. Ad 4. De modo quo accidentia existant sine subiecto, late disputabimus q. 77. ar. 1. et ibidem ar. 5. explicabimus, quomodo ex speciebus sacramentalibus generentur vermes, Deo producente materiam in instanti, in quo dispositiones necessariæ ad conservationem substantiæ panis corruptæ sunt. Frangi autem quantitatem sine substantia, quando quantitas existit sine subiecto, nullum est absurdum; nec ulla hic maior fascinatio aut delusio sensuum, quam cum Angeli vel Deus ipse in forma humana apparuerunt in veteri testamento. Sensus ergo hic non falluntur circa propria obiecta, quorum est solum percipere accidentia sensibilia, ne autem intellectus decipiatur existimans sub speciebus panis esse verum panem, manifesta revelatione fidei præmunivit nos Deus, unde si infidelium intellectus decipitur sensum sequens, qui accidentia panis intuetur, suæ ignorantiae vel infidelitati imputet, non Deo suam deceptionem. Quamvis enim naturaliter ea substantia sit sub accidentibus, cuius propria accidentia sensus percipit, supernaturali tamen vi contrarium accidere posse, exemplo apparitionis Angelorum, et in columbæ, linguæ, etc., figura manifestum est. Fascinatio vera est *Calvini* cæna, in qua Christus percipitur tam procul dissusitus, quam cælum abest a terra, quod quid aliud est, quam ineptiarum epulum exhibere, quale *Lamia Menippo* amasio olim per magiam instruxisse dicitur, quod ad primum appetitum evanescens, sitientes atque famelicos delusit.

Ad 5. Iam ostendimus, quomodo colligatur conversio ex verbis formæ. Ad illud, quod addebat, respondet multis *Valentia* 3. p. disp. 6. q. 6. p. 2. ad 4. Respondeo breviter: si de instantibus temporis agatur eodem instanti, quo primum incipit perfecta esse forma et vera est et causat conversionem panis, si vero de prioritatis naturæ sen causalitatis agamus, imprimis prior natura est

enunciatio, quam veritas illius; siquidem veritas est accidens enunciationis, quod potest abesse et adesse. Deinde illa oratio, ut efficiens id, quod significat, prior natura est in genere causæ efficientis, quam conversio. In genere vero causæ velut formalis extrinsecæ, a qua veritatem habet oratio, prior est conversio, sicut in diverso genere prior est et posterior apertio fenestræ, quam ingressus aëris et introductio formæ ignis, quam expulsio formæ ligni; quia hæc prioritas non est prioritas durationis, sed causalitatis. Et ideo sicut causæ possunt sibi mutuo causæ esse in diverso genere, ita possunt esse vicissim priores natura.

Ad 1. Confirmationem respondeo: manifestam disparitatem esse in vase continente vinum, ferro candenti etc. Quando enim una substantia continetur in alia tamquam in vase, vel alio simili modo, illa substantia contenta designari potest mediante quodam accidenti sensibili proprio illius, hoc est mediante præsentia sensibili illius in alia substantia. Unde oritur indifferentia, ut ipsa non minus, quam substantia vasis demonstretur. At vero substantia Christi non est in hoc sacramento per aliquod proprium accidens sensibile ipsius, quare demonstrari non potest ad sensum, si substantia panis et vini sub propriis accidentibus remaneat. Eodem modo per communicationem idiomatum ratione unionis hypostaticæ non posse veram esse illam propositionem iam supra demonstravimus, sicut non esset vera propositio, si diceretur anima Christi esse corpus Christi. Unde licet in illo casu unionis hypostaticæ vere dici posset corpus panis esse corpus Christi, non posset tamen dici esse corpus humanum, seu corpus, quod sit caro.

Vasquez 17.

Tomo 2.

disp. 176.

cap. 6. n. 35.

Ad 2. Confirmationem respondeo: negando, ex verbis illis non colligi conversionem; nam ut diximus, Concilium *Tridentinum* sess. 13. cap. 4. ex eo, quod Christus dicit oblatum sub speciebus esse corpus suum, semper Ecclesiam collegisse conversionem et illud primum esse causam huius; eam enim vim habent illæ particulæ causales, quibus utitur *Tridentinum*: quoniam, et ideo: quamvis igitur illa propositio: hoc est corpus meum, secundum significationem speculativam vera esse potuisset absque conversione panis per præsentiam corporis Christi, et annihilationem panis, secundum tamen significationem practicam et operativam rei significatæ non potuit esse vera illa propositio sine conversione; quia posita illa significatione necesse est Christum præsentem esse ex vi talis significationis et ob veritatem illius, quæ veritas esse non

potuit manente substantia panis sub accidentibus, ac proinde nec sine desitione panis. Cum igitur Ecclesia intellexerit in forma consecrationis esse significationem practicam, sicut in forma aliorum sacramentorum, recte intellexit substantiam panis desinere ex vi praesentiae Christi, ac proinde in eius substantiam converti panem.

Dubium II.

QUÆ SINT NECESSARIA AD VERAM CONVERSIONEM?

Supposita veritate fidei hactenus explicata, multa disputantur a Theologis de natura huius conversionis, quæ breviter ordine expediemus.

Dico 1. Ad rationem veræ conversionis necessaria est aliqua vera actio, per quam terminus aliquis producatur. Hæc conclusio inductione patet, ratio est evidens; nam res aliqua de extremo contradictorio ad extremum contradictorium transire non potest, quin aliquid de novo incipiat esse a parte rei, quod ante non erat, aut aliquid desinat, ut 3. p. q. 2. ar. 7. ostendimus. Revera enim si nihil mutatur a parte rei, sed omnia eodem modo se habent, ac ante, non est ratio, ob quam unum extremum contradictorium verificetur uno tempore potius, quam aliud. Sed in omni conversione res, quæ ante non erat terminus conversionis, seu in quam aliud non erat conversum, incepit esse terminus conversionis, ergo a parte rei aliqua mutatio fieri tunc incipit, quæ ante non erat. Hæc autem mutatio non est sola desitio termini a quo; posset enim ille desinere esse absque eo, quod in aliud converteretur per annihilationem, ergo præter desitionem termini a quo debet aliquid fieri in termino ad quem, quod non fieret, si aliud non converteretur in illud. Ergo aliqua actio debet intervenire, quod latius probabimus infra, cum ostendemus præsentiam corporis Christi esse aliquid reale.

Dico 2. De ratione conversionis est, ut terminus a quo positivus sit, et desinat esse in rerum natura ex positione termini ad quem. Et imprimis quod terminus a quo beat esse positivus, patet inductione in omni conversione. Et ratio est; nam conversio est actio distincta a simplici productione, ex qua non resultat alterius rei desitio, et a simplici desitione, quæ non sequitur ex alterius rei productione, hoc est a creatione, annihilatione etc. At

nonnisi eo distinguitur, quod conversio est transitus unius rei positivæ in aliam, ergo. Quamvis igitur conversionis, quatenus præcise est productio, terminus a quo sit, non esse termini ad quem, sicut terminus ad quem illius, quatenus est desitio, idest non esse termini a quo, tamen quatenus conversio est formaliter, debet habere terminum a quo positivum, et cum *Aristoteles* 1. ph. tex. 61. docet, ignem fieri ex non igne, loquitur de fieri ignis, quatenus est productio. Productio vero est ratio superior conversione, creatione etc. Quod vero hic terminus a quo debeat desinere esse, docet *D. Thomas* hic ar. 2. quod convertitur, ait, facta conversione, non manet. Et *Augustinus* 1. de Trinit. c. 7. Ex eo probat in Christo non conversam divinitatem in humanitatem, nec contra, quia nec divinitas desivit esse, nec humanitas. Inductione patet in omni conversione tam naturali, quam supernaturali. Ratio est; tum quia si terminus a quo non desinit, non magis diceretur ex illo termino a quo fieri terminus ad quem, quam ex quacunque alia re, quæ prorsus immutata esset, ut ex Deo, Angelis etc. Nec esset ratio, cur diceretur terminus a quo converti in terminum ad quem; tum quia in omni mutatione terminus a quo debet desinere esse, ergo. Denique quod hæc desitio debeat sequi ex positione termini ad quem patet; tum quia hæc est differentia conversionis ab annihilatione et aliis corruptionibus, quæ non sunt conversiones, ut a corruptione luminis, soni, specierum etc.; tum quia nulla alia est ratio, cur dicatur res, quæ desinit esse, converti in hoc potius, quam illud, nisi quod desinit ex positione talis rei, non alterius. Quamobrem si Deus crearet unam rem, vel agens naturale produceret et alia eodem tempore corrumperentur, non ideo res verbi gratia annihilata, vel corrupta naturaliter diceretur converti in rem creatam, quia non sequeretur desitio ex positione rei creatæ in rerum natura.

Ex hac conclusione sequitur 1. Terminum ad quem conversionis debere esse incompossibilem cum termino a quo; ratio evidens est; nam, ut diximus de ratione conversionis est, ut terminus a quo desinat esse ex adventu et positione termini ad quem. **At ex** adventu rei, quæ non est incompossibilis alteri, non potest sequi desitio alterius rei, ergo.

Sequitur 2. Terminum ad quem conversionis debere esse capacem alicuius mutationis, per quam vel simpliciter ipse producatur, vel saltem incipiat esse secundum aliquem modum

novum. Ita *Cyrillus* et alii Patres sæpe, qui iccirco aiunt nil posse converti in Deum, quia ipse immutabilis est, nec potest aliquid in se suscipere. Ratio est clara; nam terminus in quo non potest desinere esse de novo ex adventu termini ad quem, nisi terminus ad quem novo aliquo modo adveniat, ac proinde mutetur vel mutatione large sumpta, si nimirum producatur simpliciter, vel mutatione propria, si ante conversionem extitit. Confirmatur: si terminus conversionis eodem modo se habet in instanti conversionis, quo ante, nulla est ratio, ob quam terminus a quo dicatur magis in illam converti, quam in aliam quamcunque rem. Nam talis denominatio non haberet maius fundamentum, ut denominaret terminum ad quem, quam aliam quamcunque rem, aut si haberet, deberet aliquid esse factum in illo ex vi conversionis. Sola enim desitio termini a quo non est sufficiens ad talem denominationem, ut supra diximus.

Dico 3. Ad hoc, ut terminus ad quem sit incompossibilis termino a quo, debet assignari aliquod tertium commune utriusque termino, cum quo scilicet aliquam physicam coniunctionem habeat utrumque extremum et quod necessarium sit ad existentiam termini a quo et sub quo terminus ad quem succedit termino a quo. Patet inductione in omnibus conversionibus naturalibus, in quibus materia prima est illud tertium in ordine ad quod formæ substanciales, vel eadem uniones repugnant, quantitas est illud tertium, in quo accidentia materialia incompossibilia sunt.

Et ratio manifesta est; nam res, quæ non conservat aliam rem in suo esse, non potest illam immediate destruere, quomodo destruere potest causa conservans per negationem concursus conservativi, ergo solum potuit illam destruere adimendo illi aliquid ex iis, quæ necessaria sunt ad eius conservationem, apponendo scilicet aliquid incompossibile, quod compellat causam conservantem finitam et limitatam ad non conservandam amplius rem illam in existentia, quod fieri non potest, nisi apponat aliquid, quod substrahat rei, quæ destruit aliquid necessarium ad eius conservationem, ut accidit, cum forma occupat materiam; cum ergo materia ob suam limitatam naturam non possit duas formas simul retinere, eo ipso quod a posteriori occupatur, prior forma, vel saltem eius unio debet desinere esse. Unde si Deus proferet enunciationem significantem non esse Angelum et ad veritatem suæ affirmationis desineret conservare Angelum, illa

Vasquez 1. p.
Tomo 2.
disp. 126.
cap. 6.
v. 35. 36.
Vide a fine
dub 1.

desitio esset vera annihilatio, licet id fieret ex vi illius actionis, per quam Deus significat, Angelum non esse in rerum natura, quia in illo casu non esset physica incompossibilitas in aliquo tertio locutionis Dei cum existentia Angeli, sed solum sequeretur annihilatio, ne falsa esset locutio Dei, quod non contingere per aliquam physicam incompossibilitatem actionis Dei loquentis cum existentia Angeli, sed quia Deus mentiri non potest. Eodem modo in consecratione, si præter actionem Dei loquentis non esset actio executiva ordinata ad verificationem locutionis, scilicet productio præsentiae Christi, quæ physice incompossibilis est cum existentia substantiae panis, non esset vera conversio, sed annihilatio panis. Nunc vero, quia non ideo præcise desinit panis, quia Deus mentiri non potest, sed quia est physica actio ordinata ad verificationem verborum Christi, ad quam verificationem necessaria est destructio panis, siccirco vera est conversio.

Gravis vero difficultas est: an ad hoc, ut conversio sit substantialis, debeat necessario produci substantia termini ad quem?

Prima sententia est *Suarii* hic disp. 50. sect. 2. et communis iuniorum, de ratione conversionis substantialis esse, ut ipsa substantia termini ad quem producatur nec sufficere, si in illa solum producatur aliqua ratio accidentalis, ut præsentia, vel quid simile, per quod una substantia succedat alteri. Probatur 1. Nam ut *Suarus* ibi ait, cum una substantia per præsentiam alterius tollitur ex eodem loco, situ etc., non fit conversio substantialis, sed solum translocatio etc. Unde si Deus invisibiliter transferret substantiam aquæ et eius loco substantiam vini sufficeret, vere non mutaret aquam in vinum, ergo. Et Confirmatur; nam cum una res expellitur loco suo ab alia re, quæ ei succedit, licet ex vi præsentiae novæ rei succendentis desinat esse in rerum natura præsentia prioris corporis: illa tamen præsentia non convertitur in substantiam succidentem; at huius alia causa non est, nisi quia substantia succedens non producitur; ergo. 2. Actio a termino dicitur substantialis, vel accidentalis, ergo si conversio substantialis est, debet necessario eius terminus ad quem substantialis esse. Confirmatur per omnem actionem substantialem aliquid substantiale debet produci, cum essentia actionis sumi debeat ex termino ad quem; at conversio substantialis est actio substantialis, ergo. 3. Et fortius ita possumus argumentari: in generatione hominis

destruitur substantia embrionis, et tamen non convertitur in animam rationalem, licet desinat esse ex vi adventus illius, hoc est ratione unionis, per quam unitur anima materiæ, ergo esse substantiam, ex cuius adventu alia destruitur, non sufficit ad hoc, ut talis substantia sit terminus, in quem fit conversio; sed opus præterea est, ut talis substantia per illam actionem producatur. Confirmatur; nam si non producitur ipsa substantia, sed tantum aliqua ratio accidentalis illius, verbi gratia præsentia, ergo conversio fiet in illam rationem accidentalem et non in substantiam.

Dico 4. Cum Bellarmino lib. 3. de Eucharistia c. 18. Gabriel Vasquez 1. p. Tomo 2. disp. 176. cap. 6. v. 32. et disp. 214. cap. 4. v. 36. Valentia disp. 6. q. 3. p. 3., ad rationem veræ conversionis substantialis non requiri, ut id, in quod convertitur aliud producatur in suo esse, sed sufficere, si ex eius positione sub aliquo tertio sequatur corruptio alterius rei. Unde licet in omni conversione substantiali naturali produci debeat aliquid substantiale, non est tamen necesse, ut omni substantiali conversione supernaturali producatur aliqua ratio substantiali conversione supernaturali producatur aliqua ratio substantialis. Hanc sententiam probo in primis a posteriori ex hoc mysterio Eucharistiae, in quo, ut mox probabimus, nulla fit productio substantiae, et tamen vera conversio reperitur. Confirmatur; nam, ut statim ostendemus ex Concilio Tridentino, ex verbis consecrationis colliguntur omnia, quæ necessaria sunt ad conversionem substantialem, at ex illis non colligitur ulla productio substantiae, ut ibidem probabimus, ergo. Ratio a priori est; nam etiamsi per aliquam actionem nihil substantiale producatur, si tamen per illam una substantia fiat præsens cum destructione alterius ex adventu et incompossibilitate eius, quod fit præsens, non tantum fit adductio localis, sed etiam vera conversio substantiae in substantiam. Nam, ut mox dicemus, esse terminum ad quem conversionis, non est esse rem productam per conversionem, sed est esse rem, ex cuius præsentia et incompossibilitate alia destruatur. Denique inferius ostendemus, quod etiamsi in transsubstantiatione produceretur substantialiter corpus Christi, adhuc tamen eius productio non esset conversio, sed ratio conversionis huius consisteret in unione corporis producti cum speciebus panis, sicut in hominis generatione productio animæ non est generatio hominis, nec corruptio embrionis, sed productio unionis est conversio embrionis in hominem.

Ad argumenta contraria respondeo. Ad 1. Cum una substantia per præsentiam alterius expellitur ab eodem loco, nulla fit conversio substantialis, sed tantum mutatio localis. Ad rationem enim conversionis necessarium est, ut terminus a quo desinat esse in rerum natura ex adventu termini ad quem, quod in illo casu non accidit. Ad Confirmationem respondeo: nec ille modus, per quem corpus præcedens erat in loco, convertitur in substantialiam corporis succendentis. Et ratio est; nam etsi illa præsentia corporis, quod expellitur a loco, desinat ex vi corporis advenientis in genere causæ efficientis, non tamen in genere causæ formalis, quasi adductio corporis advenientis formaliter sit expulsio præexistentis corporis; potius enim modus positivus seu præsentia nova, quam acquirit corpus illud, est corruptio et destructio illius modi, per quem ante erat in loco, ex quo expellitur. Atque ita ubi, quod prius habebat corpus, convertitur in ubi, quod posterius acquirit. Ad 2. Concedo actionem dici substantialem a termino ad quem, et omnem actionem substantialem debere habere terminum ad quem substantialem, nego tamen hunc terminum substantialem ad quem debere semper produci. Potest enim substantia aliqua esse terminus ad quem conversionis absque eo, quod producatur, eo quod esse terminum conversionis, non est esse rem productam per conversionem, sed est esse rem, ex cuius præsentia et adventu alia res destruatur. Quod ut bene intelligatur, ita de hac re cogitandum est. Actionem, quæ non est conversiva, sed tantum productiva, non posse esse substantialem, nisi per illam producatur aliquid substantiale, siquidem actio non potest dici substantialis, nisi per habitudinem ad terminum ad quem substantiale, at huius modi terminum substantiale habere non potest actio, quæ est tantum productiva, nisi per illam producatur aliquid substantiale, ergo. Quando vero actio non tantum est productiva, sed etiam simul conversiva, quia scilicet est destructio unius ex adventu alterius, tunc actio potest esse substantialis, etiamsi per illam non producatur ullus terminus substantialis. Talis enim actio præter terminum productum respicit etiam terminum, in quem fit productio et per habitudinem ad illum substantialis dicitur et est, quando ille terminus substantialis est, quantumvis terminus productus non sit substantialis. Et quamvis in naturalibus conversionibus sola res per conversionem producta sit terminus, in quem fit conversio rei, quæ destruitur, tamen non est de ratione con-

versionis in genere, ut semper res producta in conversione sit terminus ad quem actionis, ut conversio est, sed sufficit, si modus adveniendi substantiae, sit incompossibilis cum re praexistenti. Tunc enim etiamsi res substantialis non producatur, sed ante conversionem habuerit suam existentiam, potest esse terminus conversionis substantialis. Ex quo patet solutio ad confirmationem; maior enim illa vera est de actione, quae tantum est productiva, non vero de actione, quae et productiva est, et simul conversiva. Ad 3. Concedo antecedens, distinguo consequens; dupliciter enim potest advenire aliqua substantia, ex quo adventu destruitur alia substantia, primo ita, ut per actionem, per quam advenit substantia, fiat alius terminus principalior, quam adventus substantiae incompossibilis cum re praexistenti; secundo ita, ut per hanc actionem nullus alius terminus principalior fiat, sed ipse adventus substantiae sit terminus principalis actionis. Quando igitur adventus substantiae non est terminus principalis actionis, tunc substantia adveniens non est terminus conversionis, sed potius terminus conversionis erit illa substantia, quae est principalis finis et terminus talis actionis, ut accidit in generatione hominis, in qua principalis terminus non est unio, sed substantia totalis hominis, qui generatur, et iccirco embrio convertitur in hominem, non in animam rationalem, quae advenit materiae. Quando vero terminus principalis actionis est adventus substantiae, tunc substantia adveniens est terminus, in quem fit conversio rei, quae destruitur. Et iccirco dicemus inferius, terminum consecrationis sacramentalis esse corpus Christi, quia per consecrationem non fit aliud, quam Christum contineri sub accidentibus. Ad confirmationem respondeo: in conversione verbi gratia in consecratione sacramenti panis non convertitur in modum praesentiae, per quem corpus Christi constituitur sub accidentibus, vel in actionem, per quam hic modus producitur. Nam conversio per actionem fieri debet in illam rem, quae fit praesens, non autem in illam, quae est solum ratio praesentiæ alterius. Ex his constat ratio et essentia conversionis: est enim conversio, desitio unius rei ex positione alterius illi incompossibilis, vel est actio, per quam ex positione rei incompossibilis desinit in rerum natura res alia.

*Dubium III.*AN TERMINUS FORMALIS ACTIONIS CONVERSIVÆ SUBSTANTIAE
PANIS SIT ALIQUID SUBSTANTIALE?

Cum omnis conversio sit actio, nec ulla actio dari possit, per quam terminus aliquis non producatur, siquidem actio essentialiter est fieri terminus, videndum iam est, quid sit illud, quod formaliter producitur per transsubstantiationem. Quamvis enim de fide certum sit, terminum ultimum huius conversionis esse corpus et sanguinem Christi, in quæ convertitur panis et vinum, formalis tamen et immediatus terminus huius actionis quisnam sit, salva fide, varie disputatur a Theologis.

Prima sententia est, per hanc actionem transsubstantiativam immediate produci substantiam corporis et sanguinis Christi Domini, pro qua sententia etsi multi doctores citentur, primus tamen author huius opinionis videtur mihi *Gabriel* fuisse 4. d. 11. quæst. 1. ar. 3. dub. 2. Secuti sunt *Suarius* hic. disp. 50. sect. 4. et iuniores Theologi quam plurimi, pro qua sententia immerito citatur *D. Thomas* cum quibusdam aliis, qui nihil aliud docent, nisi panem converti in corpus Christi. Fundamentum huius sententiæ duplex est. 1. Quia transsubstantatio est actio substantialis, ergo terminari debet in aliquam rationem substantialem corporis Christi: at terminus actionis necessario debet fieri vi actionis, ergo. 2. Quia Patres passim docent corpus Christi fieri, effici, confici, imo et creari late sumpto nomine creationis pro productione. Ita *Augustinus* de Cons. d. 2. can. 72. Utrum, cum ait: creari carnem; *Ambrosius* 4. de Sacram. c. 4. et de his qui initiantur cap. 9., ubi exemplo creationis omnipotenti verbo. et exemplo aliarum transmutationum verbi gratia aquæ in vinum, virgæ in serpentem, petræ in aquam etc. explicat hanc conversionem. Alii Patres, ut *Damascenus* 4. de fide c. 14., exemplo nutritionis naturalis corporum ex pane et vino, de quibus late *Suarius* illa sect. 4. Hanc vero sententiam hoc modo explicant hi authores: supponunt imprimis id, quod verissimum est, rem, quæ ante extitit, non posse produci per actionem, quæ sit incæptio esse de novo, ita ut tunc sit et immediate ante non fuerit. Id enim ex terminis implicat contradictionem. Posse tamen rem, quæ existit ex vi novæ actionis illud idem esse recipere, quod iam ex vi alterius receperat, ut evidenter patet in conservatione rerum, quæ ex vi causæ

secundæ producuntur, conservantur vero a Deo solo. Nam verbi gratia ignis producit alium ignem, postea cessante concursu ignis producentis, ex vi solius concursus divini conservatur ignis productus. Hæc autem conservatio est vera actio Dei et vera communicatio totius esse ignis; et est actio diversa a præcedenti actione, quæ ab igne dependebat seipsa. Ut enim in physicis demonstratum est, fieri non potest, ut eadem actio sit, quæ seipsa dependeat iam ab hoc, postea ab illo agente et ut ab eadem actione iam denominetur hoc agens agere, postea non denominetur, cum a contradictorio ad contradictorium transitus fieri non possit sine mutatione reali. Hæc autem mutatio in agente non est, quod agendo vel cessando ab actione nullo modo mutatur, ut exemplo Dei manifestum, ergo. Confirmatur; nam, ut ex physicis patet, non est impossibile unius effectus dari duas causas totales, ita ut quælibet actu influat actione sufficiente et independente ab alia causa, ergo possibile est, ut duæ diversæ actiones communicantes totum esse eidem rei simul existant.

Secundo docent hi authores hanc actionem substantialem, per quam in Eucharistia ex vi verborum communicatur esse corpori Christi, esse diversam ab ea, qua conservatur in cælo; tum quia hæc actio, quæ est conversio, specie distingnitur a conservatione debita Incarnationi; tum quia illa actio est ex vi Dei, tamquam causæ totalis, hæc vero conversio est ex vi verborum, tanquam instrumenti causæ principalis, scilicet Dei. At ad hoc, ut actiones sint diversæ, satis est, si pendeant a diversis agentibus; tum quia actiones, quarum una incipit et desinit, altera non incipiente nec desinente realiter distinguuntur. At ita se habuit conversio panis in corpus Christi, et conservatio corporis Christi in cælo debita Incarnationi, ergo. Minor patet; nam conversio est actio nova, quæ ante prolationem verborum non erat et peracta prolatione rursum non est, ergo. Si obiicias terminum a quo productionis substantialis esse non esse termini ad quem, at hic talis terminus assignari non potest; ergo. Deinde causa totalis rei alicuius est causa etiam adæquata illius, ergo ab illa sola pendet effectus, ergo fieri non potest, ut duæ causæ totales et duæ actiones totales terminentur ad eandem rem. Respondent: terminum a quo in hac conversione quatenus productio est, esse, non esse termini ad quem ex vi talis actionis, ut in simili de conservatione dicunt omnes. Deinde causa dupliciter dicitur totalis et adæquata.

1. Sufficienter, ita, ut illa sola independenter ab alia communicet esse effectui. 2. Cum negatione cuiuslibet alterius actu concurrentis; primo modo non repugnat dari plures causas totales et adæquatas.

Tertio. Cum ad rationem conversionis necessarium sit, ut ex incompossibilitate termini ad quem destruatur terminus positivus a quo, hi autem authores manifeste videant corpus Christi et substantiam panis non habere inter se incompossibilitatem immediatam et connaturalem; siquidem substantia corporis Christi non repugnat secundum se cum substantia panis, cum ante instans conversionis simul extiterint: hanc incompossibilitatem aiunt esse mediatam in ordine ad accidentia, ita, ut corpus Christi ex modo supernaturali existendi sub illis sit causa desitionis panis eo quod corpus Christi per potentiam obedientiale activam elevatur ad sustendandum effective accidentia. Talis enim sustentatio effectiva accidentium sine subiecto possibilis est, ut q. 77. probabitur, ergo cum potentia obedientialis activa corporis Christi elevari possit ad omnes effectus, qui contradictionem non implicant, potuit etiam elevari ad hanc sustentationem effectivam, per quam actione perfectiori independenter a subiecto conservantur, sicut conservarentur, si a Deo accidentia sine subiecto crearentur, ut illa q. 77. dicetur. Eo autem ipso, quod accidentia sustentantur concursu effectivo adæquato, connaturaliter separantur accidentia a subiecto, cui ante inerant; nam licet virtute divina possit nihilominus conservari unio accidentium cum subiecto, imo et dependentia illius a subiecto in alio genere, præsertim cum non repugnet divina vi etiam in eodem genere plures causas totales eiusdem effectus dari: tamen connaturaliter et sine novo miraculo, quod in præsenti revelatum non est, ac proinde gratis fingeretur, eo ipso, quod conservantur accidentia adæquate a corpore Christi, separantur a substantia panis. Tum quia limitatio naturalis cuiusvis effectus creati postulat, ut naturaliter non sit capax res duplicitis actionis sufficientis et totalis; cum enim una sufficiat ad communicandum illi esse, alia erit plane superflua. Tum quia sicut una forma non est naturaliter capax duplicitis dependentiarum a duplice materia, ita etc. Eo autem ipso, quod accidentia separantur a subiecto, connaturaliter destruitur substantia panis, quæ sine suis dispositionibus esse non potest, nec materia sine omni forma, ut dub. I. concl. 1. ante primum consectarium dicebamus.

Ex qua sententia sequitur evidenter id, quod *Suarius* fatetur disp. 50. sect. 6. concl. 2. et 3., substantiam panis non destrui per eandem actionem, per quam corpus Christi producitur et constituitur præsens, sed per subsequentem, qua substantia panis conservatur effective a corpore Christi; et in fine illius sectionis fatetur *Suarius* hanc actionem posteriorem non habere ex natura rei connexionem cum corpore Christi, aut eius præsentia, sed ex solo divino beneplacito elevari corpus Christi ad hanc actionem supernaturalem, ac proinde nulli rei debitam, præsertim cum sit actio sine subiecto existens per modum creationis. Alii tamen volunt hanc accidentium sustentationem ex natura rei connexam esse cum productione substantiæ corporis Christi tamquam proprietatem, eo quod actio, per quam fit corpus Christi ex pane, ex natura sua petat elevationemr actualem potentiae obedientialis activae corporis Christi ad sustentanda effectivo concursu accidentia. In hoc enim nulla est repugnantia; et ex alia parte talis connexionio necessaria est ad veram conversionem panis in corpus Christi; alias enim revera non magis fieret corpus Christi ex pane, quam anima humana fiat ex embrione. Et ratio est; nam fieri aliquid ex pane tamquam ex termino positivo a quo, est fieri incompossibiliter cum pane, ita ut ex vi illius incompossibilitatis panis desinat esse, ergo si illa actio, per quam fit corpus Christi, non habent connexionem physicam cum incompossibilitate et sustentatione accidentium, corpus Christi physice non habet connexionem cum incompossibilitate et sustentatione accidentium, corpus Christi physice non erit ex pane tamquam termino a quo.

Dico 1. Per conversionem sacramentalem non producitur ipsa substantia corporis Christi: ita docent *Bellarminus*, *Vasquez*, *Valentia* locis citatis dub. 2., ubi *Valentia* §. quarto sequitur, contrariam sententiam ineptam vocat. Idem *Scotus* 4. l. 10. q. 1. §. quanto ergo, et d. 11. q. 3. §. quantum ergo, et omnes eius discipuli: *Rubion*, *Maior*, *Mayron*, *Ocham*, *Aliacensis*, quos late refert *Suarius* disp. 50. sect. 4. in prima sententia, ubi etiam *Hesselium*, *Claudium Sanctum* et alios citat. Idem omnino docent, quos ibidem in secunda sententia refert *Suarius*, *Sotus*, *Alanus* infra citandi, qui formalem terminum huius conversionis aiunt esse unionem corporis Christi cum speciebus. Est etiam *D. Thomæ* sententia partim hic ar. 2. et 3., cum ait: corpus Christi fieri præsens per conversionem panis in corpus Christi; quod verum

non est, si conversio hæc non est productio præsentia corporis Christi, partim q. 78. ar. 5. ubi ait non fieri per verba consecrationis, ut corpus Christi sit corpus Christi, sed ut contentum sub speciebus sit corpus Christi. Probatur: Conclusio 1. Omnia, quæ requiruntur ad veritatem transsubstantiationis panis et vini in corpus Christi, colliguntur ex illis verbis: Hoc est corpus meum: sed actio per quam substantia ipsa corporis Christi secundum se producatur, non colligitur ex illis verbis, ergo talis actio non est necessaria. Hoc argumentum est, quod solum urget validissime *Vasquez* illa disp. 176. cap. 6. Maior patet ex *Tridentino* set. 13. cap. 4. Ideo ait persuasum semper fuisse in Ecclesia conversionem fieri panis et vini etc., quoniam Christus dixit: Hoc est corpus meum. At ex illis verbis id persuaderi non potuisset, si aliquid requireretur ad essentiam huius conversionis, quod ex veritate illorum verborum colligi non potuisset. Minor patet; nam verba illa per solam productionem præsentia supernaturalis incompossibilem cum præsentia et existentia panis potuerunt esse vera, ergo.

(HIC DESINIT THEOLOGIA SCHOLASTICA.)

LIBELLUS APOLOGETICUS

Petri Pazmani

PRO

SOCIETATE IESU HUNGARICA,


AD PROCERES

REGNI HUNGARIAE.

RECENSUIT

IOANNES KISS,

IN THEOLOGICA ET ACUI FATE UNIVRSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



BUDAPESTINI
TYPIS REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
MDCCCCIV

Inclyti Ordines Regni Hungariæ in Comitiis, quæ anno 1608. occasione electionis et coronationis archiducis Mathiæ in Regem Hungariæ sunt Posonii coadunata, in sensu Constitutionis Viennensis anno 1606. conditæ, articulo 8. decreverunt, ut „Iesuitæ nulla in Regno Hungariæ bona stabilia et possessionaria habere et possidere valeant“. (Vide Corpus Iuris Hungarici, Mathiæ II. Imp. et Reg. Decretum I. anni 1608. artic. ante Coron.) Ad hæc Comitia etiam Societas Iesu, in possessione præposituræ Thurócziensis constituta, in persona Petri Pázmány legatum misit, quem tamen Ordines — Constitutionis Viennensis articulo 8. freti — acceptare renuerunt. Quapropter Petrus Pázmány, iura suæ Societatis viva voce coram Comitiis defendere non valens, exhortante Francisco Forgách, S. R. E. Cardinali et Archiepiscopo Strigoniensi, libellum apologeticum ad eadem direxit Comitia, qui in Francisci Kazy Societatis Iesu sacerdotis „Historia Regni Hungariæ ab anno sæc. XVII. primo ad annum eiusdem sæculi trigesimum septimum, Tyrnaviæ, 1731.“, pag. 83—86. et in eiusdem „Historia Universitatis Tyrnaviensis Societatis Iesu, Tyrnaviæ, 1738.“, pag. 18—22. legitur quemque in sequentibus, benevole lector, accipies. Argumentum eius hungarico idiomate proponit Guilelmus Fraknói in opere „Pázmány Péter“ 1886. pag. 43—44.

LIBELLUS APOLOGETICUS PETRI PAZMANI

PRO SOCIETATE IESU HUNGARICA.

Dignam sapientia, dignam æquitate Vestra rem facitis Proceres Incliti, quod tametsi quorundam importunis accusationibus fama existimatioque nostra proscinditur, nihil tamen durius statuere de causa nostra velitis, antequam quod iure, ac more gentium fieri solet, alteram nobis aurem integrum concedatis. Quanta igitur maxima brevitate potero, demonstrabo : salvis Patriæ libertatibus, ac legibus, salva constantia, salva anima, salvis denique Viennensibus Articulis acquiescere vos non posse eorum clamoribus, qui nobis Hungaria proscriptis gravissimam turpitudinis maculam inurere satagunt. Hoc si ostendero, causam obtinuisse mihi videbor; gravi siquidem contumelia Vos omnes a me affici arbitrarer, si longa persuasione, aut pluribus id apud Vos contenderem, ut, quod ius, ac fas, quod humana, ac Divina iura postulant, in causa nostra faciatis: dubitare enim, si id agerem, de integritate, æquitateque Vestra videri possem.

Principio igitur in dicta causa, nullius criminis accusatum, nedum convictum damnare, dulcissimæque Patriæ focis, ac penatibus interdicere, summa cum infamia proscribere, quam præposterum, quam ab Hungariæ, imo ab illis ipsis naturæ legibus, quas gentibus etiam immanitate barbaris impressas videmus, alienum sit, nemo Vestrum non videt: nam quantam huiuscemodi iniquitas Divini iudicii ultionem merito reformidare possit, præsertim, si non ab unius cuiuspiam privati iudicio, cupiditate, sed a totius communitatis consensione proficiscatur, nihil attinet dicere. Cum igitur nullius nos criminis convincere, sed quid dico convincere? imo nec accusare hactenus quisquam tentaverit, qua tandem ratione patiemini in nostra sola causa omnium legum, ac iurium ordinem inverti? En-

adsumus, si quis est, qui ullius nos criminis reos accusare audeat, non defugimus iudicium: consciī enim nobis sumus, nihil a quo quam in nobis inveniri posse, quo exilium promereamur. Iactant fortasse inter symposia quædam de nobis odiosa (de quo enim bono talia non iactant?), sed ubi ad probationes deventum fuerit, tunc intelligitis somnia mera esse, quæ iactant. Non solum in Hungaria, sed in ipsa etiam Transylvania adeo versati sumus inculpate; ut tametsi Botskaianis temporibus illinc pulsi sumus, tamen Princeps Transylvaniæ, et is quidem Evangelicus (nè favorem suspicemini) sigillo, ac syngrapha consignatum testimonium dederit: cuius ipsum autographum apud me conservatum, cum vobis libuerit, producam; in quo his ipsis verbis testimonium dat innocentiae nostræ: Testificamur eosdem Patres Societatis Jesu ut bonos, et morum integritate graves Viros, ex Collegiis, bonisque non ob ullum delictum, aut notæ alicuius vitium, verum ad instantiam Romanæ, et Catholicæ fidei contrariam opinionem sequentium esse deturbatos. Hactenus Principis verba. Si igitur vel publicis malefactoribus ea legibus omnium gentium concessa est aquitas, ut, nisi convicti, puniri nequeant; quanto magis nostræ hanc innocentiae spectare a Vobis gratiam nobis licebit.

Secundo: esto (quod falsum est) verum esse concedamus, Iesuitam unum, atque alterum, et si placet, etiam tertium, tale aliquid perpetrasse fateamur, ob quod Regno pelli ipsos fas, et æquum videri posset; quæ tamen hæc iustitia foret? totum Ordinem Regno Hungariæ incorporatum, post tot annorum pacificam bonorum, et immunitatum possessionem, stationisque in publicis Regni Comitiis occupationem, ob unius, alteriusve facinus excludere? si centum, aut eo plures Nobiles scelere se quopiam adstringant; si Cives aliquod flagitium patrent; num ideo Nobilitas omnis exscindenda, Civitas tota subruenda?

Tertio: plurimi inter Iesuitas sunt, qui sanguinem, et a Baronibus, et a Nobilibus Hungaris ducunt; et ut de me hoc dicam, et literis, et possessione honorum docere possum: tercentis, abhinc, et eo amplius annis Maiores meos Nobiles fuisse, et plurimum pro Hungariæ defensione sanguinem fudisse. Cum igitur leges Hungariæ eam Nobilitati prærogativam concedant, ut nec Regia Maiestas, nec Regnum ipsum quenquam proscribere possit, nisi accusatum, ac convictum; qua fronte quis petere audeat, ut contra libertates Patriæ nos Hungaria excludamur? De cæteris

non habeo, quod dicam; de me illud libere profiteor: huic me Hungariæ libertatis privilegio innixum coram Deo, coram Regia Maiestate, coram Inlyto Regno Hungariæ, coram Orbe universo protestari, nolle me vel latum unguem hac in re a iuribus Nobilitatis recedere; nec vivum me, nisi legitime accusatum, ac convictum Hungaria excessurum.

Quarto: illi ipsi Viennensis Articuli, quos urgeri ab adversariis video, adeo ipsis nihil patrocinantur, ut valde etiam innocentiam nostram protegant, ac tueantur. Primo: quia in Articulo X. habetur: ut omnibus Statibus liberum Religionis ipsorum exercitium absque ulla turbatione concedatur. Hic iam ab accusatoribus sciscitari libet: si Regia Maiestas ediceret, exempli causa: ut omnes ludi Moderatores, ac Prædicantes Lutherani, qui aliunde acciti, nativi Hungari non sunt, Regno pellerentur; vel ut delecti quidam doctiores Prædicantes proscriberentur: an non hic prædictæ libertatis præiudicium creari censerent accusatores nostri, cœlumque terræ miscerent, ac clamoribus, querelis, convitiis aërem ipsum, quem trahimus, onerarent? Age igitur, Catholicos omnes adeamus, sciscitemur: turbarine se in suæ Religionis negotiis arbitrentur, si Iesuitas electos Hungaria videant; quorum opera in erudiendis liberis, ac nepotibus suis utuntur in Hungaria; maximis alias impendiis aliorum eos amandaturi; quos etiam una cum cæteris Venerabilibus Ecclesiae Catholicæ Sacerdotibus Religioni Catholicæ tuendæ, ac ornandæ destinarunt. Quid si hac tam indigna Iesuitarum proscriptione gravari se Catholicis fateantur, consequens profecto est: ut a quibus Iesuitarum proscriptio urgetur, id ab illis agatur, ut prior ille Viennensis Articulus incumbat in spongiam, æternumque oblitteratus intercidat. Secundo: eodem ipso priori articulo Viennensi habetur: Templa, Ecclesiæ Catholicorum per hæc disturbia occupata, eisdem rursus reddenda esse; si eisdem restitui debent, ergo Selliense, Turocziense, aliorumque locorum Templa adempta Iesuitis per hæc intestina dissidia, eisdem rursus reddenda sunt; et qui eisdem redi vetat, id agit: ut primus ille Viennensis Articulus valido ictu concussus ruat. Tertio: in quinto Articulo sic habetur: Præposituræ, et Abbatiae maneant in suo statu, et fundatione; quod si ita maneant, cui dubium esse potest? Præposituram Turocziensem Iesuitis cedere debere: si enim alias quispiam illam occupet, in suo, quo ante fuit statu, ac fundatione non manebit; siquidem

Sacratissimi Imperatoris fundatio habet, ut Iesuitæ Præposituram illam obtineant. Et hic igitur replica: eum, qui Iesuitas Regno pellendos censem, Viennenses Articulis evanidos fieri debere contendere. Nec existimare possum, quicquam aliud iis quinti Articuli verbis voluisse Status, quam ut Præposituræ, et Abbatiaæ in eodem statu maneant, in quo fuere ante Bot skaianos motus. Si enim id agerent: ut iisdem Ordinibus Religiosis Præposituræ, Abbatiaæque attribuerentur, quibus prima fundatione attributæ sunt; et Benedictini, et Præmonstratenses, et aliorum Ordinum Monachi quam plurimi revocandi essent, adimendaque complura bona secularibus, ut ad primæ constitutionis formam revocarentur: denique Sanctus Benedictus Venerabili Capitulo Strigoniensi adimendus, et alia plura beneficia immutanda forent. Denique qua ratione Præpositura Turocziensis a Bela IV. fundata Religiosæ primum familiæ attributa fuit, postea vero nemine reclamante Reges Hungariæ Prælati secularibus eandem contulere, ita par prorsus auctoritas penes Coronam Regiam fuit, ut rursus Præposituram illam Religiosæ familiæ conferret. In octavo Articulo Viennensi ita Regia Maiestas Sua ad postulata Regnicolarum quorundam (neque enim hoc est totius Hungariæ votum) de electione Iesuitarum respondet: ut se suis Regiis iuribus inhærere dicat; nec quod semel placuit, displace posse tacitus profiteatur: cui et nos ita innitimus, ut Suæ Maiestatis donationem semel factam, irritam fieri nulla ratione consentiamus.

Sed ne abuti patientia Vestra videar Inclyti Ordines, si diutius tam liquidæ, tam iustæ causæ patrocinium persequar; illud solum a Vobis peto: ut cognita æquitate petitionis nostræ, non solum votis exilia nostra anhelantium non acquiescatis, verum etiam cognitam innocentiam nostram testari velitis Articuloque conscripto nostræ innocentiae patrocinemini. Cuius Vestrae æquitatis mercedem ab illo iustitiæ summo Præside Deo expectetis. De his vero, omnia polliceri Vobis potestis, quæ de Patriæ amantissimis Civibus fas est polliceri.

Illustrissimarum Reverendissimarum Dominationum Vestrarum

Humillimus servus

PETRUS PAZMANI
Soc. IESU,
SS. Theologiae Doctor.

PENICULUS PAPPORUM

APOLOGIÆ SOLNENSIS CONCILIABULI

ET

HYPERASPISTES LEGITIMÆ ANTILOGIÆ ILLUSTRISS: CARDINALIS, FRANCISCI FORGACS DE GHIMES, ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS, ETC.

IOANNES IEMICIUS


PAROCHUS SENQUICENSIS

SCRIBEBAT

RECENSUIT

IOANNES KISS,

IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



ITERATO EXCUSUS POSONII,
IN AULA ARCHIEPISCOPALI, ANNO RESTITUTÆ SALUTIS
M. DC. XI.

Deuter. 17. v. 12.

*Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat
Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille.*

AD ILLUSTRISS.

CARDINALEM, ARCHIEPISCOPUM STRIGONIENSEM.

Verba Hieronymi ad Augustinum Epist. 25. inter Augustinum Epistolas. Macte virtute, in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suspiciunt; et quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur; et me pari prosequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant.

Georgius Thurzó, Palatinus Regni Hungariæ, augstanæ confessionis, anno 1610. lutheranos regionis Citra-Danubiensis convocavit, ut causas tractarent suam religionem spectantes. In hac synodo multa quoad regimen cœtus lutherani sunt statuta, superintendentes sunt electi, horum proventus determinati et prædicantes exhortati, ut iuxta articulos Augustanos docerent.

Franciscus Forgách S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopus Strigoniensis publicatis pastoralibus litteris protestatus est contra synodi Solnensis sancita et prohibuit, quominus ea effectui mandarentur. Postquam vero superintendentes in dicta synodo electi eiusdem Apologiaṁ publicarunt, Petrus Pázmány adversus hanc Apologiam conscripsit librum: „Peniculus papporum apologiae Solnensis conciliabuli.“ In hoc suo opusculo post criticam Apologiæ, Appendix instar, anonymum quandam refutat et vituperat, qui Summum Pontificem Clementem V. libro publicato immanibus calumniis afficiebat.

Petrus Pázmány librum hunc sub ficto-nomine Ioannis Lemnicii parochi Senquicensis latens publicavit Posonii, anno 1610., in minori 4° paginas 102 numerantem et ibidem a. 1611., in minori 4° pag. 106 comprehendentem Singularia exemplaria utriusque editionis in Bibliotheca regiæ scientiarum Universitatis Budapestinensis custodiuntur. De opere hoc vide Guilelmi Fraknói opus „Pázmány Péter“ 1886. pag. 54.

PROLOGIUM

AD PRAEDICANTES, APOLOGEMATIS ARCHITECTOS.

Fama iam pridem auditioneque acceperam, gravissimo cordilio præcordia vestra consanciata fuisse, Prædicantes observabiles, quod næniis vestris vehementer reclamatum esset ab Illustriss: Cardinali: qui constantia Sacerdotali, grassanti errori se opponere; moramenta conatibus vestris iniicere; fatiscentem insolentia vestra veritatem adiutam ire, non intermittit. Et quoniam apud eos, quos fascino præstigiisque vestris eluscatis, quique nec salutis suæ studio, nec tædio vanitatis vestræ nullo veritatis pondere saburratæ, melioribus audiendis, aures animosque commodare volunt, inconditis præconiis efflictim iam pridem efferri cognoveram nescio quam, communi studio plurimorum vestrum emussicatam vaniloquentiam: Arbitrabar equidem, dignum vos aliquid expectatione hominum; dignum noviter erecti Magistratus splendore, concinnitudine, maiestate; dignum tanto nixurientium conatu fœtum, edituros: præsertim cum præcoqua nimium, intempestiveque gliscens inanitas quorundam (ex eorum numero erant, quibus et gulicæ vestræ nuclei, et mariscæ saporati fructus, et labruscæ botryones, et omphacina dulcia mera, et amurcæ ac flaces gratae olivitates videntur) sic Apologema sub prælo sudans, dilaudaret, ut Catholicos porro confectos, ne hiscere quidem posse, insolentissime gloriaretur.

Ego vero, quamvis multo ante, ex maledicendi studio, longo a vobis usu comparato, de responsionis modo conjecturam capere potui: futurum tamen non existimavi, ut tam uberem, et pro me, et contra vos dicendi materiam, pauculis mihi chartis suppeditatris. Illud vero, ne sperare quidem poteram, ut familiaris consuetudinis vestræ, quam pro suggestu ad populum longo errore

captum observatis, nativam quandam imaginem literis quoque exprimeretis; hoc est, ut sæpe statum quæstionis positæ, callide, et quasi stationem furtive deserendo, aliorum torqueretis; ut in solvendis argumentis tam impedita ubique hæreretis; adianoëtis chartas farciretis; ut scripturarum sacrosanctis testimoniis, lubricis ambagiosisque confectationibus pueriliter abuteremini; denique ut vanissimis cariosorum sophismatum anfractibus, et ad fucum faciendum conciliato dicendi genere, quemadmodum indoctæ plebeculæ imponere, ita Doctorum censuras effugere vos posse, arbitraremini.

Sed bene sit illi, cuius auspiciis ac nutu, defensionem hanc vestram, mangonio multiplici phaleratam, sol aspicit. Neque enim aptius vivam fidei vestræ, vanitatis vestræ effigiem Apelles ipse expressisset, quam depinxit Apologia Cassovina. Et nisi exploratum haberem nihil tam esse falsum, quod mens præjudicio occupata, Prædicanticisque allicefacta nidoribus, pro vero obtrusum non acceptet; facile adducerer ut crederem, vanitate vestra, ac erroribus Apologiæ, non secus medicinam factam deceptis populis, quam venenatis suis ictibus medetur ipse, qui læsit, Scorpius.

Quod igitur bene feliciterque vertat, nitellam hanc candificam, converritricem, nitidantemque Analecta Apologiæ Prædicanticæ conficere aggrediar: atque ita, Deo duce, crepundia, sutellasque vestras demoliar, ita incernicula veritatis lolia vestra vannabo, ita vanitatis vestræ fucum detergam, ac nativam Apologiæ deformitatem in apricum deducam, nec molli, et ad lascivientis oculi Veneres picturata, sed torosa ac mascula dictione, velut marra duriore tundam, ut una eademque opera, optimi ac vigilantissimi Pastoris, Illustriss: Archiepiscopi Strigoniensis innocentiam, æquitatem, legitimamque Solnensis Synodi impetitionem, dilucida hac aëtiologia, omnibus palam facere non intermittam: atque ut verbo dicam, amuleto alexicaco, virus quod affiare cogitastis, depellam.

Neque mihi animus est, ut ad eos, quos substituistis ineptæ huius vestræ farraginis autores, viros Illustres, ac Nobiles, ullæ responsionis meæ partes spectent. Certis enim indiciis exploratum habeo, nihil quidquam huius Apologiæ visum a plerisque Magniorum illorum Modiperatorum, quorum nomina præferuntur in diagrammate. Nec ea doctrina instructi illorum singuli, quæ ad hoc tenuissimis eruditæ mentis pulvisculis leviter respersum scriptum, vel perlegendum, vel percipiendum sufficere possit. Et s

qui ex ipsis tincti literis, videre se aliquid supra plebem arbitrantur, nec otium illis, nec lubentia est, ut in Prædicantium messem immittant falces, hancque disputationis serram reciprocent: cum Aliptæ, et Agonothetæ esse malint, quam palæstritæ, ac pancratiastæ, ignota in arena, Andabatarum more decertantes.

Quod si qui forte virorum Nobilium ad se quoque pertinere arbitrentur, quæ Prædicantium insulsas affanias tangunt, telaque in alios missa ultiro induunt, secum isti bella gerent: suæ temeritati succenseant.

Vos interim valete, Prædicantes, et favete linguis.

CANDIDO LECTORI SALUTEM.

Quod animus præsagiebat, dum Pappos Apologiæ Solnensis Peniculo nitidarem, fore nimirum, ut apud eos, qui venena tantum exsugunt librorum, in varia iudicia et voces hæc scriptio incurret. Id iam factum scias Lector optime. Reperti enim sunt homines male acuti, qui non sumunt a nobis sensum Scriptionis nostræ, sed adferunt; et mentem adfingunt a sua mente: cumque sermonis Latii male sint periti, ac potissimam scripti huius partem non capiant, sensisse tamen et scripsisse me volunt, quæ per somnium non sensi, non scripsi.

Cætera in quæ varia calumniæ spicula iaciuntur, quæque distortim flabris susurronum flectuntur, ubertim alias Deo duce vindicabo. Unum illud quod palmarium est, et in maximum me stuporem dedit, memorare nunc lubet.

Quia summi Pontificis fama, existimatioquæ fædissima mæphiti, ceriti cuiusdam bomolochi lacerata fuerat, totiusquæ fabulæ fontem ad pueri unius vocem retulerat rusticatim menticus Syco-phanta: ut eius furores comprimerem, inter alia presseram illud valide, summorum virorum existimationi nihil quicquam unius ob-trectantis sermonibus derogari posse: nec quod ab aliquo dictum, id continuo pro comperto, exploratoque haberi debere: cum uni testi, nec Catoni creditum fuisse, sciamus. Et, professæ inimicitiae, suspicionem habeant mendacii.

Quo vero facilius externatus ille calumniator vim huius ratio-nis assequeretur, argumentum deducens ad absurdum confe-ram: in quo non multum abludente exemplo, in apertam lucem hunc in modum produxi vanitatem Pontificiomastigis, Si ob unius temere iactatos sermones nota inuri cuiquam posset, fore ut con-viciator ille in Illust: quoque Dominum Palatinum, tantum, ac

Apol. 3. cont.

Ruff. Ib. Apol.

Hieron. 1.

talem virum incurrat: illum ipsum traducat, accusetque, quem Regni assensu, amplissimo magistratu Regia Maiest: exornavit. Nam de sua quoque Illust: Dominatione dicta quædam, non absimilia iis, quæ in Summum Pontificem, confignit agyrrta Anonymus. Et haud scio, an ullus ita felix repertus, ut non aliquid illi Livor affinxerit.

Hæc tota argumentatio, apud eos, qui vim Latii sermonis, præssæque ac succinctæ argumentationis rationem assequuntur, peræque Summum Pontificem, et Dominum Palatinum excusat. Nam et præmissum fuerat unum testem, quantus quantus sit, nullam fidem facere. Et ea vis est argumentationis ad incommodum deducentis, ut ex consequentis destructione, tollatur Antecedens. Hoc est, ut quoniam quod consequitur falsum est, necesse sit illud ex quo deducitur, falsum itidem esse. Servata siquidem rectæ argumentationis formula, ex vero sequi aliud quam verum haudquaquam potest.

Hæc mea mens fuit, hæc potentissima vis rationis a me propositæ: quam ego ab ipsa calumnia alio flecti posse, non existimarem, nisi viderem, Abite ergo, suspicaces Ophiogenes: Malæ mentis argumentum est, inconsulte suspicari. Ego sparsa de aliis credere me nolle, nisi certis testatisque argumentis comprobentur, libere pronuncio: manumque hic subtraho, nec cum Milone temere infero, inter hiantes hac rimas. Vale.

Caput I.

ORIGO ET STATUS CONTROVERSIAE, CUM ELENCHO RERUM TRACTANDARUM.

Pietate in Deum ac Dei parentem Virginem, susceptæque semel Religionis constantia, nulli secunda nationi fuit quondam Hungarica. Atque ut eo validioribus repagulis firmata veritas consisteret, non multo post quam unius Lutheri, Christi mandram depeculantis, audacia, letalium malorum Iliades inundarant, publicis Regni comitiis in leges relatum fuit, *ut Lutheranos omnes, ac eorum fautores, tanquam publicos hæreticos, hostesque sacratissimæ Virginis Mariæ, pœna capití, et ablatione omnium bonorum Regia Maiestas puniret*. Diutule postea, ut pullulantia excetræ istius capita validius resecarentur, rursus his ipsis concepta fuere verbis decreta Regni: *Lutherani omnes de regno extirpentur, et ubicunque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per sœculares personas, libere capiantur, et comburantur*.

Artic. 54
Anni 1523

Artic. 4.
Anni 1525.

Artic. 18.
Anni 1550

Demum ut gliscentis novitatis stolones, ac pullulantes fibræ eruncarentur, ut impetigines vitiliginesque in purissimo corpore iam tunc fruticantes, alexipharmaco validiore depellerentur; gravissimo Senatusconsulto sancitum fuit, *ut sanctæ Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ, quæ unica est, et sibi perpetuo constans, errareque non potest, omnes Regni Ordines perpetuo adhæreant*. Deum immortalem! si leges huiusmodi contra nos haberent, quas numellas, cippos, catastas, fidiculas; quas ungujas, boias, pedicas expedirent? quas lanienas erigerent macellarii Prædicantes? quos non deartuarent, emascularent, eunucharentque Sacerdotes? quorum nonnullos superiori tempestate exsectis virilibus, semiviros, Verpos reddiderunt. Et tamen, tanto temporum tractu, in tanta rerum opportunitate, in nullum unquam Lutheranum, Religionis ergo lege actum fuit a Catholicis, et numero, et opibus superantibus.

Nulla porro alia, quam quæ his decretis continetur libertas Lutheranæ Calvinianæque sectæ concessa legibus Hungariæ fuit, ad hanc usque nostram, malorum fœcundam, feracem Religionum, ætatem. Nunc demum, post tot ætatum funera, postquam funesta novitatis prurigine tot simplices animæ, ex prædamnatarum defloratione constructis opinionum portentis, fatuatæ, in omnem fidei lepram exulcerantur venenanturque; postquam Regiæ Maiestatis Sacrosancta autoritas, Bocskiana factione imminuta, ac propemodum eversa iacuit; magna contentione, bene a maioribus rotunda tornataque, decircinarunt adversarii, sanxeruntque, ut *Sua cuique Religio et Confessio, ubique Libere relinquatur, nec quisquam omnium, in libero eiusdem usu, ac exercitio, a quoquam impediatur.*

Artic. 1. Ante
coronationem
Anno 1608.

Hac tam ampla, et quaquaversum patente, nec ullis circumscripta cancellis, trimulæ iam libertatis concessione, cum non solum Lutheranæ, sed æque Calvinisticæ, Anabaptisticæ, Arianæ, Iudaicæ, Mahometricæ sectæ libertas, haud obscure videretur admitti, approbarique. Catholici universi, sed maxime primarius Regni status, qui Prælatos complectitur, diu multumque, tantæ ad exitium libertati, obstitere. Sed ubi numerare, non ponderare suffragia placuit, ulterius progressa est licentia, additumque: *Ad præcavenda inter status odia, et dissensiones, ut quælibet Religio suæ professionis Superintendentes habeat.* De modo tamen eligendi hos Superintendentes, denique; eorum proventibus, ac ministerio, verbum nullum.

Eodem Art.

Hanc igitur libertatem nacti Lutherani Prædicantes, atque illi vel maxime, qui primatum appetebant, Comiti Georgio Thurzo persuadent, ut sua (quæ tunc Palatalis non erat) autoritate interposita, Synodus Solnam convocare, Superintendentes eligere, cæteraque nondum satis ordinata disponere vellet. Datæ igitur literæ die 20. Junii, Anno 1609., quibus Dominus Comes queritur primum, *Quanta cum iniuria Sacrae Religionis, ac gentis Hungaricæ, indigence nostri, sacris inauthorandi, Vittembergam, Brigam, interdum in alia remotiora loca, profactionem suspicere hactenus sint coacti, ac si non idem Spiritus Domini in hac quoque mundi plaga spiraret, nosque regeret:* subdit. Consultum videri, ut duo vel tres Superintendentes elegantur, qui ad pastorale munus aspirantes, ad Sacrosanctam Ministerii Evangelii dignitatem promovendi habeant facultatem. Quocirca rogat, ut ad 15. Iulii Solnam convenient, ubi hæc, aliaque pertractare possint commodius. Convenere pauculi, sed

nihil quidquam concludi potuit; vel ambientium, sibique mutuo hanc tantam Ecclesiasticæ dignitatis maiestatem invidentium vitio; vel ob alias, quas in vulgus dare haud expedit, causas.

Ne tamen, qui hactenus summam Religioni Sacrosanctæ, summam genti Hungaricæ iniuriam irrogarant Prædicantes, pergerent porro Deo hominibusque invisi esse; placuit iterum Solnam convenire, ubi diu multumque omnia mature examinata, cum ad diem 29. Mensis Martii Anno 1610. Patres convenissent, die demum 30. eiusdem Mensis (unius nempe dieculæ longissimo curriculo, peractis rebus omnibus) Triumviri Capitales, Mensarii, Nocturnique simul constituti: Iisque, ut speciem aliquam vetustatis, Ministerium referat, Iudaicis nominibus cognobiles, ac famigerabiles viri; *Isaac, Abrahamides, Elias Lanii, Samuel Melichius.* Hi omnes Promystæ, ac solo nomine Superattendentes, denunciati. Deinde vero, *Stipendia Superintendentium, præter censem Cathedraticum, et Aedituorum contributiones* (multatitia pecunia, qua reos peculant, excidisse videtur) *pius Zelus ac liberalis Comitatuum clarigatio suppleto: Superintendentes quotannis per se, vel per alios, Ecclesias visitanto:*

Artic. 2. Art. 11. in fine. Causas ad forum Ecclesiasticum spectantes diiudicanto; et ita quidem, *ut ab illis ulterius appellare non liceat.* Denique, iureiurando

Art. ultimo. adstringunt Superintendentes, ad eius quæ in formula Concordiæ continetur, Augustanæ confessionis, Pandoræ decantatissimæ professionem. Cæteros vero, qui Ministerio initiantur, libro Concordiæ subscribere iubent.

Huic porro celeberrimo Concilio, nec deesset autoritas, subscrpsere Barones Maximates duo; Magnates nuperi non plures quatuor; Nobiles sedecim; Cives tres; Ministri (qui, ut omnium

Summa ingens, postremi, atque in ipsis Synodis Lutheranis, nil nisi lixæ et calones, extimique trahariorum, agmen claudunt, citimique subsignant)

viri. 52. magno omnino numero, sed rurestres plerique, atque etiam omniosa nomina, Lanii, Fabri, Larices, Carbonarii, Masuri, (mirum si non Suarii, et Arboratores, et Camparii, et Areatores, et Opsopœi, et veteramentarii Lucriones, aliqui), septem supra viginti.

Posteaquam ergo acta Synodica publici iuris facta, ad manus Illustriss: Cardinalis perlata sunt, mirari primum tantæ præsumptionis insolentiam; deinde, lacessitus, publico typisque vulgato scripto, obviam ire instituit, atque hunc in modum edixit.

Nos Franciscus Forgacs de Ghimes, S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Strigonensis, locique eiusdem Comes

perpetuus, Primas Regni Ungariæ, Legatus Natus, Summus Cancelarius et Secretarius, ac Sacré Reg. Maiestatis Consiliarius, etc.

Cum nos, licet immerentes, Divina bonitas, Ecclesice Metropolitanæ Strigoniensi præficere dignata sit; omni studio adnitendum nobis intelligimus, ut quantum iniquitas temporum patitur. ovibus Christi, curæ nostræ commissis a Principe pastorum, ita consulamus, ut rationem reddituri dø animabus; lupos ab oviaria Christi, etiam corporum nostrorum obiectu arceamus; assiduaque vigilancia excubantes, velut in specula constituti, pericula eisdem denunciemus.

Quia igitur superioribus diebus, eo usque audacia illorum, qui concionibus miseram plebeculam in errorum laqueos inducunt, progressa est, ut coitionem quandam in oppidum Solnam indicerent: novo, ac antea in Ungaria inaudito exemplo, suæ Lutheranæ professionis Superattendentes eligerent, a quibus deinceps cætera ministrorum turba initaretur; Leges denique ac decreta figerent, communis Iustitiae, legibus patriis, Ecclesiastice libertati, Sacris Canonibus, Dei decretis contrarias: committere sine animæ nostræ discrimine non potuimus, quin palam ac publice, omnibus illius conventiculi actis, ac decretis, tanquam animarum cæterno exitio, communique Iustitiae exterminandæ notis, contradiceremus.

Principio ergo, non sine plurimarum animarum perditione, Superintendentis nomen usurpari ab his novellis Ecclesiae Dei turbatoribus, vel inde manifeste deprehenditur, quod ab ipsis nascentis Ecclesiae incunabilis, postquam Apostolico ministerio, Ecclesiarum rectores Episcopi sunt constituti; nunquam pro legitimis recepti sint Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit. Nam, ut vetustissime Apostolicorum canonum decreta taceamus, Sacrosanctum ac Universale Concilium Nicænum primum (quod vel conferre, nedum æquare Solnensi Conciliabulo, sacrilegium foret) id quod usu receptum fuerat, lege sancivit, ut Episcopus non minus, quam a tribus Episcopis ordinetur, ita tamen ut Metropolitani Episcopi autoritas habeatur, absque quo ordinatio irrita sit: Si igitur periuri esse nolunt nuperi isti Superattendentes, sua ipsorum sententia Episcopi esse haudquaquam possunt. Nam iureurando adacti sunt, non aliam doctrinam se propugnaturos ac promoturos, quam Confessionem Augustanam. In ea vero Confessione, palam profitentur, se in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire: tantum paucos abusus omittant, qui novi sunt; et contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti. Cum igitur contra

Canone 4
apud Rufinum lib.
cap. 6.

Art. ultimo
Solnensi

Conf. August
Art. 21. initio

Nicænæ Synodi vetustissimos ac Sacrosanctos Canones, Superintendentes se nominari sentiant; nisi Augustanæ Confessionis, ac iuris-iurandi violatores haberi velint, necesse est falso nominatos istos Superintendentes, ovina se veste Episcoporum, immerito contegere; adeoque nullas ab ipsis legitimas Ministrorum Ordinationes fieri; nullum ex iis Sacramentis quæ ordinationem requirunt, legitime administrari ab iis quos initiant: sed umbratilem ac vanam esse quæ ab iis fit, Absolutionem, Eucharistiam, etc. Quæ quam gravia miseræ plebeculæ incommoda, animarumque damna adferant, nemo est qui non videt.

Adde, quod gravissimis, et ab omni humanitatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis populo proponeundis, adstringit Solnense hoc conventiculum infelices Prædicantium animas. Cum enim statuit, ordinandos omnes libro Concordiæ subscribere, id demum sancit, quod in libro Concordiæ, disertim exprimitur: Damnandam esse doctrinam, quæ docet, Evangelium non esse Tantummodo concionem de gratia Dei, sed proprie esse confessionem de pœnitentia, arguentem, accusantem, dannantem peccata.

Item, Docendum esse, passionem Christi proponere iram Dei adversus peccata, ut cognoscamus quanta dominus in lege sua a nobis

Ibid. in Affir. mat. num. 8. Ibid. Art. 1. Negat. 4. exigit, quorum tamen Nihil nos præstare possumus, etc. Demum, Damnandos esse qui docent superesse in homine Capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus spiritualibus Cooperari valeat, ad bonum aliquod. Hæc aliaque errorum portenta, sacro huic Conciliabulo ex libro Concordiæ approbata, eo nimirum spectant, ut apertum ac patens, hominibus ultro in malum ruentibus, exitium accersatur. Si enim Nihil ex Divinæ legis præscripto, agere possumus; si ne Capacitas quidem in nobis hæret, ut Deo moventi per gratiam, Cooperemur; si Evangelium Tantummodo gratiam denuntiat, asperitatem pœnitentice, metum peccatorum longissime removet; quid adhuc satagimus in Sanctitate et Iustitia ambulare?

His accedit, quod gravissimo quoque usurpati Iuris alieni onere se prægravat hocce Conciliabulum, nam Synodus abnuente Metropolitano indicere, Visitationes Ecclesiarum in aliena diœcesi, bonorumque Ecclesiasticorum dispositionem in se derivare privata. autoritate, contra longissimi temporis Præscriptionem, Canonumque ac Legum patricie sanctitas constitutiones; quid aliud est, quam rapere, ac sine ullo iuris ordine, alienum ius sibi usurpare?

Nullæ certe Ungariæ leges, ne quidem perturbatæ Reipub. temporibus latæ, ius tribuunt novis Superattendentibus, vel censum Catedraticum, adimendi, antiquaque sæculorum aliquot possessione Archidiaconos deturandi; vel causas forum Ecclesiasticum concorrentes, ad has Episcoporum larvas deducendi; vel per viam Appellationis præsumptuosa ipsorum iudicia non declinandi: Et tamen Solnensis hæc Pseudosynodus, et census Cathedraticos Archidiaconis, quorum antiquissima possessio certissimas origines habet, abiudicat, ac intrusis Superattendentibus suis adiudicat; et causas Ecclesiasticas eorum iudicio committit; et provocationem ab ipsorum diiudicatione vetat. Quæ omnia Iniustitiae plenissima, Divinis, ac humanis legibus, Decretisque Ungariæ adversantur, nec quicquam horum in publico Regni conventu definitum. Et quamvis definitum foret; ipsis tamen legibus Ungariæ suffragantibus, quidquid Sacris Canonibus Ecclesiæ adversatur, invalidum ac nullius firmitatis esse debere dignoscitur.

Prologo
Tripart

Quæ cum ita sint, nos coram Deo, ac mundo universo protestamur, iniquas has novellæ coitionis sanctiones, Libertatis ac Iurisdictionis Ecclesiasticæ, animarumque exitio lata, Invalidas, Iniustas, ac nullius ponderis esse et haberi debere: Districteque ac sub pœna Excommunicationis inhibemus, ne vel ipsi falso intitulati Superattendentes, census Cathedraticos percipere, Ecclesias diœcessis nostræ visitare, Ordinationes Ministrorum facere, Causas forum Ecclesiasticum concorrentes diiudicare, nedum Appellationes prohibere, præsumant. Inhibemus Item, et sub Anathematis vinculo vetamus, ne ullus censum Catedraticum aliis, quam quibus ab antiquo pendebat, dare præsumat; neve ad Pseudosuperattendentium diiudicationem, causam ullam fori Ecclesiastici deducat. Ac nihilominus, Reverendissimis in Christo fratribus Episcopis diœcessis nostræ Strigoniensis, nec non dilectis filiis Præpositis, Abbatibus, Archidiaconis, cæterisque omnibus, ad quos hæc res spectare dignoscitur, iniungimus ac mandamus, ne quidquam de iure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo ius habuisse dignoscuntur, remittant; census Cathedraticos exigant; ac suæ Iurisdictioni subiectos Ministros, si qui forte illorum, causam Ecclesiasticam, ad Novitium aliquod tribunal, deducant, ad forum spirituale evocatos, ac iuris ordine convictos, irremissibiliter puniant.

Cæterum volumus, ut hæc nostra Protestatio, Contradictio, Inhibitio, ac Præceptum, quo facilius ad manus plurimorum pervenire possint, Typis excudantur; eademque fides excusis exempla-

ribus habeatur, ac si ipsæ originales, manu nostra subscriptæ, ac sigillo munitæ exhiberentur. Datum Posonii, in aula Nostra Archiepiscopali, Die XVII. Aprilis, Anno M. DC. X.

Quia vero, non solum Typis vulgata, verum et pro suggestu propalam, enucleateque denunciata, et basilicarum valvis appensa fuit hæc Illustriss: Præsulis contradictio; movit bilem cerebrosis, cervicosisque Prædicabulis, veterascentis, et iam triennalia celebrantis libertatis voluptabili adorea vernantibus; ac nudatim, velut ad commune incendium restinguendum, accurrentes, hi plaustra convitiorum, situlas ac siphones petulantissimæ maledicentiae alii, responsionem nonnulla verisimilitudinis cerussa ac purpurisso fucatam pauci, meditari. Demum, longo puerperio Apologiam elumbem, pædore ac illuvie squallidam, succi sanguinisque expertem, sola densissimæ ignorantiae nube fuscata, solis turgidam minatiis, viscatis tinctam pellaciis, vulgaribus denique e trivio convitiis prægnantem, protruserunt. Atque ut securius sub clypeo Martis latitarent Attendentes, quia Veritatis radios, ac penetrabile telum, adverso pectore excipere se posse desperabant; eorum nomine brutæ scriptio appenderunt, quorum se umbra, tutos ab omni Catholicæ scriptio vanissime augurabantur.

Hanc ego Apologiam Prædicanticam, ad Lydium Veritatis lapidem revocare, multisque ac magnis errorum, ac vanitatum anfractibus scabram, ad asciam dedolare, Deo duce, aggredior.

Elenchus Capitum.

Et Primo quidem, Superintendentes novos, ipso suæ electionis exordio, Augustanæ confessionis decreta, quibus iureiurando sua capita devoverant, violasse, palam faciam.

Secundo: Illegitimam, ac prorsus nullam esse Novorum Superattendentium cæterorumque ab iis proseminatorum Ministellorum Vocationem, luce hac meridiana clarius commonstrabo.

Tertio: Rectissime ab Illustriss: Cardinali dictum fuisse docebo, unica Libri Concordiæ approbatione, ad quam Superattendentes adstringuntur, plurimis errorum portentis, animas suas devovisse, novos Archimystas.

Quarto: Comprobabo, Divinis, ac Humanis legibus obluctari Prædicantes, cum census Cathedraticos, ac dignitatem fori Ecclesiastici, etc. ad se derivant.

Quinto demum: nihil ab Illustriss: Cardinali, contra publicas Regni constitutiones patratum esse, cum obviam ire præsumptioni Prædicanticæ non intermisit, luculentis argumentis testatum reddam.

Porro a colubri linguis, viperæ dentibus, omnis celsioris animi adrosoribus, convitia in Illustriss: Cardinalem velut missilia sparsa, idcirco tacitus prætereo, quod et ad criminaciones iam occalluimus, et Lunam non lædi pleno rictu latrantium canum, aut quoaxantium ranarum incondito sono, usu ipso condocefacti sumus: Nec aliud ab Eutrapelia Prædicantica exspectamus, quam lœvigatoras lœdorias, quibus Præpositorum Ecclesiæ gloriam, malevolentissime diminutum eunt; adeoque apud nos, species quædam dedecoris censemur, si Prælatus quispiam bene a Prædicantibus audiat.

Caput II.

AUGUSTANA CONFESSIO ABSENTIENTE, ELECTI A CAETERIS ABROGATIS MINISTRIS, SUPERATTEN- DENTES.

Non is animus, non ea mens fuit Illustriss: Cardinalis, ut in edicto Pastorali longas texeret disputationes, ac toties damnatam ablepsiam refelleret: sed solum ut lupis grassantibus obviam iret; periculique; denuntiatione, oviculas suas, quas abiugare satagunt Prædicantes, adjudicaret. Ne tamen rerum imperitis, temere facta videri posset, contradictio, velut intento digito ostendit potius fontes argumentorum, quam pleno alveo deduxit, quibus obrui scintilla novitatis possit: Ac tali imprimis argumentatione rem ipsam convicit.

Augustana confessio, semel, iterumque libera voce profitetur, ab Ecclesia Catholica, et Romana, non dissidere suas Ecclesias in articulis fidei, in doctrina, in ceremoniis: tantum novos contra Canones, sine certa autoritate, præter consuetudinem sæculorum, vitio temporum receptos abusus omittere:

Atqui Episcoporum Ordinationem sine consensu Metropolitani, sine Episcopali ministerio, invalidam, penitus nullam esse, nec novum est, nec contra Canones, nec sine certa autoritate receptum;

Ordinationem igitur Episcoporum, sine consensu Metropolitani, sine Episcoporum Ministerio factam, invalidam esse, Augustana confessio recipit. Et (quod huic annexitur) eos quoque recipere, si periuri non sunt, qui Confessionis Augustanæ placitis amplectendis sacramenti Religione sunt mancipati, ut mancipatos esse in Solnensi coitione Superattendentes iam audivimus.

Propositionem huius Apodixis, probavit succincte Illustriss:

Confess. Aug. Cardinalis, ex ipsis Augustanæ Confessionis verbis, quæ sic habent: Artic. 21. initio. *Hæc fere summa est doctrine apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scripturis nota est: sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesiam irrepserunt cum Ecclesiæ apud nos, de nullo fidei Articulo dissentiant ab Ecclesia Catholica; tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, et contra voluntatem Canonum, vicio temporum recepti.*

Ibid. De potest. Et rursum: *Non petunt Ecclesiæ, ut Episcopi honoris sui Ecclesiæ in iactura sarciant concordiam: tantum petunt, ut iniusta onera remittant, quæ nova sunt, et præter consuetudinem Ecclesiæ Catholice recepta.*

In Epilogo Confessionis. Denique paullum inferius: *Intelligi potest, in doctrina, et cœremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Ecclesiam Catholicam.* Quod si novos tantum, et Canonibus contrarios abusus tollunt; si tantum nova, et præter consuetudinem Ecclesiæ recepta remitti volunt: Ergo cætera, quæ Canones antiqui, quæ recepta Ecclesiæ consuetudo approbat, confessio itidem Augustana comprobat, ut ex iis, quæ de exclusiarum particularum energia a Dialecticis traduntur, clarissime deducitur.

Iam vero, Assumptio Demonstrationis evidentissimæ, adeo manifesta est, ut ipsa impudentia eam inficiari non audeat. Nam et veteres Canones sanciunt, et postquam Apostolico ministerio Ecclesiæ sunt constitutæ, usus perpetuus obtinuit, ne unquam Episcopi, nisi ab Episcopis ordinarentur. Audi Canonem vetustissimi, et sacrosancti Concilii Nicæni, cuius valido ictu Arius iugulatus iacet: *Episcopus non minus quam a tribus Episcopis ordinatur; ita tamen, ut Metropolitani Episcopi autoritas habeatur; absque quo Ordinatio sit irrita.* Idem habet Canon primus Apostolorum: Et Concilii Carthaginensis secundi, tertii, quarti, sanctiones. Recte igitur concludimus, Superintendentes nuper admodum exclusos, etiamnum implumes, ac tenellos, non solum in Nicænam Synodus, in cuius verba minime iurarunt, sed in ipsam quoque Augustanam Confessionem impingere, cui docendæ, ac credendæ, animas suas (*Infelicia capita!*) devoverunt sacramento.

Quid ad hos tam claros, tam sua luce rutilantes veritatis radios Prædicantes? Digna Evangelio Lutherano, digna fascibus novi Magistratus omnia; summatim Tria.

Primo respondent: *Ingenue respondemus.* Bonum factum, quod

tam ingenuatos vos esse præmonuistis, alioquin vi argumentorum expressam hanc a vobis responsonem cogitassemus. Pergite porro feliciter : *Omnino Episcopum ab Episcopo ordinari par erat, iuxta Concilii Nicæni dispositionem; si modo veri et orthodoxi Episcopi haberentur: At ubi tales desiderantur, licet Ecclesiæ, tanquam Matri-familias in dano Dei, cui claves Christus commisit, creare Episco-pos.* Nec multis interiectis, subnectunt: *Canon itaque Nicænus, dum vult Episcopum ab aliis Episcopis consecrari, loquitur de eo Eccle-siæ statu, quando veri, et orthodoxi Episcopi habentur; Non autem quando tales desiderantur. In hoc enim casu, licet Ecclesiæ, novum presbyterium constituere.* Atque hoc ut exemplis evincant, laciniō-sam disputationem ita prosequuntur. *Timotheum et Titum Apostoli consecrarunt, non ad Pontifices Iudæorum ablegarunt. Moyses Ere-Ruffin. lib. 16.*
mita, postulatus in Episcopum, noluit se a Lucio Episcopo, hoste c. 6. 2. Paral.
Religionis orthodoxæ, ordinari; sed ab orthodoxis. Iosaphat, Ponti-ficibus cessantibus, ministeria constituit. Tandem, velut re bene gesta, pleni lætitiis concludunt: *Satis evidenter iam probatum esse, ordinationem novorum Superattendentium, prorsus cum Aposto-lica convenire.* Apinæ, tricæque sacerdarum Novi Evangelii, quas nemo nisi impos animi suspiciat.

Ruffin. lib. 16.
c. 6. 2. Paral.
17. n. 19.

Miseret me vestri, Prædicantes, quod tam pueriliter in re seria luditis, ac miseram plebeculam deluditis; quod acerato luto, non solidis cæmentitiisque substructionibus inædificetis. Et, ut vos ipsi manibus vestrum contrectetis stuporem, latebrasque has vestras occlusas intelligatis; Quatuor a vobis quæro: ad quæ, ut absque ter-giversatione, involucrisque verborum respondeatis, etiam atque etiam rogatas dignitates vestras volo, Prædicantes Superattendantissimi.

Primo, scire libet: An ideo licere vobis arbitramini, Nicænæ Synodi decreta convellere, quod nulli usquam veri Episcopi fuerint, antequam Solnæ designarentur? An potius, quod Solnæ, quod in Ungaria, nulli fuerint? Si primum vultis; Fatemini igitur, nec apud Calvinistas, charissima vobis et contesserata capita; nec Wittembergæ; nec Brigæ, veros fuisse Superattendentes, qui Ministrorum legitimos creare possent. Et, quod huic annexum est, datis illud quoque: Vos, qui antea Brigæ, qui Wittembergæ initiabamini, absque ulla verorum Superattendentium ordinatione, in Ecclesias irrupisse; ideoque profanos, mere laicos huc usque fuisse, ace-phalos fuisse, populo imposuisse, nullum ex iis Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, rectius administrasse, quam si delirantis

aniculæ, vel suarii Corydonis auspiciis, ad functiones Ecclesiasticas accessissetis. Hæc enim omnia recte consequuntur, si nulli uspiam veri fuere Superattendentes, sed ad peragendas Ministerum ordinationes, nunc primum Solnæ denuntiari debuerunt. Denique illud concedendum erit; Nullam ante Solnensem coitionem fuisse Christi Ecclesiam, ex ipsis enim Divinæ legis oraculis, clarissimaque Apostoli Pauli testificatione demonstrabimus; nun-

Inferius cap. 3. quam seriem sibi succedentium Pastorum interpolari, nunquam in Argum. 1.

Ecclesiam Pastoribus viduari potuisse. Et o infelicem Ecclesiam, quam nisi Pastoribus Solna ditaret, æternis sepulta tenebris contabesceret! O grande robur, portis inferorum non vincendæ columnæ Veritatis, quam tot sæculorum error interpolavit; et nisi sterilissimis montium sepimentis occlusi Prædicantes restitutam irent, grex sine Pastore, per devia et inamoena tesqua errare æternum cogerebatur! O dignitatem Religionis Christianæ singularem, quæ tot iam sæculis, solito Dei favore defœta, vel morbo, vel vetustate deflorerat! Et nisi e Lutheri, Calvini, cæterorumque orbis retrimentorum pegmate, Pharos cælestis sapientiæ illuxisset, santicis tenebris obrutus orbis iacuisset! O fungos! o blennos, ac bards, vetera illa orbis lumina, Iustinos, Athanasios, Hilarios, Hieronymos, aliosque numero inexplicabili, Viros sanctissimos æque ac doctissimos, qui licet cæcos perluminarent, expiarent dæmoniacos, leprosos emacularent, mortuos redanimarent, Scripturarum tamen primogenium sensum nesciverunt, imo ab Apostolorum quasi convictu, primordialis verbi ac sensus falsarii fuere, ad eum Veritatis splendorem defioculi lippierunt, quem Prædicantes per solos steriles Grammaticæ campos rare sparsi, et ad oculorum decipulam ostentantes ementitæ eruditionis tenuissimam suppellectilem, irretortis oculis contuentur! Qui hæc talia somniantum nugamenta suspicit ac suscipit externavit; frustra lumen veritatis huic offeras, qui ut noctua ad solis radios, cæcutit ad Veritatis clarissimum splendorem.

Sin vero idquod secundo loco posui, adlubescat; ideoque vos contra Nicænæ Synodi sanctiones elegisse dicitis Attendentes, quod nulli tunc Solnæ, nulli in Hungaria veri Episcopi fuerint: Amabo, cur non eodem iure Ministros antea ordinastis? Cur sine Superattendentibus non initias? Cur Brigam, cur Wittembergam *magnis sumptibus, magna Religionis, ac gentis Hungaricæ iniuria, amandastis*, quos Ministros recepistis? Forte an cætus vester Superattendentes creare potest, Ministros non potest? An conferre sumnum

Magistratum Mimallones creandi potest, sacris imbuere ministeriis non potest? Aut par erat, per tot terrarum tractus Brigam Ministerii, adeundi causa proficisci, et indignum existimastis eodem pergere, ut delecta capita albo Superattendentium adscriberentur? Ita vos semper percolatis initio culices, qui postea glutitis et camelos.

Secundo: Sint vera omnia quæ adfertis, hoc est, nusquam in orbe fuerint veri Episcopi, ante diem XXIX. Mart: anni decurrentis; ipsaque a vobis memorata exempla eo spectent, quo torquetis: Ecqua tandem ratione id consequens erit quod ampullamini, et iactuose tricamini, *Evidenter probatum esse, prorsus cum Apostolica convenire*, ordinationem vestram? Hæresiarchæ ceriti omnes, Pseudo-prophetæ omnes, omnibus retro sæculis hæc ipsa iactarunt: defuisse veros Ecclesiæ Pastores; a Deo se novos torres excitatos, qui cælesti facula glaucoma cæcutientium depellerent: Hæc Calvinus, Memno, Blandrata, hæc cæteri hodieque Enthusiastæ, iisdem verbis, eadem qua vos probabilitate occinent; obrussam anilium persuasiuncularum suarum, sacris mysticisque libris reseratam veritatem, dicent; impudentiam, temeritatemque vestram ridebunt, quod usurpare audeatis propria, hæreditaria ipsorum ornamenta. Et tamen, si Superattendentes Calviniani a Deo delecti ac missi sunt; Lutherani a Deo non sunt, quippe qui adversa inter se fronte sic arietant, ut procul spectantibus, mixtum miseratione spectaculum exhibeant. Cum ergo eodem utriusque argumento suam temeritatem obuelent, defectumque legitimorum Episcoporum pleno ore crepent, nec maiori tamen iure hi, quam illi, hoc se clypeo contegant; utriusque perdicum instar, dum oculos texere suos, undique se tectos, vanissime arbitrantur.

Tertio. Advocate omnes ingenii vires, nervos intendite, veternum exutite Prædicantes, illudque clare sine ambagibus enucleate, quomodo vestram hanc respositionem, Augustanæ Confessionis verbis adaptetis? Audistis quæ paullo ante vestris auribus Confessio submurmuravit: Episcoporum qui eo tempore erant, et quibus similes hodieque sunt in Ecclesia, *honoris iacturam facere*, Augustanam Confessionem, *nolle*, hoc solum agere, *ut nova, et præter Ecclesiæ consuetudinem recepta, remittantur*. Id si verum est, (ut verum esse adstruxere Prædicantes, cum se Sacramento obstrinxerunt Confessioni) nemini dubium esse potest, male Prædicantes adimere Episcopis honorem, quem Nicæna decreta illis deferunt. Sic igitur dum vitabundi Charybdim evadere laborant, in Scyllam incident.

Confess. Aug
Art. 21

Quarto demum, ac postremo; disertim edicite, fungos an canticos nos rebamini, cum tam ridiculis, tam a vero abludentibus probationum fumis oculos nostros cæcare cogitastis? Deum immortalem! qualis illa est larva argumenti? *Titum et Timotheum Apostoli elegerunt ad Episcopatum, non ablegaverunt ad Iudæorum Pontifices.* Bellatulum, pulchrum, lucernam olet, demorsos sapit unguis hæc subtilitas. Sed quid inde porro? Pergite: Audiemus. *Evidenter ergo probatum est, Solnensem ordinationem cum Apostolica congruere.* Subtile proh Superi! ad cotem et aciale limatum telum! Dignum acumine Superattendico, quodlibet ex quolibet extundente. Verbo respondeo, Nego consequentiam, falsam, nullo nexu cohærentem promissis, nulla verisimilitudinis specie fucatam. Et si quid hæc argumentatio probat, peræque Mahometis Muftios, Calvinisticos stentoras, Arianos locutuleios lingulacas, ritu Apostolico initiatos ostendit. Ita igitur concludere debueratis bamballiones: Nusquam in Actis Apostolicis, nusquam in monumentis Historiarum, ab aliis consecratos legimus Episcopos, Apostolorum successores, quam ab Apostolis et eorum succedaneis Episcopis. Ergo exemplo Apostolicæ Ecclesiæ arcentur minorum gentium Ministelli, ne in alienam functionem se immittant; ne profanæ manus attactu umbratiles Episcopos deludant, si vindicem Dei dexteram experiri nolint cum Ozia, qui statim ac in Sacerdotum officium sese temerarius ingessit, foeda totius corporis vitiligine deturpatus, regno, vitaque exutus, oppetiit. Apostolos igitur, quos Vivifica Spiritus aura, meliori igne purgatos, Ecclesiæ Pastores destinarat, ad Iudæorum Mystas ablegare, opus non fuit. Nam umbras, adventu lucis eliminandas; mysticæ functionis potestatem, legalium sacrificiorum administris, diviniore Christi Sacerdotio abrogandam; Deo docente didicimus: Apostolorum vero vocacionem, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed vere admirandis supra naturæ leges patratis operibus, Deus ipse testamat reddidit. Simile quid Prædicantes, in probosæ suæ novitatis attestacionem comminiscantur; et en paratam gerimus, quam porriganamus victoribus herbam.

Quid hic extra liram ac oleas deprehensi Prædicantes? Exanguis colore, tertiana verba substrepunt: *Ruffinus testis est, inquiunt, Moysen Eremitam sanctissimum, noluisse ab Episcopo hæretico ordinari, sed ab Orthodoxis, quos ipse in exilium egerat.* Nugacissima nugalia nugivendulorum. Sextum decimum librum Historiarum

2. Paral. 26. v. 19. experiri nolint cum Ozia, qui statim ac in Sacerdotum officium sese temerarius ingessit, foeda totius corporis vitiligine deturpatus, regno, vitaque exutus, oppetiit. Apostolos igitur, quos Vivifica Spiritus aura, meliori igne purgatos, Ecclesiæ Pastores destinarat, ad Iudæorum Mystas ablegare, opus non fuit. Nam umbras, adventu lucis eliminandas; mysticæ functionis potestatem, legalium sacrificiorum administris, diviniore Christi Sacerdotio abrogandam; Deo docente didicimus: Apostolorum vero vocacionem, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed vere admirandis supra naturæ leges patratis operibus, Deus ipse testamat reddidit. Simile quid Prædicantes, in probosæ suæ novitatis attestacionem comminiscantur; et en paratam gerimus, quam porriganamus victoribus herbam.

Ruffini notant in margine. Pape! quid audio? Supinum me antiquarium, qui Plures duobus de historia Ecclesiastica libros Ruffini non aspexi. Næ vos felices Prædicantes polyhistores, qui veteribus in membranis, a blattis oculatos Ruffini tam numerosos libros, nuper admodum reperistis! Beate nos tanto bono, ac novitios hosce libros, in publicam lucem date. Sed quia edentulo vetustate temeto concalefactum fuit opinor cerebrum Prædicantium, cum Apologiam cuderent, ideo veniabilis hic error esto. Illud impudentissimæ frontis fuit, sic abuti contra conscientiam Ruffini testimonio, quasi is Moysen eremicolam non ab Episcopis, sed a promiscua plebe Archimystam sacratum dicat: et tamen Ruffinus disertim scribit; noluisse quidem Moysen a Lucio hæretico ordinari; *Sacerdotium* tamen, *ab Episcopis quos in exilium truserat Lucius, sumpsisse*. Idipsum Theodoreus scribit; Iussum scilicet a Iulio, ut *ad alios Episcopos deduceretur, quos ipse postulasset. Tum suscepta Pontificali gratia, Apostolica doctrina, ac miraculis, ad veritatis viam deduxisse Ismaëlitas*. Hic, si ullus adhuc abditus pudor fibris, erubescens technas suas, qui depuduisse videbantur, sufflati nova dignitate Prædicantes. Vos vero, Viri Nobiles, etiam atque etiam dispicite, quibus animas vestras ducibus itineris concredidistis; iis nempe, qui in re patenti, ac clara, tanta confidentia mentiuntur.

Gemella huic et illa accenseri debet impudentia, quod *Iosaphat Pontifices ac Sacerdotes constituisse*, scribillant, veridici per antiphrasin, Prædicantes; idque ex 2. Paralip. 17. v. 19. comprobant: Cum tamen nec eo versiculo, nec toto illo capite, ulla Pontificis creati mentio habeatur: sed Sacerdotes ac Levitas a pio Rege, una cum viris principibus missos, per varias Iudææ urbes, Scriptura docet, qui populum ad omnem pietatem informarent. Et tamen subsulant Prædicantes, quasi memoratis exemplorum deflorationibus evicerint, licuisse ipsis, novum Presbyterium adornare. Fateor, si mendaciis, si ad rem non spectantibus, si falsis ac depravatis historiis evinci aliquid potest, evicistis, nihil sub isto cœli fornice, nihil in hac terræ pila, nihil in hoc orbis universi cavædio, Prædicantica fronte inverecundius reperiri.

Secundo respondent, ac post epotas noctes, vulpinantur meribulas affanias Prædicantes: Mandato Dei se perurgeri, ut novum presbyterium constituant, secessionem ab Episcopis faciant. *Iubemur enim, aiunt, cavere falsos Prophetas ovilla veste larvatos; et egredi e spirituali Babylone, nec sugum ducere cum infidelibus; quin potius*

*Nota.
Ruffin. lib. 2
cap. 6.*

Theodoret.

lib. 4. cap. 23.

ab illis separari. Atque hic abrumpunt Prædicantes balbe contextum orationis filum, pudore, opinor, manum cohibente. Quæ enim est ista, Deus bone! argumentatio? Iubemur vitare falsos Prophetas; ergo contra Nicæna decreta, contra Augustanæ Confessionis iure-iurando adstructam professionem, licet Episcopos a non Episcopis ordinari? Hoc ipso Argumento calvitur a Dipsade Calviniana plebs imperita, cum sessionis a Luthero factæ causas pertexit. Non absimili vanitate argutatur vipera Ariana, matrum viscera consancians, Calvini castra deserens. Communia igitur cum sint ista, et contra vos, et pro vobis arma; missa nunc illa faciamus, in vestigio quo semel pedem fiximus, depugnemus, præsertim, cum pro vobis, non nisi contorta, et in perversum sensum deflexe serviant, illa monentis Christi Domini sacrata verba. Sed ad triarios deventum; Itaque

Tertio respondent: *Confessionem Augustanam, ritus ordinacionum, inter eas res referre, quibus vitio temporum abusus accesserunt: quorum nonnullos recensem, ut quod Episcopi nullos recipient, nisi iurent, se puram Evangelii doctrinam nolle docere.* Verum, quo hæc tergiversatio, vix ut evannetur digna, spectet, haud intelligo, nisi forte ut Augustanæ confessionis turpissimam Antilogiam, putidumque mendacium nobis proponat. Quid enim est a seipsa dissidere, secum bella gerere, si hoc non est? *Augustanas Ecclesias, tantum in paucis abusibus, non in fidei articulis dissidere a Romana Ecclesia:* Et tamen, *Romanæ Ecclesiæ Episcopos, neminem recipere, nisi qui iuret, se puram Evangelii doctrinam nolle docere.* Si is qui puram Evangelii doctrinam non docet, per omnia in rebus fidei, cum eo conspirare potest, qui (suo saltem iudicio) putum Dei verbum deprædicat; fatebor, nullam in his Augustanæ Confusionis effatis inesse Antilogiam. Deinde vero, Deum appello, ac tremendum eius tribunal, cui sistimur in Exodo vitæ, mentiri Confessionem, cum *neminem ab Episcopis recipi ait, nisi qui puram Evangelii doctrinam abneget.* Quin et ipsa confessio mentiri se non abnuit hæc blasphemiarum portenta devomendo; siquidem alibi, tantum in abusibus, non in rebus fidei, dissidere se ait a Romana Ecclesia.

Sed, emedullemus pedepressim, quo tandem hæc Apologiæ responsio (verius labyrinthum dixeris) pertineat. Dixerant Prædicantes, ex decretis Nicænis, Episcopum ab Episcopo ordinandum esse, nec ausi sunt aperta fronte Canonis huius præscriptum, abusibus accensere, ne, et Augustanæ confessioni obluctari, et

Sacramentum violare viderentur; longiori itaque circuitu, quasi per occultos cuniculos evertunt, quod palam demoliri reformidant. Et quoniam incredibile Prædicantibus ipsis videbatur, ita homines obbrutuisse, ut sibi persuadeant, nullos ante Solnensem conventum fuisse Episcopos; ideoque, oportuisse a promiscua Prædicantium colluvione, hierarchiam Ecclesiasticam prorsus collutilatam, pristino nitore redornari; Hæc causa est, cur nunc vafra calliditate obvolutis fraudibus, tecte, inter abusus ponant eum ritum, quem Nicæna Synodus in Episcopali inauguratione servandum sanxit, ne scilicet ordinatio, aut Metropolitano non annuente, aut Episcopali ministerio non adhibito, peragi possit. Ita enim Prædicantes Apologiæ fabros, familiari, ac quasi domestico sermone alloqui lubet: Cum ritus quosdam Episcopalis ordinationis, ab Augustana Confessione reprobari docetis; eosne expungi arbitramini, qui Canonibus Nicænis, qui usu Ecclesiæ comprobati sunt? an alios? Si alios: Nihil ad rem de qua agitur, responsio facit: nunc enim id unum contendimus, Ordinationem vestrorum Superattendentium irritam, evanidamque fuisse, ipsius Augustanæ Confessionis iudicio, cum, ut crebrius iam diximus, solos abusus Canonibus veteris Ecclesiæ contrarios reiicere se fateatur iurata vobis Confessio.

Quod si hunc quoque Nicæni Concilii Canonem, quo ritus ordinandorum præscribitur, tanquam a primævo Ecclesiæ flore degenerantem scoriam, conspuunt Prædicantes; mentiuntur, cum se novos tantum, Canonibus adversos abusus aspernari, in Augustanæ Confessionis professione peierant. En Rhodus. En saltus, Prædicantes.

Caput III.

PRAEDICANTES, SINE LEGITIMA VOCATIONE, ULTRONEA ARROGANTIA, IN ECCLESIAM IRREPSISSE, PROFANOS ESSE.

Bene sit vobis, Prædicantes, quod ultro mihi aditum patet fecistis ad eam disputationem, quæ una vestræ falsitatis facem præferre orbi potest. Dixerat Illustriss: Cardinalis: ex ipsis Augustanæ Confessionis placitis, antiquas Ecclesiæ consuetudines, sacrisque Canonibus sancitas leges, approbantis, liquere; Novos Superattendentes, contra Nicænos Canones renuntiatos, falso nomi-

natos Episcopos esse : Ideoque legitimas ab eis Ministrorum ordinationes fieri non posse ; nec ab illis, quos initiarunt, ullum Sacramentum ex iis, qui ordinationem requirunt, rite ac ex ordine, salutariterque administrari.

Tria hic quoque ganniantur Triumviri.

Primo respondent : *Hoc consequens ex falso præsuppositis, non nisi falsum esse potest.* Ha, quanta vis doctrinæ, ac reconditionis Dialecticæ ! Evigoratæ mentis, emedullati capitum ignorantissimæ strophæ. Si ad puerilia conquiniscere non erubescitis, Prædicantes, licet ipsa Logicæ rudimenta versantibus retrosiores videamini, meminisse tamen potestis, unam inter Syllogismi facultates illam ab Aristotele percenseri, quod verum quandoque ex falso inferat. Experimentum capite : *Omnis caudex Theologiæ gnarus est : Omnes quos Solna nuper dedit Attendentes, sunt caudices ; Ergo omnes Solnæ proseminati Superattendentes, gnari sunt Theologice.* Consequens hoc verum esse, vos fatemini. Ego (do hoc amori vestro) non abnuo et tamen Præmissas falsas esse, nemo non videt. Sed spinosa hæc missa facio : illud dico ; Præsupposita, seu. Præmissas ab Illustriss : Cardinali memoratas, verissimas esse, iam capite præcedenti commonstravimus. Audete aliquid contra hiscere.

Secundo respondent : *Baptismus verus et efficax administratur a Prædicantibus, qui Pontificiæ ordinationis non sunt. Si in uno Sacramento ministerium nostrum efficax est, cur non in altero ? in Absolutione ? in Sacramento altaris ? Constat certe, tam in Baptismo, quam in Cœna Domini remissionem peccatorum, iustitiam-*

Luth. de Capiti-
vit. Babylon c.
de Baptismo.

que conferri. Legeram compluries apud Lutherum, hæc ipsa verba ; *Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest ; sed fides.* Et id necessario dici debere intelligebam, ab iis qui sola fide apprehendi, et imputari volunt iustitiam Christi hominibus. Nunc, quid Novitii Superattendentes novare moliantur, non video. A Luthero ipsos dissidere video. Sed celero, et carptim hæc vellico, ut ad ea, in quibus cardo vertitur, deveniamus. At at, quæ (malum !) ista rerum Ecclesiasticarum supina ignoratio ? An nesciunt Prædicantes, Baptismum etiam ab hæreticis collatum, validum esse, iterandum non esse, totius Christiani orbis assensione comprobatum fuisse, postquam ea res in dubium deducta a D. Cypriano Martyro fuisse ? Et quis adeo rudis in Christianitate, qui id nesciat,

Calv. lib. 4.
c. 15. nu. 20.

quod Calvinus ipse disertim adstruit, ab ipsis inde Ecclesiæ cunabulis, usu receptum fuisse, ut si Minister in tempore non adesset,

quilibet e promiscua Laicorum turba, vere baptizaret? Hoc Augustinus lib. 2. contra literas Parmeniani, cap. 13. Hoc Hieronymus, Hieron. contra hoc Tertullianus, hoc cæteri primævæ Ecclesiæ antisignani, hoc Luciferianos perpetuus Ecclesiæ usus, ex quo ipsum etiam Scripturæ Canonem c. 4. Tertull. de Baptismo. c. 17. hausimus, comprobant; ut mirari satis nequeam, quod in his talibus noctuent exoculata præcordia Superattendentium.

Fatemur igitur, Ministros exedræ Lutheranæ, et podii Calviniani, qui æque ac cæteri de plebe Laici sunt, si aquam naturalem adhibeant; si, quod Christus instituit, id agere intendant; si in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizent; verum ac legitimum Sacramentum Baptismi administrare. Nec solis Ministris, sed ubi necessitas exigit, cæteris quoque hoc ipsum damus. Imo vos ipsi quoque datis; siquidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, nulla legitima vocatione subnixos, ideoque mere laicos arbitramini: et tamen eos, quos ipsi tinxere, Anabaptistica impietate rebaptizare non audetis.

Iam igitur, si vestra hæc argumentandi formula apta est, et efficax; agite, hunc in modum concludite: *In Sacramento Baptismi, ministerium Romanorum Sacerdotum efficax est; Ergo et in aliis Sacramentis; in Cœna Domini; in Absolutione, etc.* Aut, si lubet, licebit et sic argutari: *Si urgens, et quæ moram non fert necessitas cogat, fas est cuilibet de plebe, privatim tingere infan tem; Quilibet igitur, et Eucharistiam, et Absolutionis Sacramentum administrare poterit.* Et quin hucusque felicibus Euris proiecti estis; Agite, cum acutissimo vestro duce, sic concludite: *Probemus omnes Christianos ex æquo Sacerdotes esse. Sunt autem Sacerdotalia officia ferme hæc: Docere, Prædicare verbum Dei, Baptizare, Consecrare Eucharistiam, Ministrare, Ligare, Solvere, Orare pro aliis, Sacrificare, Iudicare de omnium doctrinis et spiritibus: Primum vero et summum est, docere Verbum Dei, proinde cui cunque Verbum concesserimus, huic plane nihil negare possumus, quod ad Sacerdotem pertinet. Primum igitur officium, nempe Verbi ministerium, commune est omnibus Christianis. Id probat Christus, cum in cœna novissima omnibus dicit, Hoc facite in meam commemorationem. At ea commemoratio aliud non est, quam predicare verbum.* Acutissimæ, Chrysippo dignæ subtilitates. Quis Cato ad hæc nugalia, non quicquid habet domi cachinnorum, profundat? Pegite Superattendentes, bonis avibus. Si hunc quem cæpistis, insistis gradum, si paullulum adhuc annitimini; vel ego fallor

Luther. tom. 2.
Lat. Wittem.
An. 1546. per
Lufft. lib ad
Bohemos, de
Sacerd. instit.
fol. 395.

plurimum, vel anomalia hac vestra, omnem Ecclesiastici ordinis eutaxiam, eversum ibitis. Uno igitur verbo concludo: Recte Illustriss: Cardinalis dixit; ex iis Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, nullum a vobis legitime administrari, ut ex iam dictis intelligi, et ex iis quæ de vestra vocatione dicturi sumus, valide comprobari potest: Male vos argumentari, ab eo Sacramento, quod absque ulla ordinatione valide (quamvis non semper licite) a laicis conferre potest, ad cætera Sacra menta, quæ Sacerdotibus administranda committuntur.

Tertio, Auctarium congiario adiiciunt; *ut ex superabundanti aliquid addamus*, inquiunt Superattendentes, *nos ex verbo Dei certi sumus, quod Mandatum Dei et Vocatione, faciant legitimum Ministerium*. Demiror hanc superabundantiam vestram, Prædicantes. Par est tamen, ut apud Superattendentes, nihil nisi Superabundans, Supereffluens, Superfluum, Superlativum, inveniatur. Sed heus, Prædicantes; quid agitis? Amphora cœpit institui, currente rota urceus exiit. Ex superabundanti probare vultis, legitimam esse vocationem vestram. Probationis loco, hoc assumitis: *Dei Mandatum ac Vocatione, faciunt legitimum Ministerium*. Bene ad rem aptissime. Pergite qui inde? subsumite. Tacetis? nihil deinde subsumitis? Credo equidem, pudor interclusit fauces, ne quod in Minore erat ponendum, efferretis; Hoc nimirum: *Sed nos, Dei gratia, Solnensos Superattendentes, et cætera turba Ministeriorum, Mandato et Vocatione Dei exciti sumus; Ergo legitimum Ministerium habemus: Et Sacra menta, quæ ordinationem requirunt, rite administramus*. Hæc profecto, ad rem omnis necessaria erant hic gradus figendus erat. Sed ut video, in sola vanitate superabundant Prædicantes, deficiunt in necessariis.

Tria argumenta vanitatis novi ministerii novatorum.

Quia diffisi caussæ, in ea re, in qua plurimum operæ ac studii ponere debuerant Prædicantes, ut pisces muti hærent; nec ullum Vocationis suæ indicium adferunt: ut gratum faciam, monstrabo luce hac æstiva clarius, Lutheranos et Calvinianos clamatores, a Deo missos non esse; ultronea temeritate in Ecclesiam irruisse; docendi munus temere usurpassee. Quod priusquam facio, paucis mihi, Lector optime, monendus es.

Scias igitur, hanc unam esse ex iis rebus, quæ vel sola recte discussa, omnes errorum tenebras dispellere, omnia novarum opinionum firmamenta demoliri possit; et cuius cognitio, præ cæteris propemodum omnibus controversiarum partibus, utilem ac necessariam habet disquisitionem. Dei enim mandato omnes adstringi-Ephes. 4. v. 11.
 mur, ut Pastorum, ac a Deo constitutorum ad Ecclesiæ gubernacula rectorum magisterio, aures accomodemus, si circumferri-Heb. 13. v. 17.
 inutilium doctrinarum ventis nolumus. Obedire ac subiacere illis; Joan. 10 v. 3.
 ut oves Pastorum vocibus obsecundare; facere quæ præscribunt; Matth. 23. v. 2.
 legem ab ore illorum requirere, non uno loco iubemur. Cum enim Malach. 2 v. 7.
 humani ingenii imbecillitas caliget ad cælestia, maiorique mortali-2. Paral. 19.
 um parti, non tantum otii ab occupationibus, non tantum præsidii sit ab intelligendi vivacitate, ut pervidere omnia, ac exortos spinosiorum disputationum anfractus perlustrare diiudicareque v. 10.
 possit, saluberrime Divina providentia Pastores ac itineris duces ordinavit, eorumque ductum ac magisterium sequi iussit, si tuti, Matth. 7. v. 15.
 si periculis errorum exempti esse volumus. Quocirca in id curam Actor. 20. v. 28.
 omnem industriamque conferendam, gravissimis verbis præcepit 2. Corinth. 11
 salutis nostræ assertor Christus Dominus, ut lupos a Pastoribus, v. 13.
 Sathanæ ministros in Angelos sese transformantes, a Christi ser-
 vis secernamus; Pastoribus adhærescamus; lupos omni contentione devitemus.

Age igitur, mantissam hanc adiiciamus; clarissimisque et ad vulgi captum evidentissimis argumentorum firmamentis, quanta maxima fieri potest brevitate, comprobemus: Nec Solnenses Superattendentes, nec ullos Ministros Lutheranos, a Christo destinatos esse Pastores Ecclesiæ.

Primum argumentum: Post fundatam a Christo Domino, atque inter Gentes propagatam Ecclesiam, nullum Ministerium est verum, ac Divina vocatione subnixum, quod ab Apostolorum temporibus, continua sibi succedentium Ministrorum serie, non perennavit:

Atqui, ut Lutherus ipse transfuga, cordus fuit, sic Ministerii Lutherani corporatura, nupera est, nec succedaneis semper fulsit Pastoribus; Ministerium itaque Lutheranum nec verum, nec Divina vocatione subnixum est.

Propositio argumenti, clarissimis sacræ Scripturæ verbis expressa legitur. Paulus enim Apostolus a Christo datos Ecclesiæ Ephes. 4. v. 12.
 Doctores ac Pastores, inquit, in ædificationem corporis mystici, ad

consummationem Sanctorum, donec omnes occurramus in virum perfectum Christo, et horum ministerio, defendi fideles, ne turbine opinationum humanarum in devia raptentur. Ubi Calvinus; *Vide-*
Calvi. lib. 4. *Instit. c. 1 num.* *5.Rom.10.v.15.* *mus, ait, omnes ad unum, cogi in eum ordinem, ut mansueto ac docili spiritu regendos se doctoribus in hunc usum creatis, permittant.* Idem ipse Vas electionis, alio in loco palam edicit; Fidem non aliter ortum, progressumque suum habere posse, quam si a Pastoribus divinitus missis, docendo propagetur.

Quod si igitur bonum semen fidei a Christo sparsum, defragatione fœturaque exinaniri non potest, sed crescere usque ad messem debet; si nullæ unquam inferorum vires robur lucidæ veritatis evertent; nullæ nubes radios eius flectent, nullæ tenebrabunt; si nec imbribus persecutionum, nec disputationum ardoribus vera fides abolescit; si Apostolico sanguine rigata Ecclesia, nec tempestatibus everti, nec allidi brevibus, nec infigi vadis hæresum potest: necesse est, nusquam intercisa serie, Pastoribus successisse Pastores, qui fidam navigantibus stationem ostenderent. Cum enim fides sine Pastoribus perpetim perennare, propagarique non possit, æque adynaton est, viduatum aliquando orbem Pastoribus fuisse; saltuatim ad nos Pastores adrepsisse; ac mundum veræ fidei penitus expertem quandoque fuisse. Recte igitur Calvinus docuit; *tenendum esse, Ecclesiam non aliter ædificari, quam externa prædicatione.* Ideoque, *Pastoribus et Doctoribus nunquam carere posse Ecclesiam.* Quin et ipse Protheo omni mutabilior Lutherus; *Luth. tom. 5.* *Lat. Witt. An.* *1554, per Lufft,* *Apostoli, ait, immediate vocati sunt a Christo; hi vocarunt Episcopos; Episcopi successores. Ea Vocatio duravit usque ad nostra in c. 1. ad Gal. fol. 376.* *tempora, et durabit usque ad finem mundi; nec est mutanda, sed magni facienda.* Atque hoc argumento veteres Ecclesiæ Doctores, novellam in Ecclesiam irrumptentium Pseudopastorum conatus eliserunt. *Edant, inquit Tertullianus, origines Ecclesiarum suarum; script. c. 32.* *evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio recurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit autorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Quocirca hunc in modum alibi alloquitur Novatores: *Qui estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo iure Martion silvam meam cœdis? Qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, habeo*

origines firmas, ab ipsis autoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Quod si quos vero ad hæc pallore exanimatos, titubantesque; si ex se natos; si nemini succedentes deprehenderunt; ulteriori disquisitioni seposita, illos extrarios esse, hybridas esse, hypobolimæos esse, lupos esse, libera voce pronunciaverunt. Adi, si lubet, *Augustinum, epist. 165.* Et *lib. 11. contra Faustum, cap. 2. Optatum, lib. 2. contra Donatistas. Cyprianum, epist. 66.* Et *de Unitate Ecclesiæ. num. 34.* Et cum his appendat aliquis in eadem lance, prætumidos vetustatis adrosores?

Assumptio argumenti clarior est, quam ut probatione indigeat. Et reos confitentes habes in hac ipsa Solnensi Apologia, in qua ingenue fatentur Prædicantes: *Nulos veros et orthodoxos Episcopos, Lutheranos scilicet, fuisse; Ideoque coactos se et secessionem facere, et sinceros Episcopos creare.* Sed si negare audet clarissimam veritatem frons Prædicantica, extant monumenta Historiarum, extant acta Conciliorum, extant doctissimæ sanctissimorum Patrum lucubrations, extat memoria antiquitatis, in templis, legibus, ritibus. Excutiant, eruderentque omnia diligenter; centuriatim retroacti temporis cursum remetiantur; decurrant per historias, ne quis latibuletur; nominentque nobis ab ipso usque Apostolorum martyrio, Pastorem unum, Doctorem unum, Virum unum, qui ante consceleratos Monachi et Monachæ æstus, Lutheranum Ministerium, necdum defrutum fatis, et pæne hornum, gesserit; qui complexionem omnium capitum, quæ ad finem pertinere statuantur, sic docuerit, ut hodie docent Augustanæ Confessioni applaudentes. Nullus dum enim nominatus legitur. Dicant illud quoque, per quæ aquagia colluviaria, per quos inciles ac catarrhactas, in luteræ lacunasque Lutheri, divite vena fluxit limpida Evangelicæ doctrinæ aqua? Qua magistra manu inoculatus est Lutherus arbori, a minuto sinapi proseminalatæ? per quos scrobes, per quos mergos, vitis illius frugiferæ, ad Lutheri novelleta, repastinataque pampinaria, traduces facti, ut vindemiæ labruscatæ retinaculis, Saxones primum, post, multos alios amentaret? Nominent bella, quæ contra Gentiles, contra hæreses gesserint Ministri, ante Lutherum Lutherani? quas Urbes converterint? quæ Concilia celebrarint? quos errores extirparint? quas cryptas, quæ spelæa sanctificarint? quæ virtutum incitabula reliquerint? Forte latebrarum antris obumbratos, sœculisque prioribus ignotos fuisse dices Lutheranos Ministros? Male sit illis antris, quæ tantam lucem

ipsis mille quingentis viginti annis occultarunt, quæ nobilissimas has reliquias, felici retectione nunc elicas, tot sœculis merserunt. Sed, dic sodes, magne interpres Iovis, quæ Dia vates retexit hos Anonymos, ignotosque Lutheri Succenturiatores, se tamdiu illatebrantes? quis Trophonii antra, vestrorum antea Doctorum latibula, commonstravit? Nam nisi Lutherus antecessores suos nominet, nisi continua successione deducat ad Apostolos, sicque Apostolici seminis frutices, non spurios stolones esse Symmystas suos compropet; somniantium delirations, occulta illa latibula, risu, cachinnisque cordati viri explodent. Et certe, si invisi isti Ministri latibula semper occuparunt; si lupis grassantibus non occurserunt; si lucis timidi, solis tenebris oculos habuerunt, si populos Verbo et Sacramentis non paverunt; si idololatricis cultibus assenserunt, si quas hodie colitis novales, situ durescere, paedoreque obsolescere passi sunt: manifesti proditores, non occulti Pastores fuerunt. Apte igitur illud de vobis dicimus, quod de quibusdam vestri simi-

^{1.} Esd. 2. v. 62. libus Scriptura: *Hi quæsiverunt scripturam genealogiæ suæ, et non*

² Esd. 2. v. 61. *invenerunt: et electi sunt de Sacerdotio.* Vere enim de suo suxit Scorpius ille sœculorum Lutherus virus, quo Apostolici sensus retorpescerent, quo fides Apostolorum hæreditaria, lacinata evigoraretur.

Hic auruncum de mento pendulum contorque, Prædicantes, hic bostrychis comatos vertices excutite, antias capronas pressando vellicate, crispulos labrorum pilos demulcete, et caperata fronte, aliquid ex tripode demurmurate; Aliquem omnibus retro actis sœculis nominate, cuius librorum monumenta extent, cuius in veteribus Ecclesiæ Annalibus mentio habeatur, qui hanc integrum doctrinæ vestræ complexionem docuerit; qui ea omnia, ob quæ hodie Romanam Ecclesiam arrodis, vobiscum una damnaverit. Nam si eos nominatis, qui uni alterive errori vestro patrocinantur; haud certe magis stemmatis vestri originem ad illos deducetis, quam ad Mahometem, qui et ipse non una in re vobis adstipulatur. Quod si neminem omnium designare potestis, vestræ novitatis præsultorem; iure, merito, iisdem a me verbis compellamini, quibus Marcion a Tertulliano: Qui nam estis? quibus orti maiores? Quid pascua nostra depascitis? quid segetem metitis? quid silvam cœditis? quid fontes nostros avertitis? Nostra est possessio, habemus origines firmas. Maiores nostri hæredes sunt Apostolorum: nos maiorum: Vos alieni estis ab hac hæreditate; aut si non

alieni, quo iure illam vendicatis? Mille quingenti, et quod excurrit, sunt anni ab Apostolorum ad vestram ætatem; tot annis quis possessionem vobis debitam occupavit? sub cuius tutelari manu stetit hæredibus transmittenda? edite hos tutores, edite maiores, per quorum ad vos manus hæc hæreditas obvenit. Id si non potestis, ut non posse, sole clarus est; concedite, quod vis argumenti invitis expressit, vos nihil minus, quam divina vocatione subnixum ministerium habere.

Secundum argumentum: Si ex se nati, nec ulli succedentes aborigines allophyli Ministri Lutherani a Deo sunt missi; vel igitur per homines, ordinaria via et ratione missi sunt, vel a Deo immediate, nullius hominis adhibito ministerio. Primum illud, dici de Luthero (a quo cætera abigeorum turba originem duxit, nec potiori iure quam ipse, Ecclesias invasit) non potest. Is enim licet in Ecclesia Romana Sacerdos, in Academia Catholica Doctor renuntiatus fuerit; licet ad eam, quam Romana Ecclesia docet Veritatem, legitimam missionem habuerit: ubi tamen legationis suæ terminos transilivit, iisque ad quæ docenda missus erat, contraria docere cœpit, legitimæ missionis privilegio excidit, non secus quam Arius, Macedonius, Sergius, Samosatenus, Dioscorus, Auxentius, qui post legitimam Episcopatus adeptionem in hæreses prolapsi fuerunt. Et hodie, si quis Ministrorum ad Arianos, ad Turcas profugiat profanosque errores docere incipiat, Divinæ missionis quam se habere Prædicantes iactant, prærogativa, haud dubie excidet. Nec arbitror, hunc a Lutheris honorem Romanæ Ecclesiæ haberi, ut Lutherum idcirco divinitus vocatum asserant, quod a Catholicis Sacerdotio fuerit insignitus, pari enim ratione, cæteros Sacerdotes Catholicos, Dei vocatione subnixos fateri deberent. Ad Magistratum vero sæcularem, agenealogiten Lutherum, vocationis suæ primordia reducentem, quis non rideat? Certe cum primum Lutherus doctrinæ suæ semina iacere inciperet, obsordescientia vetustate (si Deo placet) recentaret: *Solum se fuisse initio, aliquotiens palam edicit. Sleidanus vero; Tenue fuit, inquit, et contemptum huius Religionis initium; et totius orbis odium Unus tantum homo sustinuit.* Ipsemet vero thraso, gloriosissimus aliubi de solitate sua iactuosissime hunc in modum sese circumspicit, *Quis me sustentabat initio cum solus essem? Solus in acie stabam. Solus Pontificis et Cæsaris telis me obiiciebam.* Et sane, cum ante ipsius exortum Saxones omnes Catholici essent; prius illos, in ventum

Præf. Tom. 1.
Anno 1545.
Steid. Præfat.
histor ad
Augustum.

Luth. cont.
Regem Angl.

Christianos, novitatis suæ gratiositate percutere; prius a Romanæ sedis obedientia fascinatos seducere debuit, quam ab illis potestatem acciperet insectandi Romanam Ecclesiam, cuius iniurias, quo ad usque Catholici fuerunt, non sustinuissent. Adde, quod si sat est ad Divinam vocationem, ut quos erroribus tuis imbuisti, libenter atque etiam avide te accipient; nullus Arianus, nullus Mahometanus erit, qui Dei missionem obtendere non possit, horum enim quisque, a suis Magistratibus, obviis ulnis excipitur.

Quod si secundum illud in arguento positum adlubescat; Lutherumque extra ordinem, immediate a Deo vocatum dicas, ac eius deinde ministerio cæteros ad docendum adlectos; Id vero difflari, levissimæ plumæ instar potest. Nam, ut taceam, vobis authoribus nihil credendum esse, quod clarissimis Scripturæ sacræ testimoniis comprobatum non sit; ideoque nisi locum, nisi verba proferatis, quibus Scriptura, Lutherum a Deo missum fuisse adstruat, credere vobis non possumus. Ut illud quoque silentio involvam; Altos illos turgidæ mentis confluges; Conciones libidinum auctrices, deque sola scurrilitate, de lascivis et cruentis vocibus nobiles; Mæandros errorum spissos; blasphemi oris pestilatatem, Scripturæ expositiones per vim retortas, novitia paratura converstitas; mendacia stipata undique; summam doctrinæ dubitatem assumptæ mobilitatem, et vere campum venti; defibulatam carnem; cæteraque emicantia propudia Lutheri, quæ apud cordatos ne suspicioni quidem locum reliquerunt, de Diviniore aliqua Lutheri vocatione, ad redanimandam novo spiritu doctrinam Apostolicam, neglectu situque ignavescentem, et primordiali suo vigori restituendam. Ut et illud præteream; Credibile non esse, Lutherum aquilam fuisse, irretortos oculos in ipsos veritatis radios defixisse: Talpas fuisse, luciosos præ illo fuisse, nihil in rebus fidei ac Religionis vidisse Augustinos, Cyprianos, Irenæos, Areopagitas, Basilios, Religionis nostræ lumina et columnæ; ex quorum locuplete horreo, abundantissima penu, instructo omni telorum genere armamentario, omnia scripturarum abdita, omne Veritatis magisterium haurire possumus. Hæc, inquam, omnia ut seponamus; Illud solum nunc urgeo: In humana politia, si quis se Ducem belli, Gubernatorem provinciæ, Regalium proventuum Quæstorem delegatum, si Reformatorem, si Legatum Regia autoritate creatum iactet; nemo fidem adhibet, nemo paret, nisi diploma Regium, nisi obsignatas tabulas deferat. Et has ipsas non temere accipi-

mus, sed expendimus singula, vigilanter lustramus, examinamus diplomata, ne quis imponat fraudibus credulitati nostræ. Et si quod vel tenuissimæ suspicionis argumentum de impostura suboriatur, diligentius discutienda res differtur; fides non adhibetur. Quæ (malum!) ergo dementia est, in animæ negotiis adeo obesos et hebetes esse, ut in regno Ecclesiae novos Legatos, ac (si Deo placet) Reformatores admittamus, idcirco solum quod audacter et intrepide ipsi se a Deo missos, se verum Scripturæ sensum adfrentes iacent; licet interim nulla iudicia, nullas suæ Legationis probationes adferant; contenti dixisse, Nihil a se, nisi rectum doceri. *Cum Muncerus Mulhusii concionaretur, scripsit Lutherus ad Senatum*, ait Slaidanus, *Recte facturum Senatum, si roget ex eo, Quis docenti munus ipsi commiserit? quis evocaverit? Et, si Deum nominet autorem; tum inbeat hanc suam vocationem evidenti signo comprobare: Si repræsentare non poterit, repudietur. Hoc enim esse Deo familiare ac proprium, quoties formulam consuetam, vel rationem ordinariam velit immutare, ut tunc voluntatem suam aliquo signo declareret.* Patiatur ipse hanc legem, qui cæteris eam tulit, Lutherus: nec nobis succenseat, si fidem nudæ asseverationi non accomodamus, sed signis, sed evidentibus argumentis missionem suam testatam orbi reddi cupimus.

Fuit hoc semper omnibus hæresiarchis commune asylum, ut se a Deo missos, cæteris ab officio deflectentibus, iactarent: et tamen nemo, cui sal in capite, ob hanc nudam asseverationem eos accipit. Cur Lutherum accipiam, qui nulla maiora Missionis suæ argumenta adfert, quam Arius, quam Macedonius: qui et ipsi suo sibi iudicio Scripturam docere videbantur? Certe Calvinus ac Ministri Calviniani, quos non deamant, sed depereunt Lutherani, atque in societatem laboris adsciscunt, quoties adversus Catholicam veritatem explicanda sunt castra, simili præfidentia iactant, Extra ordinem se a Deo accitos. Idque ea prorsus ratione, qua Lutherani, comprobant: nempe, quod purum Dei Verbum, a cæteris adulteratum, in libertatem asserant ac perpurgatum propugnent. Cui ergo præ altero assentiar? e cuius manu Evangelium accipiam? Omnes eadem de suo testantur: a Deo esse, non aliud esse, quam quod Apostoli posteris consignarunt. Omnes eadem hæc mellis stillicidia de libacunculo venenato, eadem sub mellata dulcoris subtemine proponunt, licet adversa inter se fronte concurrant. Quid ego hic in tanta ad se pellicientium, reliquos

2. Cor. 5. v. 20.
Pro Christo legatione fungimur.

Sleidan 1. 5.
hist. An. 1525.

damnantium Magistrorum contentione? quo proram huius fidei cimbæ flectam? Quod iste pro stationis suæ securitate profert, idem cæteri: Cur igitur cursum ad hos potius, quam ad illos dirigam? Nam ad omnes non possum, nec eodem tempore anchoram in adversantibus firmare: Et tamen nihil Lutherus pro se adfert, quod non Calvinus, non Blandrata, non Menno. Singuli suam doctrinam Apostolicam aiunt, Scripturæ ad amussim responderem aiunt, nec aliam, quam suam. Si ad veritatem affirmare satis est, vicerunt omnes: quod si nuda asseveratio, validis probationum nervis destituta, in negotio potissimum æternæ salutis infirma, ac nullius momenti censeri debet; vani sunt, ridiculi sunt omnes.

Et sane, cum tacitus mecum considero, projectam hominum ad quidvis credendum audaciam, mirari satis non possum, quo tandem fascino captæ sint mentes mortalium, ut uni humulo, sola carnalis libertatis delinimenta propinanti, tam facile aures animosque applicarint, cum se a Deo missum iactaret; licet non aliud missionis suæ argumentum adferret, quam quod summa audacia iactaret, se scripturam, sensumque eius primigenium, a sanctis Patribus adulteratum, adferre. Certe cum Religio veteris Testamenti, apud Iudæos mutanda erat, etsi Servator noster clarissimis Scripturæ sacræ testimoniis convinceret, mutationem illam fieri debere; ad eamque rem Messiam a Deo missum esse: id tamen maximis testatissimisque miraculis ita confirmavit, ut nullam tergiversandi occasionem reliquam faceret. Et suo ipse edixit ore,

Ioan. 15. v. 24. Iudæos peccatum non habituros, si patentibus hisce supra natu-

I. Cor. 12. v. 12. ram signis, suam ipse doctrinam non adstruxisset. Apostoli deinde,

Mar. 16 v. 20. signa Apostolatus sui ubique reliquerunt, Domino confirmante sermonem, sequentibus signis. Cæteri hos secuti, qui densas illas Gentilitatis tenebras eruncarunt, qui ad Christianæ veritatis clarissimum lumen populos perduxerunt; signis ac virtutibus fidem doctrinæ præstruxerunt, ut omnes omnium Gentium Historiæ

Heb. 2. v. 4. memoriæ prodiderunt. Quantis igitur opus erit miraculis, cum de Religione novi Testamenti immutanda, de tot sanctissimorum

Martyrum sanguine rigata, tot doctissimorum Patrum lucubrationibus, admirandisque ac supra naturæ cursum operibus, confirmata doctrina abiicienda, agebatur? Certe, si dena mortuorum millia redanimassent; si Apostolorum, si Christi Domini miracula omnia redauspicassent novi Magistelli; vix tamen fidem mereri potuissent, ut persuaderent, Religionem, cui portæ inferi prævælere

non poterant, extinctam ac penitus consepultam fuisse; orbem universum in idolatriam prolapsum fuisse; sanctissimos Martyres, doctissimos Patres in statu æternæ damnationis fuisse; aliquid præter id, quod ab initio Evangelizatum est, credendum esse. Nunc vero cum nullum Missionis suæ indicium proferant Prædicantes, sed solam Scripturam, suo sensu, non iuxta communem Patrum intelligentiam explicatam, crepent; quis adeo retusus ac plumbeus erit, ut se his verborum laqueis irretiri patiatur? Cui sic obbrutuit palatum ad saporem vetustatis, ut novella hæc a pegmate Lutheri scoria, ac putentes sub stillicidio canaliculorum euripos, purissimis sanctorum Patrum, ac ad stuporem omnis ætatis litterosorum, aureis fontibus conferre audeat?

Tertium argumentum altissimo silentio obruisse, ne Luthe-ranis scilicet ægre facerem, nisi tenellus implumisque e cavea Lutheri pullus, e torculari musteus, e cunis lacteus Rhetorculus, paedotriba Baniensis, fragile aliquod falsæ gloriæ choragium comparaturus, hoc potissimum Catholicorum telum extorquendum sibi statuisset, in ea rerum disparatarum farragine, qua inaugurationem recens institutæ, Superattendenticæ dignitatis maiestatem, novitus cosmeta, pigmentis, fucoque puerili picturata oratione claravit. Atque, ut nihil ad summam audaciam reliquum faceret; virum doctissimum Nicolaum Serarium, velut musca elephantem lacessendo, validis ingenii nervis contortam ab ipso probationem, prorsus sine iudicio pervertit, e triviali Magistello, repente Theologaster insulsissimus. Hoc igitur esto *Tertium probationis nostræ Argumentum*:

Fieri non potest, ut Divinam ille sortitus sit ad Prædicandum Missionem, qui ab ipsissimo Cacodæmone Avernali scientia gravidatus, deleterion illud doctrinæ orbi publicavit, quod ab infami hauserat magistro:

Atqui Lutherus, cum antea Catholicus esset, phasma phlegethonteum conspicatus, phyltrum ab eo piaculare, quo dementaretur, accepit, phrenesin hausit, eiusque pellaci suadela inductus, ac flexanima oratione delinitus, ab avita Religione descivit; et quod in obscuro a Diabolo, materario dogmatis sui didicerat, id orbi publicavit; suis etiam persuasit.

Ergo fieri non potest, ut Lutherus Divinam ad prædicandum sortitus sit Missionem. Quod si Primipilus, si parens cæterorum Prædicantium, qui deinceps ab ipso procreati sunt, Diabolica

missione, non spiritus sancti unctione delectus ad docendum fuit; in propatulo est, ne cæteram quidem passivorum discipulorum succedaneam turbam, Deo destinante excitam esse.

Propositio syllogismi adeo clare suo ipsius emicat splendore, ut probatione nulla egeat. Eleganter enim sanctus Athanasius, impendio doctus Pater, Diabolum, nec cum vera loquitur, fide

Marc. 1 v. 25. dignum esse monet; ideoque Christum, ideo Apostolos obturasse os Diaboli, vocem interclusisse, picati sermonis blanditias repre-

Luc. 4. v. 41. sisce, etiam cum vera dicebat: *Quia noluit per os impurum veritatem enunciari, ne per hanc occasionem, admiscens zizania sua*

Actor. 16 v. 18. *malae voluntatis, eo tempore superseminaret, quo homines in somnis essent.* Et certe, si Lacedæmonii, cuiusdam Demosthenis probrosi

Ath. orat. 1. contra Aria. f. 113. Comel. hominis sententiam idoneam ac salutarem acceptare ob indignitatem autoris noluerunt: multo magis addecet, ut Patri menda-

ciorum, capitali humani generis hosti, et nil nisi exitium nostrum machinanti, fides nulla adhibeatur. Nam mendacibus, etiam vera

Plutar in Polt. initio. loquentibus, credendum non esse, monent Sapientes. Et inimicorum ipsa quoque munera suspecta ac exitialia esse solent. Divina quoque oracula, resistendum esse Diabolo; societatem lucis cum

Jac. 4. v. 7. tenebris, conventionem Christi cum Belial, esse non posse, docent.

2. Cor. 6. v. 15. Nec a Diabolo, sed a Spiritu sancto, edocendos suos Ministros, Christus pronunciavit. Indignum veritate Christiana, indignum Majestate Spiritus sancti est, ut Diaboli ministerio veritas salutaris doceatur. Sed nolo in re clarissima longius immorari.

Assumptio syllogismi, si a nobis excogitata, si alterius quam Lutheri, testimonio, subnixa esset; atroci haud dubie calumniæ accenseri posset: Verum ipse de se Lutherus testatur id, quod assumpsimus. Priusquam tamen Lutheri verba adferamus, memoria repetendum est, non hodie primum hoc tantum ac tam inauditum crimen, Luthero exprobratum fuisse. Ut enim taceam Catholicos, Hosium, Lindanum, Prateolum, Surium, Ederum, Nasum, Perpinianum, Duræum, Copum, Ulenbergium, Bellarminum, Serarium, alios; ipsi Calvinistæ, et vivo, et mortuo Luthero, quod Diabolo

Confess. Tigur. Anno 1545. apud Christoph. Prosch. fol. 28. magistro profecerit, obiecerunt. Audi Tigurinam Helvetiorum con-

fessionem, quæ postquam ex Lutheri scriptis longam ipsius cum Diabolo confabulationem retulisset, eiusdemque contra Oecolam-

padium, atque alios, criminationem detersisset, hæc ipsa subnectit verba: *Lutherus hoc a nullo bono spiritu hausit, sed illius instinctu*

scripsit, qui tunc disputationem cum illo instituit; et quantum ex

hoc ipsius facinore iudicare licet, disputando ipsum superavit. Hospinianus vero Calvinista, in historia sacramentaria, Anno 1533. ita habet: *In lucem emisit hoc anno Lutherus librum de Missa privata, in quo describit colloquium, a se cum Diabolo habitum, intempesta nocte; in eoque se de multis abusibus Missæ, a Cacodæmone admonitum fatetur. Et summa disputationis est: se a Diabolo edoctum esse, quod Missa privata sit res mala; et rationibus Diaboli convictum, abolevisse eam. Cuius meminisse debebant discipuli Lutheri et desinere Zwinglio somnium suum obiicere.* Obiicit et David Paræus, hanc Lutheri cum Diabolo dissertationem; atque alios, nec paucos, nec minutulos Calvinistas recenset Lutheranus Superattendens Schlüsselburgius lib. 1. Theologiæ Calvinianæ, fol. 2. in proæmio; qui disertim dicunt, Lutherum instigante Cacodæmone, lites in negotiis Religionis concitasse.

Vide Gret.
in Helleboro
pro Batio.
fol. 383.

Paræus I. 5
de Euchar.
ca. 7 apud
Serar. dispu.
poster. de
Magistro Luth.

Sed quid alios testes quærimus? Ipsum de se Lutherum *Tertul. Apolog.* loquentem audiamus: *Credite illi, cum de se loquitur, qui mentienti creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Magis prona est fides, in adversus semetipsos confitentes, quam pro se ipsis negantes.* Ait igitur Lutherus in eo libro, quam Ambrosiorffius miris modis deprædicat: *Contigit me semel sub medium noctem subito expergefieri: ibi Satan mecum cœpit eiusmodi disputationem.* Baniensis Rhetorculus, his Lutheri verbis addit illa: *Mecum in corde meo.* Sed certe in Latinis Lutheri Tomis, quos vidi, illud: *in corde meo,* non habetur. Et ut maxime haberetur; nihil interest, externa specie conspicue, an interius in corde occulte, docenti Diabolo, adhæserit Lutherus. Quemadmodum nec illud refert, an concubia nocte, primove conticinio, vel nocte intempesta, aut gallicinio, seu potius anteluculo allapsus Dæmon, acherontica facula Luthero alluxerit, lucarque prodactæ per sclera vitæ, errores instillarit: Nox illunis, an radiata Triviæ fulgoribus fuerit, iuxtim assederit, an pone steterit monomachus Avernal: sat est, si constet Lutherum, qui antea Catholicus erat, convictum argumentis Diaboli, a Catholica fide descivisse; idque docere cœpisse, quod Diabolus summa contentione perurgebat. Nam tametsi a Diabolo tentari, allectari, argumentis urgeri, si relucteris, si obaudias, Diaboli discipulum non faciet: Si tamen dicentis rationibus assentiare, idque quod antea non credebas, non docebas, convictus sermone Diaboli, credere, docere incipias; dubio procul Diabolo magistro te profecisse, Minervalque ipsi dependere debere, fateri cogeris.

Luth. tom.
7 lat. Vitt.
Ann. 1557.
edito, per
Tho. Klug.
fol. 228.

Mali corvi,
malum ovum.

Duo igitur ex ipsis Lutheris verbis comprobemus. Primo, quo tempore in arenam cum Diabolo, privatam Missam oppugnante, Lutherus descendit, Lutherum Romanæ Ecclesiæ non inobsequentem filium fuisse. Secundum, post hunc Diabolicum congressum, deservisse a castris Catholicis Lutherum, idque ipsum docere cœpisse, quod Diabolus magna contentione suaserat. Hæc si evicero, apodictice demonstratum erit, Lutherum ipsissimo Cacodæmonis magisterio ea quam propagavit, doctrina imbutum fuisse.

Primum illud, ex ipsis Disputationis a Luthero descriptæ verbis, luce clarius ostendi potest. Nam postquam in ipso vestibulo, scopum ac finem Disputationis, Diabolus his verbis propo-suisset: *Audi Luthere, Doctor perdocte.* Viden' ut oratorio lenocinio, in ipso dictionis ingressu callide prenset? *Nosti, te quin-decim annis celebrasse Missas privatas pæne quotidie?* *Quid si tales Missæ horrendæ essent idololatriæ?* *Quid si non adfuisset ibi corpus Christi?* Lutherus ad hæc quid? *Sum, inquit, unctus Sacerdos; accepi unctionem et consecrationem ab Episcopo;* *quare non consecrassem?* Itane Luthere? Si iam Papam, et Episcopos, Antichristi mancipia esse noveras, ut postea blasphemero ore ructasti; si iam unctionem Episcopalem, risu ac cachinnis exploseras; si privatas Missas eiuraveras, ut postea fecisti; quid necesse erat ad hoc asylum contra conscientiam confugere? Sed perge porro, audiems attentissime: Diabolus igitur ad hæc repli-cat: *Quid, si tua Ordinatio et consecratio etiam falsa esset?* Certe, si persuasus ante Lutherus fuissest, Ordinationem Catholicam deridiculam esse, nihil ista dixisse attinebat. Ubi vero Diabolus argu-menta omnino quinque attulisset, straminea, nullo veritatis fuco tincta, mera sophismata, quæ vix sanæ mentis hominem, nedum Doctorem movere debuerant, ut vel suspicaretur id quod Diabolus concludebat, Missas scilicet privatas idololatricas esse; corpus Christi illis non adesse; Ordinationem Episcoporum frivolam esse; Tandem, ut ostendat Diabolus, Lutherum ad eam usque disputationem id non credisse, quod ipse suadebat, sæpius ipsi verbis præsentis temporis, Catholicum sensum attribuit, atque ita Magister compellat Discipulum: *Nunc de tua Missa, reliqua piorum Ecclesia nihil novit: nihil a te accipit; tu solus in angulo comedis, solus bibis, nemini communicas.* Quid audio? Lutherus adhuc Missas privatas celebrabat? solus comedebat? nemini communicabat? Nec id diffitetur Lutherus; *Etiamsi, inquit, aliis non porrigam, ipse*

sumo, ipse mihi porrigo. Quæ disertim ostendunt, de idololatria Missæ privatæ, Lutherum nondum assensisse. Atque ut clarius constaret, Catholicum fuisse Lutherum, ipso huius disputationis exordio, postquam Satan enumerasset septem Ecclesiæ Sacra menta, *Hæc sunt, inquit, vestra septem Sacra menta: Quod si nullum ex Sacra mentis vestris aliquis pro se ipso facere potest, qui fit, ut tibi hoc Sacra mentum facere velis?* Evidem non Lutheri, sed Catholicorum Sacra menta sunt, quæ septenario numero clauduntur; et tamen huius disputationis tempore, Luthero quoque septem fuisse Sacra menta, Magister docet. Tandem ad umbilicum disputationis decurrens Lutherus, hæc annexit: *In his angustiis volebam retundere hostem, armis quibus assuetus eram sub Papatu, obiiciebamque intentionem et fidem Ecclesiæ.* Dic sodes, Luthere; si eo tempore, quo cum infernali gladiatore compositus fuisti, Missas privatas Ordinationesque ac unctiones Episcoporum conspuebas; si luce Evangelii collustratus Papistica omnia non sine detestatione exsufflabas; quæ caussa fuit, cur retundere hostem, cur eludere conareris, vera tibi ac placentia suadentem? Cur nova, quæ novus ipse Vulcanus tibi fabricaras arma, non arripuisti? Cur ad ea, quibus sub Papatu assueveras, confugisti? Certe, postquam docenti Diabolo aures animumque advertisti; et Ecclesia, et Patres, et usus sæculorum, et consensio populorum, contempta tibi arma, plumbei enses, muri iuncei contra catapultas, visa fuerunt. Sed quid in re manifesta hæreo? Si Lutherus ea omnia ante hunc congressum credidit, quæ ipse postea, quæ hodieque Lutherani credunt, nempe, privatam Missam idololatriam esse; corpus Christi in ea non esse; Consecrationem et unctionem Episcoporum, vanas ludificationes esse; quid causæ fuit Dæmoni, cur rem, antea Luthero exploratissimam, tanta contentione, tantis clamoribus, tot amplificationibus perurgeret, confirmaretque? Cur verbulo Tartareum Magistrum non expedit? Cur non respondet, actum apud se agere? hæc sibi iam antea explorata esse?

Audio mussitantem Rhetorculum nescio quem, aliena certe scrinia compilantem; *Recordatione veteris idolomanie, ad extremum desperationis barathrum, hoc tanto verborum apparatu, præcipitem agi Lutherum, cogitasse Diabolum.* O vos felices Magistellos, qui velut Diabolicorum consiliorum participes, cogitata ipsa Satanæ penetratis. Sed ne te multis morer, quisquis es, qui te in has latebras abdis, pudendumque parentis turpitudinem his foliorum

tegminibus velare cogitas; hoc ego te argumento premam: Vel, quo tempore hæc Lutheri cum Diabolo disputatio peracta est, fidem avitam eiuraverat Lutherus, novitiamque Prædicantibus hodie amatam procuderat; vel nondum. Si primum dicas; tentare igitur ad desperationem Diabolus Lutherum non potuit. Nam ob desertam falsam Religionem, rectamque adeptam, non desperare, non angustiis premi, sed lætitias diffluere Lutherus debuit; ac tanto magis hilarescere, quanto diligentius Dæmone suggestente, pericula respectabat, ex quibus Dei munere evaserat. Quod si secundum adlubescat; quicquid igitur Dæmon hac sua disputatione voluerit, seu restem seu ensem Luthero porrexerit; fateri tamen necesse est, Lutherum post hanc cum Dæmone luctam, ea omnia docuisse credidisseque, quæ Dæmon docuerat, ideoque ipsius Discipulum in fidei ac Religionis negotio, obsequentissimum fuisse. Et certe, Dæmon ipse quid velit, minime ambagiosis verbis prodit: *Ego, inquiens, nunc hoc urgeo, te non consecrasse in tua Missa, sed obtulisse et adorasse nudum panem.* Deinde adiuncta disputationis ac circumstantiæ evincunt, non aliud fuisse Diaboli propositum, quam ut persuaderet Luthero, privatas Missas et Episcoporum Ordinationes idololatrica labe respersas fuisse. Et quod huic consequens est, sine legitimo Ministerio fuisse Catholicos: ideoque nudum panem et vinum in Missa proposuisse. Accedit, quod de quo nullum verbum, nulla vel aperta, vel occulta insinuatio in aliqua disputatione habetur; id ea disputatione suaderi dicere, delirare est: Atqui in hac Dæmonis cum Luthero disputatione, nullum verbum, nec quoad vocem, nec quoad rem, est de desperatione. Nam non solum vocabulum Desperandi, sed nec signum ullum, quo res ipsa insinuetur, aut suadeatur, in ea disputatione continetur: et tamen ita usu comparatum est, ita omnes ratiocinandi leges suadent, ut in argumentatione practica, qua scilicet aliquid faciendum suadetur, illud exprimatur, quod quis persuadere conatur. Cum igitur nihil aliud exprimat, nihil concludat Dæmon, quam idololatricam esse Missam Papisticam, vanam esse unctionem et consecrationem Episcoporum, etc., Desperationis vero mentionem nullam faciat; quæ hæc est tanta fingendi libido; ut ea comminiscaris, quorum nulla in disputatione mentio? Certe si Prædicans quispiam illis me argumentis perurgeret, quibus Lutherus scribit se a Dæmone impetum; quis dubitaret, id agere Prædicantem, ut veteri, quam sequor, eiurata Religione, novitiae Lutheri sectæ

adhærescam? Adhæc si cuiquam id quod agit, perperam fieri comonstrem, non id suadeo, ut de salute sua conclamatum existimet, cannabum collo induat, culeo se inclusum submergat; sed potius enormitate facti ob oculos proposita, desistendum a flagitiis, vitæ rationes honeste instituendas, suadere intelligor. Et, si bibere volenti, letifero veneno imbutum poculentum clamem, cum natura ipsa dictante, notum sit, malum fugiendum esse; eo ipso suadere intelligor, ne scipham ori admoveat. Simili itaque ratione, quando Diabolus magno molimine ostendit Lutheru, falsam esse Ordinationem Catholicam, Idololatricam privatam Missam, quam frequen-
tabat, licet expresse verba hæc non adiiciat, *Desere Missas; damna Ordinationes et unctiones Episcopales*: involute tamen et implicate hoc suadet; cum tamen nihil tale dici possit de desperatione. Qui enim alteri persuadet, longo errore ipsum a veritatis orbita deviasse; blasphemum, idololatram fuisse; is certe ad desperationem hoc ipso facto non invitat, sed ad resipiscentiam. Nam et Apostolo Paulo persuaserat Spiritus Sanctus, ipsum antea blas-
Tim. 1. v. 13. phemum fuisse, Ecclesiæ persecutorem, Apostolico cœtu indignum fuisse: nec tamen desperationem suasit, sed hac cogitatione stimulos ad omne virtutis incrementum subiecit.

vi.

Secundum, quod initio proposueramus, longa probatione non indiget. Constat siquidem, Lutherum post familiarem Diaboli congressum, privatas Missas aspernatum; Ordinationes, quæ per unctionem Episcopalem in Ecclesia fiunt, toto libro quem ad Bohemos de Ministrorum ordinatione scripsit, conspuisse; uno verbo, ea omnia quæ Dæmon. probavit, quæque in hac disputatione suasit, Lutherum deinceps toto vitæ tempore docuisse, atque etiam ad posteros propagasse. Si igitur constat, Evam a Dæmone inductam, vetitum fructum degustasse, eo quod etsi initio reluctari ac abnuere cœpit, postea tamen id, quod suaserat Dæmon, fecit, fructum decerpsit, comedit; quis dubitare audebit, Lutherum quoque a Dæmone edoctum, id credisse de Missa privata deque Ordinationibus, quod postea docuit? per omnia siquidem consona sunt iis, quæ obnitenti Lutheru tot verborum ampullis suasit Diabolus.

Verum Lutherus Wormaciæ *piam precatiunculam ad Deum fudit*, ait Baniensis paedagogus, *quam eructare non potuit Diaboli discipulus*. O te comœdicum ac dilutum hyperaspisten! o ignarum linteonem, qui ad tantum dedecus obvelandum, tam levidensa stragula lodiculasque conficit! Sed nullum tantæ turpitudini deter-

gendæ velandæque mantælum, nullæ tegetes sufficient. Nescis, rerum omnium imperitissime ac virgidemia, vel taurea digne Pædotriba, nullum esse tam infelicem agrum, in quo multis mista vepribus aut loliis, herbula salutaris non nascatur? nescis, nullius esse tam profligatam vivendi rationem, in qua non aliquid interdum bonæ frugis conspiaciatur? Confer Mensalia Lutheri Colloquia cum unica hac precatiuncula; confer tot forias, tot Diabolos, tanta latrinarum recrementa; et fallor, vel ipse verum esse dices, quod fratres tui, Helvetici Sacramentarii scribunt; *Neminem unquam mortalium, Luthero vel fædius, vel incivilius, vel dishonestius, idque præter omnis Christianæ modestiæ et sobrietatis terminos, in negotiis Religionis scripsisse.*

Confess.
Tiguri. fol. 10.

Quia porro duæ rationes priores æque Lutheranos ac Calvinistas Prædicantes, legitimo Ministerio exutos, ad stivam ligonesque retrudunt: ne se neglectos Calvinistæ arbitrentur, iugati et hic esse debent. Verum ne mihi succenseant, nihil verbis meis dicam; Lutheranorum verba consignabo, cum quibus facile Calvinistæ concorportantur, et velut congregibus corriuantibusque adhaerescunt.

Prodiit igitur superiore anno Hamburgi liber Philippi Nicolai, quem *Fundamentorum Calvinianæ sectæ, cum veteribus Arianis et Nestorianis communium detectionem*, inscribit. Quo libro probare se velle profitetur, *quod quemadmodum ab Arianis et Nestorianis procreatus est Mohametismus, ita eundem a Sacramentariis occulta hæreseon cognitione foveri*. Decanus porro, et facultas Theologica Academiæ Tübingensis, Præfationem libello præfixit, in qua hæc ipsa verba leguntur: *Ater Spiritus est ille monitor, qui Zwinglio in somnio fundamentum erroris sui, de verbis testamenti Christi revelavit*: Hoc est, postquam vomitu nauseantis cœli expunctus est Zwinglius, accurrit, qui linguam calamumque veneraret, Diabolus, et alumnum nactus gestientem, tartareis ipsum dogmatibus imbuit. Sed quia hæc Philippus obiter; grandiori cothurno Raceburgensis

Schlusselb. 1. 1. Superintendens Schlüsselburgius intonat. Postquam enim verba Theol. Cal. f. 3. Zwinglii ex libro, quem Eucharistiæ subsidium inscripsit, hæc Et ar. 20. f. 84. Et lib. 2. ar. 9. ipsa retulisset: *Vera narro, adeoque vera, ut celare volentem, conscientia cogat effundere. Visus sum mihi in somno contendere cum adversario Scriba, sicque obmutuisse, ut proloqui non possem: Ibi ex machina visus est monitor adesse (ater fuerit an albus, nihil memini) qui diceret; Quin, ignave, respondes ei, quod Exodi 12.*
f. 79.

scribitur, Est enim phase, hoc est, transitus Domini. Hoc igitur, inquam, ubi ex Zwinglio obiter recensuisset, ut omnibus inclarescat, communem Zwinglio et Luthero fuisse desultorem ac gymnasten, ita devenustat Superintendens Zwinglium: *Notetur, quam vacillante ac trepidante conscientia Zwinglius causan. Sacramentariam agit; qui ignorare se ait, ater an albus Spiritus, hoc est, num bonus, an malus Angelus, vel ipse Diabolus fuerit, qui per somnium ei hæresim de Sacramento suggessit.* Certissimum autem est, non album, sed atrum spiritum fuisse, qui Zwinglio in somno dogma Sacramentarium, eiusque incrustationem revelavit. Causæ huius assertionis nostræ, sunt gravissimæ, et permultæ; sed libet iam paucas commemorare. *Prima:* Quotiescumque legitur in sacris literis, vel Dominum, vel Angelos bonos, credentibus apparuisse, iisque obsequium præstisset; tum semper Deus, et Angeli boni, eiusmodi forma se conspiciendos præbuerunt, ut potuerint ab hominibus piis cognosci, non Diabolum, sed Dominum, vel bonos Angelos iis apparuisse: ut exempla passim occurrunt. 1. Regum 3. Geneseos 19. Exodi 12. Esai. 12, et 37. Apocal. 1. et 7. Lucæ 1. et 12. et 22. Math. 12. Actorum 1. et 9. et 23. *Hic vero Zwinglius fatetur se ignorasse, num bonus vel malus Angelus, id est, an Deus, an Diabolus sibi apparuerit.* *Secunda:* Hoc inter omnes pie eruditos ex verbi divini testimoniis constat; Angelos Domini nunquam atra, sed semper alba forma apparuisse, ut in Resurrectione, in Ascensione, candida veste amicti conspiciuntur: Zwinglii vero Angelus non alba, sed nigra veste indutus, more spiritus tenebrarum, comparuit; et tamen cum in Angelum lucis sese commutare conatus sit, Zwinglium decepit, ut ater an albus fuerit, ipse dubitaret. Sed evenitus docuit, Cacodæmonem fuisse Zwinglii monitorem et præceptorem. *Tertia:* Angeli boni sunt Nuncii et Legati Dei, qui nihil loquuntur, nisi quod cum verbo Dei per omnia congruere norunt; Sed Zwinglii Angelus, in somno apparens, contra filii Dei veracis et omnipotentis ultimam voluntatem, in testamento suo sanctissimo expressam, verba Filii Dei falsavit, et loco verbi substantivi (est) verbum (significat) substituit. *Quarta:* Ex fructibus etiam Zwinglianorum, quos passim adferunt in omnibus regnis et regionibus, in quas errores suos transplantaverunt, patet, ipsum atro spiritu actum, novum errorem proposuisse. Quam tetros enim errores de plerisque doctrinæ capitibus spargant, et quantas turbas passim Rebuspubl. in quas admissi sunt, adferant, notius est, quam ut hic referre libeat. Poteram

equidem pluribus ac validioribus argumentis hoc ipsum comprobare; sed nequid novellarem, malum Lutheranorum testimoniis uti, quos ut fratres, Helvetici Zwingiani, seu Calvinistæ venerantur. Ut nempe hinc elucescat, Lutheranorum iudicio, parentem sectæ Calvinisticæ, a Diabolo prima fidei suæ rudimenta hausisse: sicut e contra probatum est, Calvinistarum iudicio, Lutherum instinctu

Lact. 1. 2. de Diaboli, sectæ initium dedisse. *Facilius est enim*, inquit Lactantius, origine erroris *de alienis iudicare, quam de suis; dum aliorum præcipitum vident,* c. 3.

non perspiciunt, quid ante pedes suos sit. Sed quid ego inter hos epibatas mirmillonosque, qui non rudibus sed cala, ac cæstibus, datatim battuunt, seque vicissim infamant? Si alterutrum mentitum dixero; odium invidiamque incurram. Neutro inclinabo, autor sum, ut de isto alter alteri concedat: egò utrosque verum dixisse, assentiar; utrosque victores, triumphatores dico; hæredes ex asse tam nobilis Præceptoris pronuncio; erciscundæ possessionis legem sub moveo; Vivant læti, vivant felices, quos de eadem fidelia idem dealbavit artifex.

Bellar. 1. 4. de His iam constitutis, non solum insolubile conficitur argumentum, ad comprobandum Lutheranam ac Calvinianam fidem veram esse non posse, eo quod legitimis Ministris destituatur, sine quibus vera fides cohærere non potest: Verum etiam illud comprobatur; Ecclesia cap. 8. Recte ab Illustriss. Cardinali dictum fuisse, nullum ex iis Sacramentis, quorum administratio Sacerdotalem ordinationem requirit, legitimate administrari a Ministris Lutheranis. Nec ulla maiori potestate præditos esse Prædicantes ad Absolutionem sacramentalem et conficiendam Eucharistiam, quam unum quempiam e communi

Bellar. 1. 1. de plebe. Siquidem ut ex Scriptura sacra, ex antiquis Patribus, ex Clericis c. 3. usu perpetuo Ecclesiæ, imo et ex ipsa Novatorum consuetudine (quæ Ministros sine Superattendentibus ordinari non patitur) diffuse ac nervose comprobat Bellarminus, veri Sacerdotes creari ab aliis non possunt, quam ab Episcopis. Fas sit igitur mihi, iisdem propriodem verbis Prædicantes compellare, quibus Hilarium quandam Hieronymus oppugnavit. Lutherus *cum Sacerdos esset, de Ecclesia recessit; et cum iam mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum clericum Sacerdos potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes:* Sed memor propositæ brevitatis, hic finio. Atque ut hoc apophoretum ab amica manu, benigna fronte suscipiant Prædicantes radiatamque veritatis lucem aspiciant, domitionem parent, desertos lares repeatant, oro atque obtestor.

Caput IV.

RECTISSIME AB ILLUSTRISS. CARDINALI DICTUM,
SPISSIS ERRORIBUS DOCENDIS ADSTRINGI SUPER-
ATTENTENTES.

Iam antea diximus, illud quoque Solnensi conventui placuisse, ut omnes qui Ministerio initiantur, libri Concordiæ placitis, animas suas æternum devoveant. Quia igitur amorphus ille liber, manifestis mendaciis, turpissimis Antilogiis, ab omni humanitatis, nedum Christianitatis sensu alienissimis scatet erroribus; iure meritoque Bonus Pastor, Synodo illi reclamat, cuius autoritate, deflendi omnibus lacrymis Prædicantes, ad errores Concordiæ propagandos adstringuntur, magnitudinemque Christianæ dignitatis ignorantes, servili vitio, mendacio se addicunt.

Ne quis vero hæc temere dicta existimet, exempla dabo: Mendacium igitur clarissimum est: I. Quod liber Concordiæ ait, *Non prohiberi apud suos, orationes pro defunctis.* Et quod paulo post iterum subnectit; *Aërio, qui orationes pro mortuis inutiles dixit, non patrocinari* Lutheranos. II. Pingue et illud, obesumque mendacium est, *Catholicos fingere Christum duriorem esse, et Santos placabiliores; et fugientes Christum, querere sanctos.* Ut enim Apostolus Paulus, dum fideles rogat, ut pro se exorent Deum, placabiliores fideles Christo non censuit: sic nec nos, dum regnantes cum Christo Sanctos, ut pro nobis exorent, deposcimus. III. Crassum est et illud: *Papam vendicare sibi potestatem mutandi Sacra menta et doctrinam: et suam potestatem vult præferri sacris literis, mandatis Dei.* IV. Crassius quoque annexitur: *Papam gloriari; iustum esse, quidquid ipse iubet, etiamsi supra et contra Scripturam aliquid statuat.* Scatet aliis mendaciorum portentis Concordia illa: Et tamen Sacramenti religione capita sua hisce exquisitis mendaciorum pulmentis devovent Prædicantes! Et quod caput rei est, si quid uspiam boni latitat in libro Concordiæ, id isti pro sua Prædicantica conscientia negligunt; et æterno silentio obolvunt. Quotusquisque enim est Prædicantium, qui ex libro Concordiæ suis præscribat, *ut mane ac vespere, signo sanctæ Crucis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, se munit?* Quis Dominicam

Mendacia concordiæ. Lib. Conc. Edit. Lipsiæ anno 1580. f. 247.

Fol. 202.

Fol. 311. 312.

Fol. 304.

Fol. 369.

Fol. 361. orationem ita dicendam edocet, ut Concordia non semel docet;
 Fol. 505. nimirum ut clausula illa, *Quia tuum est regnum, potentia et gloria,*
 intermittatur? Hæc, aliaque quamplurima, recte, et ex usu Catholico in Concordia tradita, insalutata abire sinunt Prædicantes; et
 ut Scarabæi fimetis, sic ipsi mendaciis incubant, amurcam et analecta colligunt.

Antilogia. Antilogias Concordiæ, summa a seipsa diaphonia dissidentis, quis recenseat universas? Unum, alterumque exemplum accipe, ex quo de cæteris innumerabilibus coniecturam facito. I. Audivimus non ita pridem, Orationes pro defunctis non prohibere, nec inutiles dicere, Concordiam: Et tamen alibi, *Purgatorium meram Diaboli larvam esse, clamitat.* II. Missam religiose retineri apud suos fatetur Concordia: Et tamen alibi, *Missam horrendam abominationem, Draconis caudam, multiplicis idololatriæ parentem,* vociferatur. III. Mentitur Catholicos docere, *Frigidis observationibus ab hominibus excogitatis, mortem aboleri:* Et tamen alibi, fatentur, inquit, adversarii, *quod satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ.* IV. Docet alicubi: *Scholasticos Theologos tribuere naturæ humanae intergras vires ad diligendum Deum super omnia:* Et tamen alibi: Fol. 55. *ipsi Theologi, ait, in Scholis tradunt, fiduciam erga Deum, timorem et amorem Dei, non effici sine certis donis et auxilio gratiæ.* V. Docet creberrime Catholicos docere, *per bona opera mereri nos remissionem peccatorum:* Et tamen alibi, in faciem se ipsa verberat diserdans a se Concordia, veramque ac germanam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam explicat his ipsis verbis: *Semper Ecclesia Christi sensit, remissionem peccatorum gratis contingere, imo Pelagiani damnati sunt, qui gratiam propter opera nostra dari contendebant.* VI. Denique, ut quam plurima alia tacitus prætermittam, Docet alicubi Concordia: *Evangelium non cogere hos ad coniugium, qui volunt continere; modo ut vere contineant:* Alibi vero, vitam Monasticam professos, ad castitatem observandam, idcirco non obligari docet, *Quod nulla vota possunt tollere ius naturæ, neque abolere mandatum Spiritus Sancti:* Et tamen belli nostri Prædicantes iurant, se omnes Concordiæ apices propugnaturos; librum hunc, *Sacrosanctum, Divinum librum, Apologetæ nominant!*

Fol. 105. 187. 192. Fol. 200. Fol. 222. Fol. 259.

Errores tametsi plures habeat liber Concordiæ, quam pilos bene barbati Prædicantis aruncus: Cæteros tamen missos nunc faciamus; tres illos, quos obiter attigit. Illustrissimus Cardinalis Strigonien: expendamus.

Primus error Concordiæ.

Primus igitur error, cuius Illustrissimus Cardinalis meminit, Lib. Conc. Art. his verbis continetur: *Reiicimus ut falsum et perniciosum dogma,* 5. Negat. fo. *cum asseritur, quod Evangelion proprie sit concio pœnitentice,* Ibidem. In Af- *arguens, accusans, et damnans peccata; quodque non sit tantum-* firm. Asser. 6. *modo concio de gratia Dei. Hac enim ratione, piis mentibus, vera* et solida consolatio eripitur, et Pontificiis superstitionibus fenestræ aperiuntur. Et rursum: *Evangelion non est concio de pœnitentia* arguens peccata, sed proprie nihil aliud est, quam lætissimum quoddam nuntium, et plena consolationis, non arguens aut terrens. Huius porro dogmatis, ut et verum sensum, et absurditatem manifestam cognoscamus; quibus ex fundamentis, quem in usum excogitatum fuerit, perpendamus. Tria pronuntiata, et quasi suppositiones certissimæ, etiam iurisiurandi religione interposita, recepta sunt a Ministris Lutheranis. Primum est: *Nullam omnino partem Divinæ legis adimpleri posse ab homine etiam renato, qui tamen Spiritu Dei agitur, et gratiæ Divinæ adminiculis fulcitur.* Hanc esse Concordiæ publicam fidem, in secundi erroris detectione probabimus. Et vel ex eo manifeste colligitur, quod omnes, etiam optimas renatorum actiones, peccatis contaminatas ac inquinatas, seu (quod idem est) Legis prævaricationes esse docent, ut paulo post audiemus.

Secundum effatum his ipsis verbis prodit Concordia: *Reiicimus, et damnamus subsequentia dicta, Bona opera necessaria esse ad salutem. Impossibile esse, sine bonis operibus salvari.* Quod plane consequenter reiiciunt, si enim bona opera omnia peccatis contaminata sunt, haud sane magis opera bona, quam flagitia, ad salutem necessaria.

Tertium effatum tale est, ne expes vivat Lutheri soboles; Ut nec Pontificiis superstitionibus irretiri, nec legis Divinæ observationi anxie servire cogatur: Et tamen, ubi legem transgressa est, metum damnationis (quem in Catholicis desperationem vocat) excutiat, secure degat. Præterea, licet in omnibus quæ actitat, peccare se, legem Dei violare sentiat, credat; certo nihilominus præsumat, se dilectam Deo, cælestique beatitatis hæredem esse: Ut inquam hæc omnia, nullo inter se nexu cohærentia, penitus repugnantia connectat, necesse est, truncatis non una securi Dei legibus, Lutheranos illeges, iniugesque, ita ab omnibus solutos

In secundo errore. Vide. Art. 4. in Negat. asser. 1.

esse legibus, ut nec terrere, nec accusare illos, lex ulla possit; sed læta libertate securi, ad solam Evangelii consolationem animum advertant, quam solam ad se pertinere putant. Hinc aurea illa Lutheri poppysmata, quibus cicurat, ac novi Evangelii helcio

Luth. tom. 5. armos induit mortalium: *Christianus fide apprehendens beneficium Christi, nullam prorsus legem habet; sed tota lex est illi abrogata.*

Lat. Vittem. Anno 1554. per Ioan Lufft. in c. 4. ad Galat. à fol. 396. *Cum igitur voles de abrogatione Legis loqui, complectere totam simul legem, nihil distinguens inter Iudiciale, Cæremoniale et Moralem.*

Nam cum Paulus ait, Nos a maledicto Legis liberatos esse; certe de tota lege loquitur, et præcipue de morali. Quare dicimus, legem decalogi nullum habere ius accusandi, perterrefaciendi conscientias, quia Christus illud antiquavit. Clarius etiam

Cal. lib. 3. 6. pro sua facundia, hanc rem explicat Calvinus: *Christiana libertas in eo consistit, ut fidelium conscientie se supra Legem erigant,*

totamque legis iustitiam obliviscantur. Aut enim omni spe iustificationis excludimur; aut ab illa nos solvi oportet, et sic quidem, ut nulla prorsus operum ratio habeatur. Sublata igitur omni legis mentione, et omni operum cogitatione seposita, unam Dei misericordiam amplecti convenit. Lex quidem ad bonum docere, extimulare, non desinit fideles, tametsi apud Dei tribunal, in eorum conscientiis locum non habet. Vides Autonomiam plus quam Libertinam; vides vitulantium Magistrorum illecebras, prolectibilis libertatis, sed ementitæ, quibus inescant simplices animas, ut, quemadmodum

Iob. 11. v. 12. scriptura loquitur, excussis lupatis, velut Lalisiones, liberos se natos putent, nec Dei leporario concludi patientur, sed Liberalia semper agant; præter propter honestatem vivant; mancipia sint ventris, et quæ illi proxima foeda proluvie natura recondidit; ab egestis, qua via venerant poculentis, a bibitis et exesis noctibus, crudo nauseantique stomacho palleant; remensoque per os vino, eadem via qua redduntur, invitis ingestu visceribus, pestilentes veteris crapulæ ructus perpetuo vomant. Eia, hæc ad cælos tuta est via: Hæc trama sanctiori stamini vitæ adaptanda. Et adhuc, dubitabimus mendacioquos dicere, qui Lutheranam, Calviniamque doctrinam, liberam esse inficiantur?

Hoc est igitur, quod Concordia verbis iam citatis docet. In

Ro. 1. v. 19. Evangelio quidem, prout totam, quæ a Christo est tradita, doctrinam complectitur, et iram Dei revelari, et leges præscribi; At

Apoc. 14. v. 7. Matth. 7. v. 22. *hanc non Evangelii, sed Moysis doctrinam esse, et quasi alienum opus Christi;* nec quidquam ex Evangelio ad renatos pertinere,

nisi consolationem et concionem de gratia Dei. Metus enim quem Conc. Ibid. Af-
fir. ass. 8. incutit, ad eos pertinere non potest, quorum fides hoc pri-
 mum de se unicuique persuadet Certum se esse de sua salute
 et iustitia coram Deo.

Hanc porro esse mentem Concordiæ, probari facile potest. Vel quia hæc doctrina necessario connexa est cum iis, quæ alibi docet, et passim in ore Lutheranorum versantur, nempe, opera omnia nostra peccata esse, legem Dei servari non posse, et tamen certos nos esse debere de salute ac Iustitia nostra: Vel quia verbis, quibus Concordia docet *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia Dei*, respondeatur ad propositam initio quinti Articuli quæstionem, qua quæri dixit: *An Evangelium proprie sit tantummodo concio de remissione peccatorum; an vero etiam sit concio pœnitentiae, arguens peccatum?* hæc enim est una ex illis quæstionibus, quas Concordia inter Theologos Augustanae confessionis controversos esse ait. Atqui cum constet omnibus, multa in Evangelio de pœnitentia et peccatorum detestatione contineri, inter sana capita non potuit hæc quæstio alio sensu in controversiam deduci, quam eo, quod quidam ad Christianos etiam spectare iudicabant ea, quæ de pœnitentia et peccatorum turpitudine dicebantur. Alii vero, hoc totum, alienum opus, ac prorsus Mosaicum existimantes, solas consolationes Evangelicas ad Christianos spectare censebant, et postremam hanc sententiam Concordia approbavit, Lutherum ducem secuta. Iam vero ex hac plane libertina Concordiæ doctrina evidenter sequitur quod Illustrissimus Cardinalis deduxit, Frustra scilicet satagere eos, qui hæc credunt, in sanctitate et iustitia ambulare; hunc in modum concludendo:

Frustra et inutiliter satagimus iis occupari, quæ ad nos non pertinere dignoscimus:

Atqui leges Evangelicæ, quæ pœnitentiam præscribunt, peccata argunt, ad nos non pertinent, quin potius Evangelium, quod nos concernit, est tantummodo concio de gratia Christi:

Ergo frustra et inutiliter satagimus operibus pœnitentiæ, peccatorumque fuga, nos coquere.

Quid hic Apologetæ Prædicantes? Nec sensum verborum Concordiæ investigant, ut enodare tunc nodum possint, nec scopum quærunt; sublestum illud adferunt, quod Concordia alio loco dixerat: *Evangelium accipi posse, vel pro tota doctrina Christi et Apostolorum, et hac ratione Evangelium complectitur concionem de*

pœnitentia: Velut confertur legi, atque ea ratione est duntaxat lætissimum nuntium non arguens aut terrens. Quid tum postea, Prædicantes, quod alibi 'Concordia hoc dixerat? An idcirco alibi non dixit, *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia Dei?* Et novumne est, Concordiam eodem ore calidum et frigidum stare? affirmare et negare? Sed tamen si locum illum a vobis nominatum, ad huius, quem Illustrissimus Cardinalis attulerat, explicationem spectare iudicastis; cur iunioribus, huic loco non aptastis? Ego hebetudinem meam ingenue confiteor. Assequi non possum, qua veri specie scopæ hæ dissolutæ coniungantur, locusque a vobis recitatus alteri, quem Illustrissimus Cardinalis adduxerat, lucem adferat; imo labyrinthum inextricabilem illis verbis inesse video. Nam posteriori illa Evangelii significatione, *quatenus videlicet Evangelium Legi opponitur*, si nomine Legis Lex Mosaica intelligatur, ut ex usu Scripturæ perpetuo intelligi debet, cum Lex absolute nominatur; eadem erit posterior Evangelii acceptio cum priori, et contra leges Divisionis, prius membrum posteriori claudetur, siquidem, complexio doctrinæ per Christum et Apostolos tradita, libris Evangelicis Apostolicisque contenta, et conferri, et suo modo opponi Mosaicæ legi potest, atque etiam solet. Si vero Legis nomine non solas Mosaicæ, sed et illas, quæ in Christi et Apostolorum scriptis continentur Præceptiones complecti velimus; præter quam quod omnino nova, inusitata, a Scripturæ et Patrum usu aliena est hæc Legis et Evangelii collatio, illud clarissime consequitur, controversiam Theologorum Augustanorum, quam censoria virgula decidere Concordia eo loco voluit, hanc fuisse; an Evangelium, seu potius consolationes Evangelicæ, quatenus legibus et præceptis in doctrina Christi et Apostolorum contentis confertur, seu (ut rectius dicam) quatenus ab iis secernitur et distinguitur, pœnitentiam præscribat, fugam peccatorum iniungat? Quæ sane quæstio non inter Theologos, sed inter mente destitutos controversiam habere potest, cum ex ipsa vocum notione clarissime constet Evangelium, ea præcisa ratione, qua consolationes continet, nec metum incutere, nec severa legum præceptione gravare homines. Ne igitur Theologos Augustanos tam diro stigmate inuramus, ut de re clarissima, non intellectis vocum notionibus, pueriliter ac stulte inter se digladiatos existimemus; fatendum est, controversiam inter eos fuisse, de Evangelio priori sensu accepto, et illud quæsitum: An hoc Evangelium, sit tantum concio de misericordia Dei, non de pœni-

Artic. 5. in
affir. assér.
5. 6.

tentia, vel de fuga peccatorum? librumque Concordiæ ad hanc quæstionem respondisse, cum ait: *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia Dei;* quia scilicet cætera, quæ præter mellita solatia continet Evangelium, nihil quidquam ad Libertinos Concor-distas pertinent. Ad Orcum hi sensus, unde nati.

Secundus Concordiæ error.

Secundum Concordiæ errorem, omnes honestatis, et pietatis fibras ex animis mortalium evellementem, illum dixerat Illustriss. Cardinalis: *Quod Passio Christi proponit iram Dei adversus peccata, ut agnoscant homines, quanta Dominus in lege sua a nobis exigit; quorum tamen nihil nos præstare possumus.* Ex quo intulerat Illustriss. Cardinalis: *Si nihil ex Divinæ legis præscripto agere possumus; Quid adhuc satagimus, in sanctitate et iustitia ambulare?* Cuius argumentationis vis erat eiusmodi:

Stultum et ab omni ratione alienum est, magno nisu id agere, quod fieri non posse certo cognoscimus. Quis enim non rideat eum, qui serio et ex animo conetur montem Fateram, aut loco movere, aut uno oris rictu absumere?

Atqui, si credimus Concordiæ, Nihil nos ex multis et magnis, quæ Deus præscribit, præstare possumus: Ergo stultum est niti ac adlaborare, ut legi Dei conformiter vivamus, hoc est, ut in sanctitate et iustitia ambulemus.

Tria hic Prædicantes. Primo quærunt: *An negemus, passionem Christi iram Dei adversus peccata nobis proponere.* Absit, Prædicantes, absit, ut hoc negemus. Imo maxime proponit iram Dei adversus peccata, Christi passio. Ostendit enim, creaturam puram non potuisse iram Dei, quam adversus peccata gerebat, mitigare. Ostendit fideiussorem, et quidem Deum ipsum, tam acerbo supplicio eluisse aliena peccata; ut cogitemus, quam acerbi cruciatus maneant eos, qui propriis sceleribus a Deo avertuntur. Illud solum in allato Concordiæ dicto reprehenditur, quod asserat, *Nihil a nobis ex legis Dei præscripto fieri posse.*

Secundo, aiunt Prædicantes: *Nihil ex propriis naturæ corruptæ viribus, nihil sine Christo, sine eius gratia et ope, fieri a nobis, ex Dei præscripto posse, quod ipsum* (aiunt Prædicantes), *ita ipse Dominus Cardinalis canit: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.* Hæc quoque, mei Prædicantes, vera

Conc. Art. 5.
in affir.
assert. 8.

sunt, Catholicorum sunt, qui uno ore fatentur id, quod Tridentinum Concilium his verbis definivit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem sperare, credere, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.* Sed vident Prædicantes Apologetæ, non hanc esse mèntem Concordiæ: neque enim de reprobis, aut qui a gratia excidunt, loquitur Concordia: sed de Prædicantibus, qui se Spiritu Dei agi, filios Dei esse, certo credunt; atque ideo in prima persona dicit: *Quorum tamen nihil nos præstare possumus.* Et alibi rursum: *Lex semper accusat, cum legi nunquam satisfaciamus.* Et iterum: *semper accusabit nos lex, quia nunquam legi Dei satisfacimus.*

Fol. 94. Tertio addunt: *et etiam auxilio gratiæ adiuti, nihil eorum, quæ Dominus in lege requirit, perfecte præstare possumus; ut nimirum opera nostra pure bona, et peccatis incontaminata proveniant.*
 Rom. 7. *Volentibus enim facere bonum, adiacet malum, hoc est peccatum, quod ita inquinat optimas quasque actiones renatorum, ut omnes illorum iustitiae, panno menstruatæ similes pronuncientur.* Hic demum vere mentem ac sententiam Concordiæ assecuti sunt Prædicantes.
 Isa. 64. Fol. 93. *Hæc enim sunt ipsissima Concordiæ verba: Nostra impletio legis est immunda.* Iterum: *Cum nullum opus satis mundum inveniatur, semper accusat lex, et parit iram.* Rursum: *Non debemus confidere nostræ dilectioni, cum sit immunda.* Sermo autem de ea dilectione erat, qua Deum diligimus.

Fol. 98. *Nota.* Verum si hæc ita se habent, vestram ego fidem appello Prædicantes, ut si cætera surda aure præterire placeat, his tamen alteribus lacertos admovere non dedignemini; quasque secum trahant consequias dogmata vestra, contortis conferte nugis, conspicilio adhibito dispicie. Primo, vos ipsi fatemini, et Apostolus propalam docet, cum bonum agimus, Deum esse qui operatur in nobis velle et perficere; Spiritu Dei impelli iustos; Deum incipere ac perficere in nobis bonum opus; ipso iubente fieri quæ per gratiam operatur in fidelibus: Atqui vestro sensu, quodlibet opus bonum sordidum est ac cœno peccati oblitum: Deus ergo vester est qui peccatum in vobis incipit ac peragit; quo iubente, quo agitante, polluta peccati sordibus opera perpetratis.

Sap. 14. v. 9. Psal. 44. v. 8. Certe Deus noster non vult iniquitatem, peccatum odit, ad scelus non impellit, ut ater ille Lutheri Didascalus: Cætera vobis cogitanda relinqu. Secundo, si omnia renatorum bona opera pec-

cata sunt; ergo ad salutem perniciosa sunt. Quid enim perniciem *Iacob. 1. v. 13.* creat saluti, si non peccata? Et ingenue id profitentur haud obscuri Lutherani; nec Concordia simpliciter abnuit, sed nude et aperte doceri ob summam turpititudinem vetat; *Damnamus, inquiens, cum nude docetur, bona opera perniciosa esse ad salutem.* Sed tegite ut lubet pudendam hanc nuditatem, nunquam tamen dedecus obvelabitis. Tertio, si bona omnia peccatorum maculis foeda, si immunda sunt: Igitur, qui sciens et volens bonum operatur, is profecto sciens et volens peccatum facit. Vel ergo Lutherani scientes et volentes bonum quandoque faciunt, vel nunquam: Quodcumque eligas, iureiurando adstruunt Prædicantes, nullum Lutheranum habere fidem. Nam Concordia, cui Sacramento se addixerunt, definit: *Damnum dogma esse illud, quod fides in Christum non amittatur, etiam si sciens volensque quis peccet.* Et saepe repetit, *non posse in iis fidem stare, qui peccant, cupiditatibusque obtemperant.* Alibi vero, veram fidem non esse, sed nudam hypocrisin, ubi bona opera non sequuntur. Sive igitur bona opera quandoque faciant, sive nulla umquam faciant Lutherani, iurant Prædicantes, fidem ipsos in Christum non habere. Amentatum mihi credite, est hoc telum, et nisi de abdurata cordis Prædicantici hebetudine concludatum esset, colophonem victoriæ hæc unica Demonstratio impuneret. Quarto, si opera bona mala sunt, cur ea bona vocatis? An simul bona et mala esse possunt? Nescitis bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu consurgere? Et, si actiones omnes sordidæ sunt, cur Apostolus opera fidelium hostias vocat, quibus Deum promeremur? Cur odorem suavissimum, spirituales hostias, Deo acceptabiles? Cur dicuntur bona facientes non peccare aliquando? Cur Virgo quæ nupsit, cur Iob plurima prolocutus non peccasse pronuntiantur? Quinto, si renatorum opera omnia peccatis foeda esse contenditis; recte igitur Dominus Cardinalis intulit, nihil opus esse magno nisu, ut in sanctitate ambulemus, peccata siquidem cumulamus, cum bona agimus; et quisquis ad bona alios incitat, Diaboli vices subit, peccatum suadet.

Hæc omnia recte consequi adverterant Prædicantes, ne tamen convictos se faterentur, futilem hanc argumenti larvam Illustriss: Cardinali supposuerunt: *Nos ex naturalibus viribus nihil eorum, quæ lex requirit, perfecte facere possumus: Ergo ne conari quidem debemus in sanctitate ambulare.* Aliud, longe dissimile, maiori iudicio, validiori dextera vibratum telum est, quod in viscera vestra

Art. 1. cont.
Art. 4. AB. 2.
negat.

Nota.

Art. 4. AB. 3.
negat.
Fol. 87, 88.

Fol. 123, 308,
561.

Heb. 13, 16.
Phil. 4, 18.
1. Pet. 2, 5.
2. Pet. 1, 10.

1. Cor. 7, 28
Iob. 1, 22.

fixit Romana purpura; nec excutitis, sed altius in ipsas medullas iactatione demittitis, hoc nimirum. *Stultum est, anxie in eo laborare, quod assequi non possis, et magno conamine iram Dei ultro accendere.* Atqui ex Prædicantium hypothesi, etiam auxilio Dei adiuti, nihil eorum, quæ Dominus in lege præcepit, præstare possumus; nec ullum opus pure bonum et peccatis intaminatum a nobis provenit. Ergo, etc. Ad hæc solida, silentio respondent Prædicantes.

Mitto, quam distorte verba Apostoli flectatis a sensu et mente ipsius remotissime; quam turpiter ea quæ Isaias de legalibus iustitiis, contra Dei præscripta, a populo sceleribus sordidato depensis affirmat, adversus omnes renatorum iustitias detorqueatis. Illud ridiculum est quod adnectitis: *Iustitia Christi imperfectionem operum tegit, et opera bona per fidem Deo accepta facit.* Quod ipsum his verbis inculcat Concordia: *Quod in bonis operibus pollutum est, et imperfectum, pro peccato et defectu non censetur.* Ne longum faciam, scire aveo, num aliquid eorum, quæ reipsa sunt, subduci oculis Dei possit? Haud ita vos delirare autumo, ut quidquam eorum, quæ usquam sunt, Deum latere arbitremini. Scriptura enim cum tegi peccata dixit, dimitti ac penitus tolli dicit, ut proinde videri in homine non possit, quod omnino in homine non sit. Atvero, ut peccati foeditas in opere hæreat, ea tamen Deo occulta sit, et licet ita de singulis iudicet, ut reipsa sunt, tamen, quod peccatum est, pro peccato non censeat; prorsus impossibile, Divinæque sapientiæ contrarium est. Nec fieri potest, ut quæ in se mala sunt, quamdiu quidem malitiam habent, Deo grata esse possint et accepta; cum odio sint Deo impius ac impietas eius; Ac vœ illi pronunciet, qui malum bonum reputat. Certe si in vobis Lutheranis singulari privilegio, imo singulari personarum acceptance, malum non est, quod in se malum est; nec furta, nec adulteria vestra mala erunt. Cur enim tegat fides unum facinus, non tegat cætera? Quod si ita est, susque deque 'habendum, scelerene an bono opere abundetis; cum utrobique peccetis, nusquam peccata vobis imputentur.

Tertius Concordiæ error.

Merito gravibus ac pæne Stoicis erroribus accenset Illustriss: Art. 1. in Negat. Cardinalis, quod Concordia his verbis tradit: *Non assentimur iis, asser. 6. qui tradunt hominis naturam et essentiam non prorsus esse cor-*

Fol. 307.
Art. 13.
Schmalcald.

ruptam; Sed aliquid boni adhuc in homine reliquum etiam in rebus spiritualibus, videlicet, capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam aut vires, quibus in rebus spiritualibus inchoare aliquid boni, operari, aut cooperari valeat. Ex quibus confici talis argumentatio potest:

Stultum est conari ad ea, ad quæ aptitudinem, capacitatem, facultatem, industriam, vires non habeas: Atqui ad sanctitatem et iustitiam, et universe ad quodvis opus bonum, non est capacitas, aptitudo, facultas in nobis, ut scilicet inchoëmus, vel cooperemur ad ista; Ergo, stultum est conari ad sanctitatem et iustitiam, ac generatim ad ullum opus bonum.

Quid hic subtiles mei Prædicantes expectorant? Directe ad id, quod propositum argumentum petebat, verbum nullum. Fortunati Prædicantes, qui si risu nequeant, silentio certe omnibus se argumentorum telis expeditunt. Alto ut opinor supercilio, noviter adepti magistratus fulgorem, ad hæc demissa et humi serpentia argumentorum tela descendere, nec decorum sibi, nec honorificum Antistitio suo arbitrati sunt. Nam respondere nescivisse, nec cogitare quidem patiuntur, vel togæ Damascenæ, quas pannoso palliastro commutarunt, eminuli supra mediastinorum Prædicantium turbam, nuper paupertini Superattendentes; vel albogaleri Flamen Diales, cidarisque ac mitra Pontifica; vel Nobilitatis (quam, dissimulata persona, a Regia Maiestate obtinuerunt) diplomata; vel coëmptæ millibus florenorum, numeratissimæ ac probatæ monetæ, e manubiis Bocskaiianis collectæ, domus, prædia, pagi Ecclesiasticorum hominum; vel demum argentea pollubra, et malluvia, aurato sociata gutto.

Nec tamen victi videantur; *Distinguit*, inquit, *Liber Concordiæ*, statum hominis ante conversionem, in conversione, post conversionem. Ante conversionem, negat superesse in homine capacitatem, aptitudinem, etc. quibus aliquid boni operari, aut cooperari valeat, quia non sumus idonei cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. In conversione, et post conversionem, cooperari voluntatem *Liber Concordiæ* fatetur. Verum hæc responsio, in eum, quem evadere cogitant, laqueum præcipitat Prædicantes. Nam si ante conversionem non est capacitas, aptitudo, facultas in homine, ut cooperetur Deo in bono opere; Ergo quando quis in peccatum lapsus est, tunc saltem stultum erit conari ad conversionem: Atqui, positum iam semel fuit, hominem etiam renatum, in qualibet actione inquinari peccato, et quod consequens est, perpetuo

immersum peccato, a quo converti debet; Ergo nullo unquam totius vitæ tempore, potest homo Deo cooperari ad bonum. Deinde, hac ratione, nisi Prædicantibus molestum sit, argumentationem instituo. Apud Philosophos ab esse ad posse, optimum est argumentum; licet non e contra. Ideoque recte ista consequuntur: *Socrates ambulat; ergo habet potentiam ambulandi. Socrates videt, ergo habet potentiam videndi.* Similiter itaque, apte ita concludam: *In conversione, homo Deo cooperatur: Ergo habet capacitatem, aptitudinem, facultatem cooperandi,* quia aptitudinem habet recipiendi motionem gratiæ Divinæ, qua excitatus homo, non ipse per se, sed gratia Dei cum ipso, operetur bonum. Nam certe novam capacitatem naturæ non addit actualis cooperatio cum gratia, quæ in ipsa conversione cernitur, sed eam supponit; et nisi supponeret, cooperari homo nullo modo posset. Adde, quod male tyrunculi Superattendes suam intellectuere Concordiam, tantum enim abest, ut loco ab ipsis citato, in ipsa conversione, hominis cooperacionem concedat Concordia; ut potius disertim damnet, qui docent, *voluntatem ad conversionem conferre, eam adiuvare, atque ad eam absolvendam cooperari posse.*

1. Cor. 15.
n. 10.

Atque ita, si bellam hanc doctrinam asser. 4. Concordiæ sequi libeat; dicendum erit, hominem cum credit, ac pœnitet, credendoque ac pœnitendo convertitur, nihil plus agere, quam si caudex esset; nec ad actum suum cooperari; imo nec facultatem et aptitudinem ad cooperandum habere. Quæ omnia non nisi habeti ac retusæ menti arridere possunt, certe omne studium, conatum omnem melioris frugis demunt hominibus. At enim inquit: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Et Augustinus illud ponderat: Sine me nihil potestis facere.* Respondeo: Sine Christi gratia nihil nos, quod ad salutem ac veram pietatem spectat, facere posse, verissimum est: hinc tamen non sequitur, non esse in nobis facultatem, ut excitati a Deo per gratiam suam, cooperemur, ac, ut Paulus loquitur, ita laboremus, ut gratia Dei nobiscum facere omnia dicatur. Tute saxum grande revellere non potes, adiutus ab alio potes; an idcirco recte dixeris, facultatem in te non esse, ut coopereris alteri ad saxum removendum? Apage sis cum his nugis, nec Scripturam distortim flectas.

In hoc Simili
est aliiquid et
dissimile.

Habetis, Prædicantes attentissimi, ubi vestra desudet diligentia, habetis crassiores, et populo etiam patentes, vestræ Concordiæ fuligines. O si subtiliores attingere liceret, quos mihi ludos daretis! Sed hæc satis ad præsens institutum.

Caput V.

CONTRA DIVINA AC HUMANA IURA EGISSE PRAE-DICANTES, CUM CENSUS CATHEDRALICOS, ETC. AD SE DERIVARUNT.

Tria libertati Ecclesiasticæ, sacris Canonibus, Divinis humanisque Legibus adversa, in Solnensi conventu, a Superattendentibus perpetrata fuisse, Illust: Cardinalis dixerat: Primo: quod in aliena diœcesi Synodus indicere præsumpserint. Secundo: quod census Cathedraticos, legitimis possessoribus Archidiaconis, per vim ademerint, proventusque Ecclesiæ datos, interverterint. Tertio: quod Ecclesiastici fori causas in se derivarint, appellationemque ulteriorem prohibuerint.

Negant quidquam horum contra ius et æquum a se perpetratum. Ego vero antequam frivolas ipsorum excusationes, velut aranearum telas, levi flatu disrumpam disturbemque; clarissimis, Capite 6. facio. nec ulla tergiversatione eludendis argumentisco monstrabo, verissime hæc omnia ab Illustris: Cardinali dicta fuisse.

De illegitima Concilii indictione.

Primo igitur, Indictionem Synodi, contra ius fasque usurpatam, sic ostendo: Divinis humanisque legibus adversatur, *ut contra sacrosanctorum Conciliorum decreta, contra usum perpetuum Ecclesiæ, contra proprium iusiurandum, Synodus aliqua celebretur: Sed Synodus Solnensis hac ratione a Prædicantibus Superattendentibus peracta fuit; Ergo, etc.*

Maior adeo clara veritate lucet, ut qui eam inficiari audeat, ad Anticyras amandandus videatur. Assumptionem ita comprobo: Iurant Prædicantes in verba Confessionis Augustanae: Hæc vero disertim docet, ea sola, quæ contra Canones noviter, sine certa autoritate in Ecclesiam irrepserunt, a se reprobari in Ecclesia Romana: Quocirca iuramento adacti sunt Prædicantes, antiquorum Canonum, et præsertim Nicaeni Concilii (quod ipsi quoque, licet alioquin sacra omnia profanent, sacrosanctum habent), autoritati, fasces Prædicanticas submittere. Nicænum vero Concilium palam

sancit: *Nullam Synodum legitime convocari, nec quicquam definiri posse, præter Romani Pontificis sententiam.* Quod sanctorum trecentorum decem et octo Patrum, pietate, doctrina, miraculis rutilantium, decretum obstitit, et obstat hodieque, quo minus schismatici Græci Concilium generale cogere audeant. Adde, quod constans ac perpetua fuit Ecclesiæ consuetudo, ut cum bona Romanæ Sedis venia, Metropolitani in sua Provincia, Episcopi in diœcesi, Synodos convocarent, quemadmodum videre est apud *Augustinum Epist: 217. dd Victorinum:* ubi ad Primatem Numidiæ pertinere docet, *Synodum in Numidia convocare nec fas esse, ut Numidiæ Præses Mauritanos convocet, qui suos habent Primates.* Qua de re Calvinum, veritatis vi coactum, audi loquentem: *Metropolitæ cuiusque erat officium, ut Provinciale Synodum statis temporibus cogeret.* In eo vero, quod subdit Calvinus, nihil juris habuisse Romanum Episcopum in Provinciales Synodos, mentitur, et Nicæna decreta perperam torquet. Magdeburgici quoque Lutherani eandem quam Calvinus, Metropolitanis fuisse autoritatem non diffitentur. Si igitur contra decreta Nicæna; Pastorumque, quibus divinitus obedire iubemur, mandata; si contra diuturnam possessionem; si contra iusiurandum Prædicantium, Synodus Solnensis indicta peractaque est: dubitabimus adhuc, Divinis ac humanis legibus contrariam eam coitionem fuisse?

Prædicantes Apologistæ vernaliter respondent: Primo; non a Ministris convocatam hanc Synodum. *Quid enim his iuris in Dominos Barones, Magnates, Nobiles, præsertim in negotiis publicum statum concernentibus?* Quid audio? Nullum ergo ius est Pastoribus in oves suas, præsertim in publicis Religionis ac Ecclesiasticæ disciplinæ negotiis? Inversa ergo omnia apud Vos? Oves præsident Pastoribus? filii regunt parentes? grex attendit Episcopis? Et ita vere est. Vilia vos Dominorum vestrorum mancipia? Aegonomi, non Pastores; agolo, non pedo digni estis; docetis quod docendum præscribunt; controversiæ vestræ pleræque, ac doctrina etiam vestra, ab ipsis diiudicatur. Accepto igitur quod dicitis, et vel hoc indicio ostendo, Lupos vos esse, Pastores non esse, qui si essetis, multum per onmem modum iuris esset vobis in vestras oves, præsertim in publicis Religionis negotiis. Deinde, incaute a se amoliri conantur, indictæ Synodi invidiam Prædicantes. Nam in iis Domini Palatini literis, quas 20. Iunii, Anno 1609. datas iam antea diximus, disertim fatetur D. Palatinus: *Ministrorum*

suggestione se adductum, ut precibus contenderet apud Dominos, ne ad Synodum venire gravarentur.

Secundo, respondent Prædicantes: *Et in Lege veteri, et in Ecclesia primitiva, a Regibus et Imperatoribus convocari solitas Synodos. Nicænam siquidem Constantinus; Constantinopolitanam Theodosius senior; Ephesinam Theodosius iunior; Martianus Chalcedonensem; Iustinianus Constantinopolitanam coëgit. Eorum igitur vestigia legens Dominus Palatinus, sœpissime sollicitatus, (a Prædicantibus scilicet,) Synodum Solnensem indixit. Si enim, inquiunt, iuxta articulum Anni 1608. Superattendentes habendi sunt; habendus quoque fuit publicus conventus, in quo tales personæ eligendæ. Multa sunt, quæ permiscent hic Prædicantes buttubata. Primum enim, Esto, habendi fuerint Superattendentes; non tamen inde sequitur, Synodum indici debuisse. Nam et Prædicantes antea creati sine Synodis; et duo tresve Prædicantes, demulcere barbam novorum Superattendentium poterant, novumque Magistratum hoc ritu inaugurate. Certe Catholici suos iam pridem habent Episcopos, nec tamen, ut ii sacro ritu consecrentur, Synodi indici solent. Deinde, Esto, Synodus indici debuerit; nego eam a Domino Palatino indici debuisse: eius enim munia ac functiones, officia, dignitates, obligationes, Ad defensionem iurium ac libertatum Ecclesiae, citra omnium iniuriam ac illegitimam offensionem, extant in legibus Hungariae: At, quod Synodos convocare debeat; quod Episcopos creare; quod leges Ecclesiasticas sancire; quod census Cathedraticos Archidiaconis, causas Ecclesiastici fori Sacerdotibus adimere debeat; nusquam sancitum in Municipalibus Pannorum legibus. Esto igitur, demus id quoque amicitiae Prædicantium nostrorum, et quod falsum est, iudicio ipsorum, erroribus assueto, verum esse concedamus; iusque permittamus sœculari Magistratui Synodum indicendi: certe nullum veteris Ecclesiae exemplum adferunt, nec porro adferre poterunt, ubi præter supremum Magistratum, aliquis alias Politicus, inferioris ordinis Magistratus, Synodum convocarit; sed Imperatoribus, sed Regibus, sed Principibus hæc autoritas conservata: Et tamen belli mei Prædicantes et Palatino, et cuivis alteri, dummodo sit Luthe ranus, ac rem confectam dare possit, ius indicendi Concilii per mittunt, atque hunc in modum argumentantur: Supremi Magistratus fuit in veteri Ecclesia, Synodum convocare; ergo Dominus Palatinus, iure Synodum convocavit. Quod, quia Prædicantico acumine dignum est argumentum, perderem verbum, quod illi*

In formula
juramenti
Palatalinis.

dissolvendo impenderem. Illud mirabile, quod aiunt Prædicantes; *nec quidem Dominum Cardinalem Metropolitanum Strigoniensem, Provincialis Concilii indicendi ius et potestatem (quam sibi arrogat), ullo modo (nisi forte ex Supremi Magistratus mandato) competere.* Ridenda, vel deflenda potius est, hæc Prædicantium tarditas. Archiepiscopus Strigoniensis, qui etiam Politica dignitate præcedit Palatinum, utpote, Primas Regni Hungariæ, Archiepiscopus Ecclesiæ Strigoniensis, quæ (ut leges Hungaricæ habent), *Iam inde fere a Christianæ Religionis in Hungaria primordiis, caput, secundum Regiam Maiestatem in Regno, omnium Ecclesiarum fuit; ex quo Religionis cultusque Divini, in toto Regno, vel tuendi, vel augendi, præcipua semper ratio dependet.* Hic, inquam, Archiepiscopus, Synodus indicere non potest, Palatinus potest? o tempora! o mores! Sed dicite tamen, dicite Prædicantes mei, quo iure? quibus tabulis? quibus rationum firmamentis, id quod Ecclesia universa, quod ratio, quod ipsa necessitas Primi concedit, vos adimitis? Tacetis? Obmutescitis? Certe Leges Hungariæ non sinunt solum, verum iubent etiam, ut *Episcopi Archidiaconos ad Visitationes emittant; Synodos celebrent; ac tempore Synodi teneantur omnes Plebani et Presbyteri, pro accipienda salutari doctrina, convenire: ac in Dominos, qui impedire hoc vellent, a Rege animadvertisatur.* Et alibi; *prælatos Ecclesiarum, Synodus ex institutione canonica, necessario celebrare habere in suis diœcesibus,* leges Hungariæ clamat. Si igitur Prælati in suis diœcesibus hoc ius datum, cur Prædicantes Archiepiscopi facultatem circumscribunt, imo circumcidunt.

At Regiæ Maiestatis dignitati hic consultum volunt Prædicantes, cum sine mandato Regis nolunt posse celebrari Synodos. Nihil est, quod hæc vos cura coquat et exedat, Prædicantes, Rex Hungariæ, Catholicae Matris Ecclesiæ filius est charissimus, qui ut Matrem, amat, fovet, protegit Ecclesiam. Scit Concilii Tridentini decretum esse: *Ut Metropolitani, quolibet saltem triennio, non prætermittant Synodus in Provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, et alii, qui de iure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur.*

Sess. 21. c. 2. de Reformat. Bulla Cœ. Excomm. 16. *Scit gravissimum Anathematis, non brutum, sed vividum, sed penetrabile fulmen, a summo Pastore in eos contortum, in Bulla (ut vocant) Cœnæ Domini, qui Archiepiscopos, Episcopos ac alios Prælatos impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica utantur. Ideoque gratissimum est Regiæ Maiestati, ut ad*

Artic. 15.
annī 1536.
Artic. 18.
annī 1550.

Artic. 41.
annī 1559.

Artic. 68.
annī 1498.

mores reformatos, ad corrigendos excessus, ad rem Catholicam promovendam, Archiepiscopus decreta Concilii Tridentini exequatur.

Ne vero longiori vos sermone morer, Prædicantes, quam temere ac falso a vobis dictum sit; Concilia olim non Sacerdotali, sed Cæsarea Constantini, Theodosii, Martiani autoritate indicta fuisse; ad Illustriss: Bellarminum vos ablego, qui *lib. 1. de Concil. cap. 12. et 13.* copiose refellit, non ea quæ vos mussatis, (nihil enim vos solide ac cum ratione, sed nuda asseveratione adstruitis), sed quæ dici pro vobis, ab eruditis viris potuissent.

De Censu Cathedratico interverso.

Evincendum iam est, rapones Popas, ac manducones lingulacas, Divina humanaque iura violasse; quod aliena ex quadra tubürcinantes, Sacerdotum Christi partiarios particulones sese per vim effecerint.

Et Primo: Vos ipsi, ut opinor dabitis, ad rem Attentissimi, de alieno rumen adipantes Prædicantes, publica vos Regni decreta violare, cum proventus Archidiaconorum involatis, comedonibusque vestris degulandam assignatis. Nam, scitis ipsi, nulla unquam lege, hanc vobis potestatem factam fuisse; aut, si viri estis, apicem unum ex Legibus, rapinæ vestræ patrocinantem. Nobis certe suffragantur Leges patritæ et avitæ, quæ nec rarerter, nec frigide sanciunt, *ut Archidiaconi Ecclesiarum proventus Cathedraticos exigant. De singulis Ecclesiis, quæ integræ vocantur, unus florenus, quæ mediæ, medius florenus a Plebanis exigatur.* Hæc, antequam vos nasceremini, sanxit Hungaria. Rursus, postquam vos infasto omne in orbem irrupistis; *Cathedraticum Archidiaconis solendum esse*, gravissima Constitutione decretum fuit. O si quid tale refugæ isti pro se adferre possent, quam festos plausus darent! sed evolvant omnia, nova, vetera, ne gry quidem in omnibus legibus pro hac rapina reperient. Si igitur emaciatum ventrem vacuamque ingluviem; si exsuccas inanitasque macore ac orexi lactes, læmargorum Superattendentium rapinis farcire; si lurcare alienas opes criminis deputatis: exerite vim omnem facundiæ vestræ, Prædicantes; doctrinæ energiam ostendite; persuadete Summaribus medioximis vestris, ut de suo, si non mactæa pollucibiliter obsonantibus, si non tuceta pergræcantibus, diarium saltem tribuant: et si non vino, deuteria saltem ac lora, seu posca aci-

Artic. 53.
ann. 1498.

Artic. 43.
An. 1569

Gen. 14. v. 23. dula sitim sublevent macticorum Superattendentium, sectemini generosum illud Abrahæ, cuius fide gloriamenti, facinus, qui ultiro etiam obtrusis Sodomorum opibus opulescere noluit, ne diceretur ab ipsis ditatus. Sed nihil promoveo, aquam ex pumice facilius exprimas, quam Dei causa quidquam erogent de suo, qui maiorum pietate Deo devota anathemata deruncinant, sacras ædes expilant, ac uncinatis manibus descobinatas depeculantur. Nam lapire corda novitas Lutherana potest; ad aliquem pietatis sensum illiquefacere Ruffin lib. 2. non potest: et tamen magnus ille Moyses, cuius exemplo vos cap. 6. abusos diximus, operibus magis quam verbis credendum de fide cuiusque existimavit.

Deinde; quia Leges, ut aranearum telas vespæ grandiores perrumpunt, validius age in ipsam Prædicantium conscientiam telum torqueamus; Liber ille Concordiæ, quem iureiurando compabant Prædicantes, ut invidiam potestatis Ecclesiasticæ violatæ,

Fol. 263. Apo-
log. de potest.
Eccles.

a suis averteret; *Sæpe, inquit, testati sumus, nos politicas ordinationes, et donationes Principum, et privilegia, non reprehendere.*

Ex quibus hanc rationem conficio: Iuramento se adstringunt Prædicantes ad Librum Concordiæ; Ergo iurant, non intervertere proventus, ac bona Ecclesiæ, Principum donatione Sacerdotibus collata, et consequenter iurant, Census Cathedraticos, Regiis Privilegiis, Regni constitutionibus, usu ipso, ac diuturna possessione ad Archidiaconos spectantes, alio non derivare. Et hæc forte cogitatio quosdam melioris mentis Prædicantes adegit, ut censum debitum Archidiaconis penderent; refugæ esse nollent; Apologiasque sui facti, nec inelegantes, nec inurbanis salibus conditas ederent, quibus frena tumoris Collegarum iniecerunt. Audiant igitur Prædicantes, non meam, sed suæ Concordiæ sententiam, qua, et repetundarum ipsos accusat, et æternis Inferorum cruciatibus adiudicat, nisi alienum censem, ruptis omnis iustitiæ repagulis,

Concor. f. 175. temere usurpatum, primo quoque tempore pendant. *Falsa est, ait*
Concordia, pœnitentia, si non satis fiat illis, quorum res occupatas
tenemus, non enim vere dolet se furatum esse, aut rapuisse is, qui
adhuc furatur. Tantis per enim fur et prædo est, dum est iniustus
possessor, alienæ rei. Hæc ibi rectissime, ad corculum plane novorum Superattendentium. Sed ad vos nunc mea se convertat oratio, Prædicantes, cæteris doctrina et probitate insigniores; qui neglecta Solensi denuntiatione, quod iure, ac more debetis, census Cathedraticos pendere Archidiaconis pergitis. Atque ne meis vos verbis,

*Apolog. de
confess.*

ad id quod facitis porro faciendum excitem, antiquissimi doctissimi
mique viri verba consideranda vobis propono: *Tiberius, Magistratus semel*
dados, ideo se iugiter permettere dicebat illis, quibus fuere concessi, *quod intelligeret consuli per hoc obiectis. In natura enim omnem administrationem hoc habere firmabat, ut circa opes acquirendas ficeret studiose festinare. Exemplum eius rei proferebat,*
quendam vulneratum, ad cuius vulnus muscae congregabantur plurimae, quem quidam transeuntium cum vidisset, miseratus eius calamitatem, ratusque quod imbecillitate nimia muscas illas a se non posset abiicere, opusque haberet alterius beneficio; interrogavit causam, cur sibimet ipse non auxiliaretur, molestiam repellendo muscarum? Cui respondens: Amplius, inquit, lœsiones importas, si has præsentes fugaveris. Iste quidem iam repletæ sanguine, non eo modo molestæ sunt, quin etiam aliquanto remissius insistunt: si vero his amotis alicœ famelicæ congregentur, ita illud vulnus invadent, ut etiamsi intereant, non valeant effugari. Quid velim, res ac tempus docebit, qui sapit, capit.

Joseph. lib. 18.
Antigl. Iud.
cap. 13.

Præter leges patrias, præter iuramenti Prædicantici obligationem, longissimi temporis Præscriptionem, tantum valere debuisse dixerat Illustriss: Cardinalis, ut sine manifesta iniustitia, autoritate privata, indicta causa, spoliari Archidiaconi suo sensu non potuerint.

Respondent Prædicantes: *Contra Ecclesiam, eiusque libertatem, non valere præscriptionem: Eum, qui non laborat, non debere manducare. Cum igitur Archidiaconi, Ecclesias ad eorum ædificationem non visitent, Ministros non defendant, purum verbum Dei proponi non current, contra voluntatem Domini operentur; communijustitiae adversantur, si censum exigant.* Ridicule omnia, præpostere, ac plane Prædicantice omnia, mittite ridicularia Prædicantes, disertim dicte; si contra Ecclesiæ libertatem est, census lege præscriptos Archidiaconis pendere, cur non adversatur libertati, rigida Superintendentium exactio? Esto enim, Religione a vobis Matth 17.v.28.
dissideant Archidiaconi: par erat tamen assectari vestigia Christi, Luc. 20. v. 25.
didrachmum Gentilibus persolventis: Decebat Christi et Apostolorum Rom. 13. v. 7.
mandato obtemperare, nec solum quæ Cæsar is erant, Cæsari reddere, sed et cui tributum debebatis, tributum persolvere. Nam si Archidiaconi Ecclesias vestras non visitant, vitio fit vestro, qui iugum excutitis.

Cætera quæ de puto Dei verbo, ab Episcopis et Archidiaconis

postposito, deque Domini voluntate violata iactatis, logi sunt; dici possunt, probari nunquam possunt. Et si viri estis, Prædicantes, excutite Codices omnes Magistrorum, vim ingenii ac eruditionis omnem admovete, et non omnes, non plerosque Fidei articulos, sed unicum Ecclesiæ Romanæ dogma deligite; illudque tale, quod optime et potentissime cum puro Dei verbo committi posse iudicatis; in eo solo ostendite clare, hallucinari, falli, contra Scripturam credere Catholicos. Id si præstiteritis, me primum, cæteros deinceps, ut spero, obsequibiles habebitis, qui longum Ecclesiæ Romanæ vale renuntiabimus. Nam qui in uno fallit, in reliquis fidem suam incertat. Et cur ego astruenti res varias, tanquam a Deo dictas, magis assentiar uni, quam alteri? aut quo spiritu vera a falsis secernam? Cur non pari iure credam mentitum in omnibus, qui ausus fuit in uno? Quod si a nobis poscitis, ut ad nudam asseverationem vestram ad meras æstro perciti capitis vestri offutias, ad aniles Scripturæ interpretationes, quas comminiscimini contra unanimem sensum et consensum antiquorum, qui Domini mentem ab Apostolis eorumque Discipulis suixerunt, erroris nos convictos fateamur, dabitis nobis, opinor, hanc pro vestra humanitate veniam, ut chirurgum e vestigio accersamus, qui cucurbitulas fronti adnectat, vel opportuna phlebetomia furorem abigat, ne diutius mista lachrymis commiseratione, phrenesin vestram contueamur. Frustra enim nobis Patrum scita, solidæ tuitionis iacula, validos vindiciarum enses, ereptum itis; frustra tritum gladiatoribus inclamatis, *paribus armis* et hæc arma quæstionum omnium diribiticia, *Solam Scripturam* vultis; nisi prius designetis, quis sensuum Scripturæ abdita sine periculo erroris emedullabit? cuius arbitrio fasces submittendæ, si de Scriptura ipsa lis suboriatur? Nam ut cuiusque iudicio, etiam mulierum, Scripturæ interpretatio permittatur; ut alta illa et abdita sensuum Scripturæ, omnibus obvia esse, nec facula certæ interpretationis egere existimemus; haud equidem a nobis obtinebitis. Si enim adeo clara omnia, cur ipsi Lutherani et Calviniani duces, de vero Scripturæ sensu, tam infestis concurrent signis; nec velite, aut rorario milite, sed totis castris decerant? cur horum singuli, suum a Veritatis spiritu haustum prædicant sensum, cum adversantia a Deo non denascantur? Hic limes omnis inter nos disceptationis, hic nodus Gordius, quam nisi dissolvitis, frustra estis, nam de Scripturæ maiestate item

non movemus. Illud quærimus; Inter tot pugnantium sententiarum anfractus, quis veram nobis Scripturæ mentem ostendet? Quis in latentia sensuum lumina detenebrabit? Delira illa anus? hic de subula sutor? ille a bura et stiva Corydon? Si enim sua luce omnibus lucet Scriptura, cur non et istis? cur non peræque Calvino, Blandratæ, ac Luthero? nam æque hi omnes, sola sponsione divites, Fidei nomine gloriantur, tamquam si quis hedera superbiat, vino vacuus.

De Causis fori Ecclesiastici usurpatis.

Gravis omnino res est, si quem adeo insanabile teneat dominandi cacoëthes, ut tribunal novitium sponte sua erigere, iudicariam autoritatem, sine Regio consensu, usurpare audeat. Gravius, si cum eorum iniuria id fiat, quibus iure ac more, publicisque Regni Constitutionibus, competit ea diiudicatio, quæ ad novellum tribunal dducitur. Gravissimum vero, Legibus permissas provocaciones intervertere, et tanquam obsidiis obnoxia capita abstrudere. Hæc omnia fecere Prædicantes in Conventu Solnensi; ideoque merito dixit Illustriss: Cardinalis, nævum prævaricationis Divinarum Humanarumque Legum, nulla nymphæa eluere posse Prædicantes. Quid enim? An non *in Art: 10 et 11.* Solnensi, hæresis, adulterium, aliæque gravissimæ caussæ Ministrorum, ad Superintendentium subsellia deducuntur; ulterior provocatio prohibetur? Non ita Leges Hungariæ, non ita avorum nostrorum sanctissima, æquitatisque plenissima scita, quæ caussam Hæresum, ac suspectorum de hæresi; caussam matrimonii ac accessoria eiusdem; caussam periurii, testamenti, usurarum; caussam viduarum ac miserabilium personarum, ad Spirituale forum, ad Prælatorum ac Vicariorum iudicium deferunt. Nec id solum, sed definitum etiam fuit; (a) *Iudicia Ecclesiastica secundum iura Canonica semper iudicari debere.* Præterea illud quoque Legibus Regni constitutum; ut ab Ordinario liceat ad Metropolitanum provocare, *Art. 17. anni 1481. et Art. 10. anni 1495.* Ac demum de appellatione ad Romanam Curiam, vel præsentiam Legati, hunc in modum decernitur: (b) *Nemo quempiam ad Romanam Curiam citare præsumat, nisi primum, coram suo ordinario Diæcesano, Archiepiscopo, vel Episcopo, aut eius Vicario, iuridice procedat; tandemque dum partium aliqua se aggravari senserit, caussam*

Art. 3. anni
1462.

Artic. 17. an.
1464.

Art. 9.an. 1458.
(a) Ar. 27. ann.
1563.

Et art. 25.
ann. 1567.

(b) Art. 45.
ann. 1492.

huiuscemodi, in Curiam Romanam, vel præsentiam Legati, per viam appellationis, et non aliter, deducere possit et valeat.

Hæc omnia, adeo clara, adeo usu roborata Regni decreta, violant Prædicantes: et tamen ipsi innocentissimi, nullis iniurii. At si quis ipsis omnia susque deque versantibus, aliena propalam degulantibus, obsistat; et fas, et leges, et quietem publicam eversum ire denuntiatur. Sed amabo, solvite hunc Prometheus, melliti mei Prædicantes, cor enim, ac viscera mea, scrupulus exedit unicus: Esto, forum Ecclesiasticum apud vos erigatur; esto, iuris dicundi authoritas ad vos deducatur: Quæro, quos Canones, quam iudicandi formulam, in causis decimarum, matrimonii, dotis, etc. sectabimini? Nam Leges patriæ nihil de caussarum huiusmodi diiudicandarum norma aliud tradunt, quam ut iuxta Canones iudicentur. Illos Canones nominant, quos publicitus Luther, Propheta meribibus excusset. Quid igitur agetis? Ut Turcarum Kadi, ex tempore, quod verum videbitur, edicetis? res illa periculi plena est, et discrepantes sunt virorum etiam prudentium de iisdem rebus sententiæ, in rebus agendis. Nec inter eos degimus Philosophos, qui id verum affirmabant, quod cuique videretur.

Verum enim vero, ut gratum vobis faciam, vestrumque sublevem ex parte laborem Prædicantes, licet camerinam hanc invitus commoveo facem, tamen præferam, et chrias, ac veluti acroamata Canonesque, ex progenitoris vestri placitis colligam, in una matrimonii caussa. Postquam igitur satis iam suos dogmatistes ingurgitari,

Luth. tom. 5. helluari, pergræcarique docuisse; His tandem illicibus ad omnem
Lat. Vitæ. turpititudinem scitis, altissime turgente a zytho, plenis Lausto cissibiis
p. Lufft. anno 1554. in aqualiculo, libidinis scintillas conflabellat: *Si alter coniugum, ex*

1. Cor. 7. *iracundia separatus, in gratiam redire nolit, alter continere non*
fo. 111. *valens, poterit cum alio contrahere. Nam cum illi præceptum non*
sit, ut caste vivat, et expers corporis esse non possit, non compellit
eum Deus ad id, quod suas vires superat: faciendum ergo perinde
est, ac si ille diem suum obiisset. Hem! quid audio? vivere non

potest Lutherus nisi ad aliquod steroris æstuarium restinguendæ
libidinis ergo decurrat? Et vestræ virgines, et quæ Delphis
insaniebant Diaboli candidatae, nubere nesciebant; sola caro, lavacro
Christi lota, igne Spiritus perpurgata, pruritus petulantes domare

Fol. 112, 113. *nesciet? Sed pergit inibi Lutherus: Si maritus uxorem ad furtum,*
vel quodcumque aliud flagitium instruat, eadem cum hoc divortii
ratio est, ius est alteri contrahendi Matrimonium. Quod si et

secundum coniugium male cedat, et alter alterum coniugem impie vivere cogat, vel fugiat, libertas datur, ut quoties res postulat, alteri coniungatur, etiamsi decem vel plures trans fugas uxores habeat. Quod si alter coniugum absit, redditum, vel obitum eius expectabitne coniux, ut hactenus usus tenuit! Respondeo: Si præstalari voluerit, in eius benevolentia constitutum sit; opus tamen non est ut expectet, sed statum suum permuteare potest. Si igitur maritum biduo, si semestri, abesse contingat, laxata sunt iugalis tori vincula? Licebit virosis mulieribus ad obscenissimas libidines adhinnire, ignibus inverecundis exæstuare? Lutherus enim tempus expectationi non præfigit, sed Veneri eandem quam cibo et potioni, legem figit. Pergit. Fas est ut uxorem fratris mei defuncti ducam. Consobrinos iungi inter se; patris vel matris sorori copulari; neptem ex fratre, vel sorore; uxoris sororem, ac eiusdem consobrinos, et neptes inire, nihil prohibet. Sed ne Canonum copia obruat, sat erit illa Lutheri in ipso templorum vestibulo, reductis omnibus pudentiæ velis, depingere, ut nupturientes ac catulire incipientes ancillæ, incientes fordæ, gallulantes et qui hirrire cœpere iuvenes, memoria teneant. Reperiuntur adeo pertinaces uxores, quæ et si in libidinem maritus prolabatur, non curant. Hic opportunum est, ut maritus dicat: si tu nolueris, alia volet; si domina nolet, veniat ancilla. Imaginandum tunc est marito, suam sibi uxorem a latronibus raptam et imperfectam esse. Audes hæc egelidatæ erubescentiæ ad posteritatem itura verba impuro ore? audes impudenti calamo has sordes evaporare? audes natantes libidine renes defibulare, ut a quovis viro, nauseet uterus, fluant ubera? et ganeas ac lulanaria in ædibus singulis eriges? et ad hæc carnei a fœmineo macello Evangelii scita, ad omnem oculum exancillantia sectatrices non erubesces? Deum immortalem! in quæ tempora reservati sumus? qui Cynicis Philosophis erubescenda propalam docet, Propheta est, Apostolus est! Ne tamen absque ratione hæc paradoxa docuisse videretur, gravem, ac novo Evangelista dignam probationem annexis: Ut non est in tua potestate, ut fœmina non sis, sic nec in te est, ut absque viro degas: Nec enim libera est electio, sed res natura necessaria, ut fœminam oporteat mari sociari. Magisque necessarium, quam edere, bibere, purgari, somno intentum esse. Neque possibile est, ut castus maneas. Quis ab hac arena exemplum continentiae speret, in qua nemo magis carnem comprimere potuit, quam non comedere, non bibere? Apage has sordes, hæc luxuriæ

Eod. Tom.
Sermo : de
Matrimo :
fol. 120.

Eod. Ser.
fol. 123.

Ibid. Fol. 119.

invitatoria, aurium publicarum reverentiam incestantia. Scilicet, hæc, quæ una necessitate, una evitandi impossibilitate, et pudorem, et timorem exhauiunt, eam partem, quæ concuti cupiditatibus solet, commalassabunt. Sed manem detabula. Si quid addo, vereor bilem feroculis Prædicantibus concitabo.

Caput VI.

NIHIL AB ILLUSTRISS. CARDINALI CONTRA LEGES PERPETRATUM.

Hic vero flammant ignivomi Prædicantes et quem vincere veritate non potuere, minis ac terroribus frangere moliuntur. Sed si Sacerdotalem constantiam ab ipsa modestia, ad omnem humanitatem ac lenitatem efformati Cardinalis novi, non ita alsiosus est, ut rigescat ad hos verborum flatus. Maior illi metus imminet a Principe Pastorum, si quam in se desiderari patiatur pastoralis vigilantiæ functionem, eoque hunc quem ingeritis, minorem, metu obruit. Cum igitur in iis omnibus, quæ superiori capite commemoravimus, manifestos se legum Ungariæ violatores esse intellegent Prædicantes; paratragædiant, ac suas alteri sordes affricant; Illustriss. Cardinalem Maiestatis arcessunt; ipsum *turbatorem esse*; *gigantea audacia se decretis Regni opponere*; *dissensionum facem in regno accendere*, irate satis criminantur. Sed, parcus ista viris, cum eo vobis negotium est, Superbientes, (Superattendentes dicere volui) qui resorbenda vobis in faciem regeret mendacia vestra, et recte illud vobis occinet, *Non ego turbavi Israel, sed vos*, et *domus patris vestri*. Vos enim scoriam domus vestræ in nos transcribitis: vos malaciam hanc ac bonariam, iterato turbatam iretis, si opis vestræ esset. Subit animum Apologus, Luporum ferociam propalans: *Casu ad præterfluentem Lopus et Ovis una venere, ut sitim restringuerent. Lopus fonti vicinior potat, et turbat aquam: Ovis infra illum, turbidam haurit. Toruum Lopus tuetur; cur fontem turbet? cur fæces alvei putentes sibi propinet? ab ovi-cula sciscitur*. Cui innoxia Ovis; turbare se posse negat, quæ inferior potet. At turbas, inquit Lopus, simulque ream sui palatus sensu, *Ovem arripit, discerpit*.

Hoc schemate, vos Prædicantes, quod delinquitis, Sacerdo-

tibus allinitis; turbas quas concitatis, in nos transcribitis. Vos estis, qui palam, atque ita ut nulla tergiversatione obvelari possit, Regni decreta violatis; qui, ut vastum oris chasma, cui antea vix cibarium panem cilbæ præbebant, ipso frumenti polline saginaretis, censem Archidiaconorum clepsistis; qui ius convocandi Concilia; qui Ecclesiasticorum iudiciorum dignitatem, per vim arripuitis. Et nos, si vel hiscere contra audemus; turbamus, rei Maiestatis efficimur? Amabo vos, terricrepi Prædicantes, noxam hanc unicam amittite, liberam hac vice veritatem audite si post-hac vel tussiendo vos turbulentaverimus, indomitam iracundiam laxatis effundite lupatis. Dicte itaque avitæ Religionis voragine, quorum consilio, atque impulsu, post nefarios cœtus ac conspirationes, tot iunocui sanguinis torrentes, tanti Nobilium cadaverum aggeres, non integro triennio, visi in Ungaria? Submovere contentionem: rem totam momentis suis pensate: et scelera quæ nobis appingitis vestra esse, vos ipsi cognoscetis. Vester erat turbulentus Foktoi, qui Haidones, turbinis instar Ungariam versantes, ad rapinas, direptiones, cædes, flabello linguæ excitavit, consilio, auxilio iuvit. Vester Alvinci ardelio (cæteros taceo), cuius concionum folles, odium Germanorum, Catholicorum detestationem, popello instillarunt; quibus inprimis armis, Bocskaiana potentia fulciebatur. Scilicet Sacerdotes, non Heterodoxi prædicantes, Haidonum exercitum ductabant, cum a cauponibus humani sanguinis, imo animarum, supra septuaginta Christianorum puerorum millia, Turcis Tartarisque, vili mercede, acinace, equo, commutabantur: Aderant Sacerdotes, libertate proposita animos accendebant: cum spe lucelli, de requie sepulturæ cadavera extrahebantur; et ab inhumanis pollinctoribus, ab opicis vespillonibus, non sandapila, sed heroum mausolea, sed sugrunduaria nobilissima, everterentur, putentibusque digitis annuli detraherentur. Sacerdotes erant, qui Proles Palatini exhumata.

doctrinæ flatibus, omnia devenustent; ut summa ametria in nos bacchentur, tantum non obruant; et Pastores nostri sola armati indolentia amerimnos connivebunt? ut dedititii, demussata contumelia omni, meros iunculos, mera liba, mera mellatia ac delinimenta porrigent? et cincinnata de capsula oratione, pollincto medicamentis calamo, crispa ad venustatem dictione, impetigini capistratorum in Augiæ stabulo Prædicantium adulabuntur? Laudes proiicient? Nec vacerros istos verbicrepos veritate clatrabunt? nec malagmata sauciatis admovebunt? Absit, absit, Clibanarii milites sunt Pastores gregis Christi; Panicos terrores nesciunt, et quamvis cessim ire quandoque videantur; cedere tamen, contagioni vestræ connivere, stationem deserere, haudquaquam possunt. Nihil apud se (mihi credite) vobis defieri sinent; quin ex illo divite veritatis bona copia cornu, ex illo Scripturarum ac veteris Ecclesiæ armamentario, omnigena in vos tela contorquebunt, coercebunt proterviam vestram, hostient, indagmeque cingent ferociam. Et quamvis vela nunc vobis tumeant secundo vento; procella tamen involvi, everti potestis. Et periculum in properantia esse cogitate; *et fractis rebus, violentior ultima virtus,* prudensque illud a magno viro consilium, *in secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet: nec præsenii credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertus sis.*

Silius
It. Livius.

Sed, ut unde abierat, eodem revertatur oratio: Si pudor aliquis in fronte, si fides in corde est, Prædicantes, edicite, qua tandem se Illustriss. Cardinalis decreta Regni violavit? Certe Cardinalis, ac totus status Ecclesiasticus, plurimique alii Catholici viri, in publico Regni comitio, libertati professionum, quanta maxima potuerunt contentione restiterunt: At in edicto, quo Solnensis acta reprobata, verbum nullum ea de re; id solum reprehenditur, quod contra Nicænos canones, contra proprium iurandum Prædicanticum, Superattendentes sint inauguriati; quod iura Ecclesiastica, quod decreta Regni violata, Cathedratico censu interverso, causarum diiudicatione temere usurpata, his enim in rebus, publicarum vos legum violatores esse, iam antea comonstravimus.

Adiunxerat Cardinalis: tametsi aliquid eorum, quæ ipse suo edicto reprehenderat, peculiari articulo Regni permissum foret: ex ipso tamen corpore iuris Ungarici (quod perstat semper, cæteris articulis annuatim velut æstu quodam, accessione, abrogatione

variatis) constat; *Leges contra ius Canonicum, Ecclesiasticæ libertati contrarias, invalidas esse.* Hic minantur Prædicantes: *Videat Dominus Cardinalis, ne nimis calidum bolum ori suo ingerat.* Vocem furore gravidam, et iam iamque magnum aliquid enixuram, si non abortiat; Tumorem, qui nisi delinifco cantu cito deturgescat, propinabit ultiro viscera. Sed, ne vos aliquid celem, amica pectora Prædicantes, dum ista cunarum terriculamenta minatiasque muginamini; commasculatis, non frangitis generosa ac Christi calore fevida pectora. Nec Pastor vigilantissimus veternosas eloquentiæ vestræ spumas, aut Ostracismos, quos pridem machinamini, perhorrescit. Frendeant, fremant, despument, rabia rabiant Prædicantes: animus tamen ille, qui nec nubilo livet, nec turbine glomeratur, veritatem vindicare, ituraque in omnem pesteritatis memoriam, generosi animi documenta dare, non cessabit. Et, ut medicus in insanabilibus, si malum dispellere omnino non valet, adhibet malagmata in levamentum: ita, Cardinalis, vires omnes advocat; si non in universam erectionem, in non temnendum certe fulcimentum, trabali telo impotentis fortunæ. Intelligit enim, conatum a se, non felices exitus rerum exquiri. Et tot adversæ fortunæ ictibus iam dedolatus Pastoralis animus, tanto longæ pietatis usu vigorosum pectus, maiorique ac meliori cœlestis iræ metu subacta virilitas, minores quos ingeritis metus retundit; consultius iudicat, in hac mundi area, variis perpessio- num flagellis triturri, quam æternum torqueri, atque ut hederam, quantum velis premas, assurgit nullo præeunte: ita Cardinalis gloriam, quo mendaciōri dente momorderint Prædicantes, malignio- reque liventia depresso iverint, eo magis exsurget, ac ad omnem posthumam ætatem perennabit. At at; salubre consilium ab amico pectore Prædicantes ænigmatistæ: Si calidiorem ori ingesserit bolum Cardinalis, autor sum, longe abscedite. Væ arunco vestro, si quem tenere non poterit, in faciem vestram expuet bolum.

Post has pueriles minacias, de legulis, legulei fiunt Prædicantes, et inscite aiunt: *Non ita haberi verba Prologi, quæ a Cardinale proferuntur, sed hunc in modum: si circa ea fiunt statuta, quæ salutem animæ concernunt. Superattendentium vero creatio, in se; causarum diiudicatio; census Cathedratici exactio; salutem animarum non concernunt.* Principio, confessionem hanc vestram accepto; Superattendentium creationem non ad animarum salutem, ad earum exitium spectare. Certe Episcoporum Ecclesiæ Christi Ephes 4. u 12.

ordinatio, in se, et per se, ad animarum salutem ordinatur, ut scilicet, quemadmodum Apostolus ait, fideles ab erroribus defen-

Heb. 13. v. 17. dantur; verbi Dei pabulo reficiantur ab iis, qui rationem de animabus daturi sunt, Episcopis. Deinde si in se aperta ac clara,

Nota. quam quisque ex vulgo manibus attractare potest, adeo procaciter veritatem pervertunt Prædicantes, quid de obscurioribus cogitan-

Prolog. dum? Nulla re alia, ad fraudes retegendas opus, quam ut ipsa *Tripart.* Tripartiti verba consignemus: *Quærendum videtur, An valeat statutum contra ius Canonicum, vel naturale, vel Divinum? Dic, quo ad ius Canonicum:*

Si statutum sit contra libertatem Ecclesiæ diuturnam, vel privilegia eis concessa, non valet. Idem dicendum, si circa ea fuerint statuta, quæ salutem animæ respi- ciunt. Videtis Prædicantes, primum ea, quæ contra privilegia antiqua ac libertates Ecclesiæ, Canonibus repugnantibus statuuntur, invalida pronunciari; deinde seorsim illa, quæ animarum salutem concernunt. Arbitror, post adiicialem adipalemque cœnam, quasi super mensam debellaturi Alexandrum, fumis vaporatis occupato cerebro, vel non percepisse, vel quod vero proprius est, de industria pervertisse Prædicantes, decretum; et quia tantis terriculamentis farserant Apologiam non arbitrabantur fore, ut verbum ullum reponere auderemus. Sed absit, ut metu ullo, Veritatem prodamus; armis, seditione, tumultu, rapina alienorum (solitis Prædicantium in Evangelii novi propagatione armis) non agimus; accipere quam inferre iniuriam malumus: nihil contra quietem publicam, nihil contra Regiæ Maiestatis dignitatem, nihil in vos ipsos contra iura vicinitatis, admittemus; sed veritatis clypeo tecti, orthodoxam fidem contra novellas opiniones ac distortim flexas Scriptaræ interpretationes, defendemus intrepidi; lingua, calamo, precibus, lachrymis, creophagia, cameuniis pugnabimus; et ut cum Tertulliano dicam: *Nos ieunii aridi, et omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volutantes, cœlum tudimus, Deum tangimus, misericordiam extorquemus.* Non in curribus et equis, sed in nomine Domini spem reponimus; qui auferet frenum erroris, quod est in maxillis populorum.

Tertull. Apo-
log. c. 40.

Isa. 30. v. 28. Denique, si Decretum Tripartiti, ita ut a vobis refertur, conceptum fuisset; an nihil idcirco vobis officere arbitramini? Dicite obsecro, an ad salutem animarum nihil pertinet, omnibus sectis libertatem permittere? a veritate desciscendi, falsis ac æterno exitio natis erroribus adhærescendi, potestatem facere?

Hæc habui, Prædicantes, quæ properanter, subitaria hac, ac vix hebdomadis unius morula, contexta dictione, vclut proludia, ad accuratam, ac iudicio vestro invictam, numerisque omnibus absolutam Apologiam, xenii loco reponere libuit. Si quid ad salivam vestram, si quid ad delicatum exquisitisque assuetum stomachum dixi; si medicinam ophthalmiæ vestræ, collyrio hocce feci; Deo gratiæ, cuius est, quidquid boni in abiecta sua creatura est. Si vero (quod nolim equidem) mœstitudine vos affeci, bilemque fermentescentem concivi; Principio, cogitandum vobis est, necdum asarotis ornata tecta vestra, ut nullo inibi peniculo sit opus. Deinde, bono animo, ægrimonie hæc non est ad mortem. Et illa, quæ putridos e corpore extrahunt humores catapotia cathartica, mordicant, turbantque primum, nec sine sensu ac molestia; sed spe meliorum, durant mortifera febri divexati: et licet gemant inter manus medici, easdem postea mercede cumulant, levique incommodo magnam ægritudinem depellunt. Idem ut in animis vestris, medicata hæc potio faciat, vosque gravi ac periculo morbo laborantes, pulsa cruciaria hac febri, sanitati restituat, æternamque vobis beatitatem transcribat, animitus cupio, ac oro.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Psalmo 88. Vers. 5.

*Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Memor esto,
Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo,
multarum Gentium: Quod exprobraverunt inimici tui, Domine, Quod
exprobraverunt commutationem Christi tui.*

APPENDIX.

In qua, anonymi Sycophantæ glomeratæ criminaciones, infabre commissæ fabellæ, in Pontificem Max. e triviis compotabilibus mutuatæ, ac rhythmis Pannonicis cantitatæ, iugulantur.

Hoc ipso anno, adulto iam vere, petulans quædam, nihil prorsus habens civilis modestiæ, ceriti ac helleberosi aretalogi, et ut ex schemate scriptionis coniecturam facis, Prædicantis bomolochi, cantilena prodiit; vestita facetiis amarulentis, prægnans acerbis pseudologiis, sutellis, aculeatisque attigvarum criminacionum struicibus: quibus undique Summum Pontificem ambest, harpiæque instar attaminare; collutilareque Maximi Pastoris existimationem laborat.

Tota vero fabella eum in scopum dirigitur, ut nugacissimis et omni verisimilitudinis specie viduatis delirationibus, imperitæ plebeculæ aures inconsultas, odio Ponticis, Catholicorum detestatione replete; blasphemiae suæ tenebras, in lucem Maximi Pastoris, effrenis gerro intervomat; petulantisque linguæ laciniosis strophis depretiet Catholicos; illudque persuadeat: *Pontifice auctore fædus Turcicum, ante annos viginti, violatum fuisse, eo consilio ut heterodoxi in Ungaria opprimerentur ab iis, qui verbo quidem contra Turcas pugnaturi, re autem vera Acatholicos oppressuri mittebantur.* Adhæc, postquam insigni mendacio, Clementis V. famam commaculasset, ex eiusque unico, et quidem conficto exemplo, generatim conclusisset: *Romanos Pontifices adæque omnes veneficos esse*, hoc est, veneno in eos, qui iugum excusserunt, grassari; concludit: *Stephanum Bocskai, Regem Ungariæ, (sic appellat) auctore Pontifice veneno sublatum, a Michaële Katai, qui e Calvini castris ad Pontificis obedientiam redierat. Et ne temere, ac sine fructu, hæc tam infestiva scribere videretur; illud prodiga ac infrenis lingua, eluvie cloacalis fœculentia, tetterimaque verborum colluvione æstuans, subdole ex his dedu-*

cit: Viros Catholicos, ad nullam publici munieris partem admittendos, cum et Bocskai idcirco Regno ac vita spoliatus decesserit, quod Catholicum hominem consiliorum secretorumque participem esse voluerit.

Hæc summa est libelli famosi, sarcasmis scomatibusque phalerati: qui etsi unico quaternione totus continetur, centum tamen in eo mendacia adnumeravi; quæ ordine recensere non attinet, ne hominis impudentissimi nugalibus lectorem detineam. Summa criminacionum capita detergam; mentitæ frontis stibium, incautæ mentis decipulas retegam; ac columnias volitantes, veritatis radio ustulabo: ut palam sit, nudis, ac pudendis mendaciis traduci Pontifices, adedi Catholicos, adhamari laqueis iam irretitos a Prædicantibus, quos fœcunda largitione, artibus suis opulentat, qui mendax ab initio fuit. Et sane, cum hæc ab araneis mella, lac a scorpionibus distillatum spargunt Prædicantes, adeoque impudentibus adamantinæ frontis mendaciis lancingant arroduntque Catholicum decus; id unum agunt, ut sectæ suæ turpitudinem propalent, quæ tam pudendis fulciri incrustarique debet mendaciis. Nam Religioni orthodoxæ, isti venenatorum obloquiorum infames latratus, nihil quidquam incommodant. Romana vero tiara, ad quam Prædicantes baubant, tantis sæculis stat immota; tot iratorum fluctuum verberata ictibus, ne vestigia quidem ostendit sævitiae; sed velut adamas, impactum in se ferrum omne retundit et licet nulla sit hodie infamis penna, a qua non vapulet; omnia tamen verborum dehonestamenta, tanquam saxa sine vulnera circa caput crepitantia, ex alto despicit, ac rumpantur licet fauces eluscatorum; perennabit Romanæ sedis dignitas, quam invicta Dei dextera constabilivit.

Tria mendacia, quæ suffundat narrationi Anonymus.

Primum Mendacium: In ipso limine Cantilenæ, cucubat lucifuga; *Romanum Poniifidem, cæteris quidem pedes vitro contectos, osculandos præbere: Imperatorum vero ac Regum iugulo, ipso Coronationis tempore imponere.* Apage sis, pedicose furcifer, nugo impudentissime, has inaniloquas sycophantias. Hallucinaris, strigose bovinator, ac rerum Pontificiarum densa ignoratione deciperis impensibili errore, non uno scelere impiatus. Ut enim taceam, nullis Pontificios pedes clathratos vitris; illud certe tute in tui vanissimi capit is antro confinxisti Pontificem pede solitum premere cervices Imperatorum, qui tiaram capiti impositam volunt. Extant

Rituales libri, quibus Regiæ ac Imperatoriæ inaugurationis formulæ præscribuntur. Extant Historiarum monummenta, quæ Cæsarum inaugurationes ad posteritatem transmiserunt: in quibus nulla huius tam indecentis actionis mentio.

Scio, scio, quid te moverit, linguax blatero, ut hæc nugalia turpissimis tuis chartis allinires, mendaciisque nutricatos, Pontificio dedecore lætares. Auditione acceperas, cum ab Alexandro Papa in gremium Ecclesiæ postliminio reciperetur Fridericus Cæsar, Pontificem pedes iugulo Cæsaris imposuisse, verba illa; *Super aspidem et basiliscum ambulabis, ingeminasse: Fridericum, id non Papæ, sed Petro, fieri dixisse: Replicante Pontifice: Et sibi, et Petro fieri.* Hæc te fabella movit. Sed nescis, bipedium stupidissime, facti unius invidiam in omnes Pontifices transcribi non licere? Esto igitur, fecerit id Alexander; Ergone universi id faciunt Pontifices? Sed, ut cæteri non faciunt, ita nec fecit Alexander. Romvaldus Archiepiscopus Salernitanus, Guilelmi Siciliae Regis Legatus, adfuit Venetiis, cum Alexander Fridericum reciperet; remque gestam ordine, summa fide ac diligentia, literis consignavit. Rogerius item, Anglicorum Annalium scriptor, eiusdem ævi Historicus, quæ ab Alexandro Venetiis acta, quæque dicta fuere, dum Fridericus reciperetur, diligentissime est prosecutus: et tamen neuter ipsorum, conculcatum a Pontifice Imperatorem fuisse, significat. Sed rem gestam, qui adfuit Romvaldus, hunc in modum nerrat: *Cum Fridericus ad Papam appropinquasset, tactus Divino spiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate postposita, ad pedes Papæ, totum se, extenso corpore inclinavit; quem Alexander, cum lachrymis benigne elevans, recepit in osculo, et benedixit ei, moxque Te Deum lanudamus, est excelsa voce decantatum.* Et certe ipsa insolentissimi facti ratio, ita a moribus et mansuetudine Alexandri abludit, ut is demum ab Alexandro hoc perpetratum esse existimare possit, qui vitæ ipsius rationes exploratas non habeat. Quid, quod nullus Historicorum, ævo Alexandi viciniorum huius facti meminit. Primus omnium, quod sciam, Historiam Friderici conculcati, Nauclerus prodidit, qui annis prope quadringentis post Alexandrum floruit, et ad quingentesimum supra millesimum Christi annum, historiam continuavit. Et is ipse sub dubio, non ex veterum Historiarum fide, hoc recenset: atque hæc ipsa subnectit: *Vel ut Blondus scribit, Postquam Pontificis pedem Imperator. exosculatus esset, ad altare maius, ambo Principes se amplexati et exosculati sunt.*

Baron. tom.
12. Anno
1177. n. 85.

Naucl.
generat. 11.

Sed esto ; fecerit id Alexander : ego sane eadem ratione factum Ios. 10. v. 24.
hoc excusabo, qua Prædicantes Iosuam, cuius iussu quinque
Regum colla pressere pedibus Isrælitæ.

Illud vero ne nescias, quisquis es, quantus es Anonyme ;
non pudet nos, veterum primitivæ Ecclesiæ Patrum consuetudinem
observare, atque ad pedes Summi Pontificis advolvi, congenulare.
Si homo iustus ædes tuas intraverit, inquit Magnus Athanasius, Athan. lib. de
cum timore ac tremore occurrrens ei, adorabis humi ad pedes eius. Virg.
Ambrosius vero, sanctitatis ac doctrinæ exemplar singulare ; *regum* Tom. 1. f. 832.
colla, inquit, et *Principum, submittuntur genibus Sacerdotum, et exosculatis eorum dexteris, orationibus eorum credunt se communiri.* Ambr. de Di-
gnitate Sacer. c. 2.

Atque ut Paulinus, in vita sancti Ambrosii, memoriæ prodidit ;
usu receptum erat, sacerdotum manus deosculandos populo offerre.
Denique invictus hæreticorum malleus Augustinus, *ad pedes Episcoporum volutatos in Ecclesia fideles narrat.* Si promiscue hic honor Episcopis ac Sacerdotibus habitus ; quæ te Eumenides, quæ Intemperiæ, quæ Mænades exagitant, Anonyme, ut hoc Summo Pastori, detractum velis ? Certe Deus Ecclesiam alloquens ; *vultu in terram demisso, inquit, adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent.* Isai. 49. v. 23.
Et, quoties in Scriptura, ad pedes aliorum, accidisse, adorasse, legimus ? Lege, si lubet, Actor. 10. v. 25. Actor. 16. v. 29. Apocal. 19. v. 10. cap. 22. v. 8. 1. Reg. 25. v. 24. 4. Reg. 4. v. 27. 37. Iudith. 13. v. 30. Esther. 8. v. 8. Prædicans ille de Calvini
sipario, hircino barbitio comptulus lingulaca, nuper in illa, infantilibus farcta nugis, ac procusa Cassoviæ concione, qua viri Illustris, Valentini Homonnani parentalia, inferiasque, pullata præfica dehonestavit ; seque ipsum Athanasii Symbolum ignorare patefecit, cum verba Augustini, aut malis, Fulgentii ad Petrum, bruto stupore, attonitus, Athanasiano Symbolo transcripsit ; ille, inquam, verbosus Prædicans, non sine blandiciis (palpum obtrudit, ut referat pulpamentum) commemorat ; *famulorum turbam pulveres exosculari, quibus frigida Homonnani ossa conteguntur.* Quod si hic nihil turpe, nihil indecens appareat ; cur Prædicantes solus Pontificum honos exurit ? Certe Gayna, Scytha erat ; et tamen filios, Chrysostomi pedibus advolvi, non indecorum existimavit.

Theodore.
lib. 5. c. 33.

Secundum Mendacium, multo inverecundius : Pontifices, vitæ Principum inobsequentium, veneno insidiari. Exemplo Clementem Octavum esse, qui per Monachum Henrico Sexto venenum in sacra hostia propinavit. Attellanæ, Gerræ Siculæ. Rusticatum mentiris,

pecuate sycophanta, dignissime, cui os pytismate lubricetur, ob tam spissum, minimeque tralucidum mendacium. Mitto, quod pro Henrico VII. Henricum VI., pro Clemente V. Clementem VIII. nominas. Illud dico, Neminem ex omni veterum Historicorum numero legere memini, qui necis Henrici invidiam in Pontificem derivavit. Abbas Urspergensis, posteaquam dixisset, Anno 1308. post Albertum Primum Austriacum, Henricum Septimum delectum Imperatorem; subdit: *Imperator venit in castrum Benconvent. in vigilia Assumptæ Virginis; sequenti die communionem corporis et sanguinis Domini suscepturus; ob cuius reverentiam, quatuordecim diebus ante ieunavit. Ea die Tridentinus Episcopus, Regius Confessor, abfuit in Legatione ad Clementem Quintum, pro arduis negotiis.* Unde quidam prævaricator, specie Religionis, de Senis oriundus, cum Senensibus et Florentinis et Lucensibus, consilium ingressus Pilatinum, qualiter Imperatorem traderet, se amicum simulans, et concordiam ordinare fingens, inter Imperatorem et prædictas malevolas Civitates, rogat, ut coram Imperatore Divina possit celebrare mysteria, et eidem porrigere corpus Christi: porrigit intoxicatum. Eadem Nanclerus, et hos secutus Platina, qui Pontificem tunc in Gallia habitasse; cum Henrico ipsi optime convenisse; Pontificis suasu, Henricum contra Florentinos movisse; eo nomine, Italos Pontifici impense succensuisse; Florentinos Monachum ad hoc sacrilegum parricidium perpulisse, ait quamvis timide, nec tam ex suo sensu, quam *ut nonnulli* scribunt, hæc recenseat. Monachi ergo facinus, quidam scribunt: suspicionem de Pontificis collusione, nemo, quod sciam, ante hunc vappam hominis indicavit. Sed esto, demus verum esse, quod Aspis hic ab aliqua vipera suxit; aut in sui vanissimi cerebri vertiginosa phantasia confinxit: Ideone fas est, unius Pontificis culpam in omnes transfundere? Superintendentis heterodoxus, capulare plicernium, in Ungaria scripsit, typis vulgavit; *Ioannem Prædicantem, minime cantherium, conspirasse cum uxore Antonii Losonczi, viri Illustriss: sublatoque e medio hero; Prædicantem deinceps interiorem spondam lecti Dominæ per summam turpititudinem vitam transegisse.* Factum aliud prorsus Evangelicum, satyriasi distentis Prædicantibus dignissimum, memorat: *Franciscus Prædicans, vir erat, cui plurimorum Dominorum filiæ erudiendæ committebantur; quas omnes canatim constuprabat, scortaque parentibus reddebat, quas Virgines acceperat.* Innumera Prædicantium suorum, Misogynia scilicet laborantium,

Petrus
Bornemissa.
De tentati:
Diaboli, f. 872. *Ibidem.*

similia scelera percenset. Et, si recentiora velis, Baynoczium pete; Prædicantem ibi vinctum reperies (ut testium oculatorum relatione accepi), qui sua reicta, cum aliena uxore profugit, compilatis prius scriniis alienis. Quod si quis ex his concludat: Prædicantes omnes herilis tori violatores; claris natalibus ortarum virginum stupratores esse; quid respondebis anonyme? Sed frustra Brutum doceo.

Tertium, et illud calidum, sed minime callidum est mendacium: Pontificem persuadere vulgo; *tantam inesse sanctitatem ipsi, ut qui ipsum adeat, esto, ad Deum corde non accedat, remissionem Peccatorum consequatur.* *Hæc tamen peccatorum remissio, magno ære venalis, nemini gratis datur: atque hæc ipsa, inquit, causa est, cur aditum ad Christum arcet Pontifex, scit enim, non sine ærarii sui iactura homines ad Christum ituros.* Dementit iste sannio, deliraque fatur. Certe, nec convitum, nec plaga, nec mors satis digna reperiri potest, quæ tantum flagitosæ, manibusque carnificis eruncandæ, ac cinefaciendæ linguae propodium, eadem perpetuo mendaciorum chorda oberrans, expiare possit. Audi, mortaliū Trident Sess. 6. cap. 9. impudentissime, Catholicam veritatem: *Non remittuntur, neque remissa sunt unquam peccata; nisi gratis, Divina misericordia propter Christum.* Et rursum: *Disponuntur homines ad iustitiam, dum excitati Divina gratia, et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ Divinitus revelata, et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo iustificari impium, per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Et dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur; fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis iustitiae fontem, diligere incipiunt, et propterea moventur adversus peccata per odium. Audis, Sycophanta, qua via et ratione credunt Catholici remitti peccata? Vestræ calumniæ, figmenta vestra, ad odium vulgi concitandum excogitatæ alogiæ sunt; quod nos aliunde, quam ex Christi meritis, gratuitaque Dei misericordia, peccatorum relaxationem exspectemus. Quæ de pecuniaria, ac pæne cauponaria nundinatione peccatorum comminiscitur cavillator, nugamenta sunt. Fac periculum, pecuate Prædicans; Catholicum Confessarium adi, sclera retege; videbis, an loculos tuos exenteret; an æra tua, non animam quærat.

Mendacia de Consiliis Papæ.

Longissimos terrarum, tractis, essedis, cisiisque volantibus, aut spissigradis Asturconibus tolutariis, celeratim pervadit colluvialis Prædicans; Romæ, in ornatissima illa purpuratorum Patrum corona, emissitus vespillo residet; vota singulorum colligit; quid dictum, quid actum, quidque ibi cogitatum sit, edicit ex ordine: *Videns, inquit, Papa, Evangelium ubique in lucem extrahi, ruinæ imperii sui metu percussus, Senatum convocat. Itum in eam sententiam, ut conciones ad populum de rebus Divinis prohibeantur; Biblia e manibus laicorum extorqueantur; populus in alta rerum Divinarum ignoratione detineatur, ne si sapere incipiat, aspernari Romanos fasces discat. Hæc ut confecta dentur; Imperatori iniungit Papa, ut bellum Turcis moveat; eo prætextu, militem in Ungariam ducat; rapina, cœdibus, pretio, ad Pontificis obedientiam, ad Christi abnegationem Ungaros pertrahat; quæstum Indulgentiarum erigat.* Hæc bardus rabula balbucinatur. Cedo magistria; cedo os foria succerda imbulbitandum; lingua foricæ immergenda. Quo Pontifice? quo anno? quo die hæc Romæ acta? qui interfuere consilio? quis ad te pertulit hæc singula? ubi parastases ad tantæ rei fidem conciliandam? Infelix, ac Christo indignum Evangelium, quod abscondi potuit. Detestanda Religio, quæ nisi talibus mendaciis fulciatur, exosam reddere veritatem non potest. Sed ut cætera taceam; scis ne, Trifurcifer, non ab Imperatore, nec in Ungaria, sed in Croatia, a Turcis, belli faces accensas fuisse? Meministi Pontificios milites in obsidione Strigonii, pluteos opere militari confessos, per illos montium grumos manibus admovisse, valida que impressione facta, Turcas ad ditionem compulisse? Ignoras, tenebrio, quantum Pontificii militis sanguinem, Pannonici campi hauserint? Auditione saltem non accepisti, tanta pecunia quotannis rem Hungaricam a sede Apostolica sublevatam superiori bello Turcico, quæ censem totius Ungariæ adæquaret? Nomina, flagrio, quos Ministellos Luthericos aut Calvinicos, valida manus Pontificii militis peremerit? quas Synagogas vestras everterit?

Sed ut hæc vilissimi homuncionis maledicentia, totius Ungariæ publico testimonio retundatur; extetque in ætatem posthumam, beneficentiæ Romanæ sedis, ac gratitudinis Ungaricæ gentis monumentum, quod barbarem Prædicantium ingratitudinem compescat ac retundat; accipe, quæ ex ipso generali Ordinum

Conventu, ad Pontificem scripsere Ungari, totidem verbis, fideliter transcripta :

Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine nobis Clementissime. Post oscula pedum Beatitudinis vestræ, humillimam orationem et obsequiorum commendationem.

Ut ex mandato Sacrae Imperatoriæ Maiestatis, Domini et Regis nostri gloriosissimi, huc ad præsentia, pro publicis Regni negotiis indicta Comitia, non ita pridem convenimus; nihil nobis antiquius habendum esse censuimus, quam debitas, immortalesque Beatitudini vestræ, pro singularibus in nos, et Patriam hanc nostram, in extremo fortunæ cardine nutantem, beneficiis, gratias ageremus. Posteaquam enim perennis Christianorum hostis Turca, rupto superioribus annis faedere, fidequæ violata, plenus furoris, et dominandi libidine inflammatus, in viscera reliquiarum huius Regni irrupisset; et passim populabundus, igni, ferroque plurima loca devastasset; nonnulla dolo potius, quam virtute intercepisset; multaque Christianorum millia, in perpetuam abegisset servitutem; non fuit ullus mortalium repertus, qui post Imperatoriæ Maiestatis, et Sacri Romani Imperii subsidia, desperatis rebus nostris, maioribus quam Tua Beatitudo, præsto fuisset auxiliis. Nam, præter ingentem pecuniarum vim, et alia Tuæ Beatitudinis in nos collata beneficia, opportune admodum æstate proxima eiusdem in Ungariam venit exercitus, quo reliquis suæ Maiestatis copiis adiuncto, Strigonium sedes Archiepiscopalis, et Vissegrádum, opitulante Deo, sunt expugnata, et recuperata. Devinctos itaque nos quam maxime, tot tantisque Tuæ Beatitudinis beneficiis confiteamur, necesse est. Utinam autem ea temporum vigeret felicitas, et eo loco res nostræ positæ essent, quo Tuæ Beatitudini, et sanctæ Sedi Apostolicæ, pares his meritis gratias referre liceret, nullum in nobis officii genus desiderari pateremur. Verum, quia nullam referendæ tantæ gratiæ commoditatatem nobis superesse videmus, Deum Opt. Max. pro felici Beatitudinis Vestræ regimine et incolumentate exorare, et memoriam eximiæ huius pietatis recolendam, ad posteritatem transmittere, non omittemus.

Fuit olim, Beatissime Pater, dum res Ungarorum temporis iniuria collapsæ non erant, cum Regnum Ungaricæ, scutum Fidei, murus Religionis, antemurale vicinarum provinciarum, et Orbis Christiani propugnaculum habitum fuit, dum non in finibus solum Regni Turcas prohiberent et propulsarent maiores nostri, sed pro fide, Religione, et publica tranquillitate, longe lateque hostilia Regna

penetrantes, partis insignibus ex hoste triumphis, vetricia signa, in patriam reportarent. Quo quidem tempore, non Patriam modo nostram, ab hostibus istis tutam extitisse, sed et finitima Regna virtute Ungarorum, desiderata securitatis dulcedine gavisa fuisse, nemini est obscurum. Testantur monumenta maiorum nostrorum Chronicis demandata, quæ cum sævissimis atque truculentissimis istis inimicis fortia bella gesserint, quas clades cruentas ab eis acceperint, et quam invictis animis sœpissime ad internacionem usque Procerum, et Nobilitatis, cum eis decretarint: usque adeo, ut vix ulla domus in Ungaria digna nomine fuerit, quæ aliquot bellis, cum rabidis Turcarum gentibus habitis, fortè aliquem suæ stirpis virum non amiserit et deploraverit.

Vulgata est, Beatiss. Pater, expeditio illa Regis nostri Andreæ Secundi, qui labantibus Christianæ Reipublicæ in Syria rebus, sub Honorio Summo Pontifice, sacri illius belli summus Imperator designatus, pro liberanda Palæstina, totaque terra sancta, in Asiam, cum exercitu traiciens, commisso adversus Babyloniorum Soldanum atrocissimo prælio, glriosus vicit evasit. Ludovicus primus, Hungaricæ simul et Polonice Rex, Romanam Ecclesiam dupli bello iuvit; missisque in Italiam præstantissimis Ducibus et copiis, multas Civitates, partim ad obedientiam Romane Ecclesie retraxit, partim in fide retinuit. Idem, hortatu Urbani Papæ Sexti, Carolum in Apulicæ Regnum restituit. Sigismundus quoque Imperator, et Rex noster magnanimus, maximis instructus copiis, bis cum Baiazete Turcarum tyranno, magna Christianorum strage conflixit; Italiam schismate fluctuantem pacavit; contra Hussitas, Ecclesiam in Regno Bohemicæ tutatus est. Non minore virtute duo Corvini, præstantissimi Belli Duces, Ioannes Hunyadinus Regni Gubernator, et eius filius natu minimus Matthias, Europæ fulgentissimum sydus, Regumque sui temporis Princeps præclarus, et Sanctæ Romanae Ecclesie vindex, contra Bohemos acerrimus, rem Christianorum communem iuverunt, auxerunt et dilatarunt. Funestissimæ quoque duorum Hungaricæ Regum clades, Wladislai ad Varnam, et Ludovici secundi ad oppidum Mohaczium, non saltem apud finitima Regna, sed et universum propemodum orbem Christianum, notæ sunt: quorum ille, a Legato Sedis Apostolicæ Iuliano Cæsarino, pacem rescindere persuasus cum Amurate; hic vero cum Solymanno, potentissimis Turcarum Imperatoribus, cruentissimis et memorandis in æternum præliis commissis, ambo pro fide, pro patria et publica pace,

viriliter occubuerunt. Atque hoc pacto nostri Maiores in quadam totius Europæ gladiatoria palæstra, ultra quam ducentis ab hinc annis, assiduo fere, non pro se saltem, sed tota Christianitate, acerrime cum hac gente pestifera dimicarunt. Quorum sane vestigiis, nos quoque minime ab eis degeneres, insistere, omnesque fortunas, et vitam, qua nihil charius habemus, defensioni patriæ, devovere, parati semper fuimus: quod ne nunc quidem nos detrectare, (si modo synceris nostris conatibus œquales suppeterent facultates) insueta, et propemodum ultra vires decreta per nos præsentibus Comitiis subsidia, testantur. Quia tamen novercante fortuna, et peccatorum nostrorum mole iram Divinæ Maiestatis provocante, post tristia Ludovici illius II. fata, continuis bellorum motibus, eo infelicitatis et miseriariuin res nostræ sunt redactæ, ut attritis nostris viribus, et accisis ad extremum opibus, tam valido et præpotenti hosti minime resistere valeamus. Solus siquidem, (ut alios anhelis faucibus ad hoc Regnum inhiantes omittamus) Solymannus ille, fatale Hungarorum excidium, nimio fastu et dominandi libidine inflatus, octies, in persona propria, aliquot centenum millium infestis copiis, nostra et Patrum nostrorum memoria Regnum hoc invasit, diripuit, vastavit, et afflixit. Huius vero posteri, Selymus, et Amurates eius nominis tertius, etsi a generalibus abstinuerunt bellis, sub fœdere tamen simulato, quod reliquum a Solymanni Tyrannide in hoc Regno manserat, veluti virus in corpore diffusum, ingentibus tributis, frequentibus incursionibus ac populationibus, miserandum in modum confecerunt et extenuarunt. Quas demum ærumnas, quæ incommoda, quot clades et discrimina, hoc quadriennio subiverimus, indiesque subeamus, tuæ Beatitudini, nobis quoque tacentibus, satis superque perspectum esse, non dubitamus. Funesta nunc est Hungariæ facies, vastata in ea omnia, Ecclesiæ profanatæ, contaminata Religio, agri conculcati, et maiori ex parte inculti, disiecta et exusta Oppida, exhausta æraria, Cives omni fere substantia, non tantum sævitia hostili, sed et insolentia militari exusti, spoliati et laniati. Unde mirum esse non debet, si tot tantisque calamitatibus fracti, debilitati et exinaniti, soli feroce Turcarum amplissimo magnæ partis Asiæ et Europæ dominatu luxuriantium impetus sustinere nequeamus, sed opem Vicinorum Regnorum et Provinciarum implorare cogamur. Ad te autem in primis, Beatissime Pater, cui Religionem, fidem, et publicam tranquillitatem maxime cordi esse videmus, tanquam ad sacram anchoram, configendi duximus. In tuam siquidem

Beatitudinem oculos in terris omnes Christiani Principes direxerunt; a te veluti pacis autore, unionem, præsidium et auxilium per Dei beneficia præstolantur. Fac igitur in id ut cœpisti, cum augustissimo Cardinalium Collegio maximopere incumbas, ut Principes universos, quorum dissensione Turcarum Imperia in hoc fastigium succreverunt, res vero Christianorum in profundum conciderunt, invicem concilientur, ut intestinis depositis dissidiis, coniunctis tandem animis et viribus, adversus communem totius orbis terrarum hostem consurgere debeant. Non enim dubitandum quicquam est, inimicos furentes audacia, et vindictæ cupidine inflammatos, ultionem moliri, nihilque magis in votis habere, quam ut reliquis huius Regni penitus in suam potestatem redactis, aditum in vicina Regna, in Imperium, sedemque tandem Beatitudinis Tuæ patefiant, et his minime contenti, suam in toto terrarum orbe Tyrannidem extendant, ac sectam Mahometicam, populo Christi Salvatoris nostri sanguine redempto, vi et armis imponant. Quem finem, ut gens inimica Deo, consequatur, maioribus nunc, quam unquam alias, viribus et apparatu, accingere se et iam in procinctu esse, certis nuntiis refertur. Tantis itaque expositi periculis, te, Beatissime Pater, Christianæ Reipub. propugnatorem, iterum atque iterum obsecramus, per amara Christi Domini nostri vulnera obtestamur et oramus, dignetur benemerita maiorum nostrorum, quos pro fide et universa Christiana Republica, sæpe ad summorum Pontificum, et sanctæ Sedis Apostolicæ requisitionem, larga sanguinis profusione cum hostibus Ecclesie decertasse palam est, in memoriam revocare, et inchoata de nobis bene merendi studia, magis ac magis intendere, auxiliaque contra tam potentem Tyrannum, pro magnitudine periculorum communiter impedientium, tempestive decernere; ut te Ecclesiam Dei gubernante, et Rudolpho Imperii habenas moderante, Ungaria ex Tyrannorum servitute liberata, pristino suo nitori restituatur; vobisque duobus orbis terrarum Rectoribus, omni tempore devotione et obsequio devinciatur. Servet Deus Opt. Max. Tuam Beatitudinem diutissime florentem, et Ecclesiam Dei feliciter gubernantem. Datum Posonii, ex Generalibus Regni Comitiis, Die 12. mensis Martii, Anno M. D. X. C. VI.

Eiusdem Tuæ Beatitudinis,

*Humiles, devoti, fideles, ac perpetui
Capellani, et Servitores,
Praelati, Barones, Magnates, Nobiles, cœterique
Status et Ordines Regni Ungarie.*

Audis, Prædicans, Turcam rupto fœdere, violata fide Ungariam invasisse? Audis, Pontificem pecunia, copiisque nutanti Ungariæ opem tulisse? Audis, Ungaros perpetuæ gratitudinis vincula sibi ipsis inieceris? Et hæc omnia, ex Ordinum consensu, in orbis theatro perscribi? I nunc, impudentissime mortalium, rupti fœderis, violatæ fidei scelus in Pontificem transcribito. Latebas tu bussequa, in olida caula, aut prati floreas opes panda curuus falce popularis, cum delata insolentia Turcarum, adeo omnium Ordinum animos accedit, ut communi suffragio, vi, armisque excutiendum iugum Turicum decernerent; magis precibus apud Cæsarem contenderent ut pro Fide sacrosancta, pro patriæ, coniugum, liberorum salute, iusta arma sumeret; Deo fretus, grassanti Thracico Tyranno occurreret; nec solum corporum obiectus, fortunasque offerrent, sed coniugibus detracturos mundum muliebrem in usus belli erogatuos, proclamarent. Sed frustra agoræis istis, viles popelli rumusclos, scrutario in foro colligentibus nundinatoribus, ad ipsa Veritatis adyta præeo.

Mendacia circa necem Bocskai.

Mendaciis non nisi per mendacia, tutum est iter: ideo perficata semel fronte Prædicans, eam quam cœperat, constanter insistit viam, et adiposa mendacia, mendaciis agglomerat. Sed nescis, Prædicans, inoccare mendacia difficilius esse, quam proiicere. *Postquam*, ait, *Dei nutu Bocskai, Rex Ungarie factus, diffusus Deo, humana ope niti cœpit: Michaëlem Kathai adscivit in consilium, eum ipsum, qui eiurato Christo, Papista factus fuerat, eius opera usus Papa, venenum Bocskao porrexit, occidit. Iudicium fecit honorarius Kathai puerus. Atque ideo post Regis obitum, frustillatim concisus Kathai.* Denique concludit: *Papistas Consiliarios, ac Dominos, perniciem exitiumque creare;* ideoque, initialibus stropharum cantilenæ literis, velut classica canit ad prælium, monetque Proceres, *advertant animos, sibique attendant.* Agnosco te, coluber excantatè, scorpio hamatili cauda, venena vibrans. Obesis naribus esse oportet, qui non assequitur quo hæc spectent: Dolones sunt, ferrum introrsum reconditum furtive gestant; et, si vires conatibus respondeant, verba in rem conferent Prædicantes, nullus dubito.

De Kathai nihil habeo dicere, an, cum sphærulas precatorias Prædicans Alvincius, pro suggestu lætabundus ostentavit, Kathai-

umque ad Calvini castra descivisse iactavit, revera Fidem abnegavit: Vel (quod fertur) projectam per indignationem Partheniam corollam, arripuerit Prædicans, phaleris ad populum exornarit. Illud dico: Mentiri Prædicantem, cum de Summo Pontifice tam atrox, et intumanum facinus comminiscitur: Et vadimonium sisto, si dica huic scribatur, temere confictam calumniam, capitis iactura eluet.

Bocskaiæ mortis caussa, vulgo nota est: Immoderata cra-pula; raptæ e Transsilvania puellæ amore; soluta ac diffluens vita: Hæc postquam aquam intercutem generarunt, sensim contabuit gurges ac vorago illæ divitiarum Ungariæ.

At, puer honorarius Kathaii retulit, veneno Regem sublatum. Vile bidental, cur nomen pueri taces, ut an vera referas, anquirere possimus? cur authoramentum servitutis propudosæ non edicis? Quis credet, adeo obstipo cerebro Kathaium fuisse, ut secretum puerο committeret? Et, esto: dixerit puer veneficum Kathai; quis prodidit authoratum a Pontifice, ut tantum scelus conficeret? *Dicebant, aiebant varii:* Responde, interfector veritatis. Qui? Quid tandem dicebant? Fortean cœlos præcipites ruisse? Et, An quia rumigeruli loquacitant, verum est continuo? Pueri unius testimonium sufficiat, non dico ad necem Kathaio, summa diritate consciscendam, nulla iuris formula servata, non accusato, non audito, non convicto reo, si tamen reo; sed ad Summum secundum Christum Pastorem, infamandum? Nescis Prædicans, unum testem, nullum esse testem? Et, si dixisse aliquid, probasse est, cogita qualem, et quantum virum, quam atrocis facti accusabis? Certe qui nuper fato suo functus est Palatinus Illieshazi, a Palatino moderno, Domino Comite Georgio Thurzo, lethalis poculi, ac peremptorii toxicæ haustum, propinatum sibi fuisse, constanter dixit, nec ullam excusationem admisit. Nec eo hæc dico quo famam existimationemque viri Illustriss: Comitis Georgii Thurzo moderni Regni Hungariæ Palatini, imminutam eam, sed ut exemplo ad rem, de qua agitur, accommodatissimo, confictum de Summo Pontifice mendacium diluam. Nihiloque magis credibile esse adstruam, quod de Pastore secundum Deum Maximo rabulæ comminiscuntur, quam quod de Illustr: Domino Palatino alioqui de patria benemerito, minime obscuribus vir inconsulte sparsisse dicitur. Quod in hac iterata editione* monitum volui. Non enim

* In secunda editione, 1611. publicata, quæ hic, in fine tractatus, prima copiosior est. *Recensens.*

defuere, qui hæc aliorum flecterent, ac viros magnos, magno sanguinis ac necessitudinis nexu devinctos, committere laborarent; quasi hæc, non tam propugnandæ Pontificiæ innocentia, quam Vide Præfat monitoriam ad lectorem. Illust: Dominum Palatinum incusando attulerim. Sed hos ego Psyllos, qui vates agunt non lectores valide iam ante repressi.

Ut igitur his missis premam te fortius, quisquis es fabellæ necis Boczkaianæ autor infamissime; Si frons, si pudor, si ullus Dei metus in te reliquus est, Dic sodes Prædicans: In re gravissima, pueru uni, contra absentem, contra Principem, fidem abhibetis? Pontificem venenarium, imo beneficum pronunciabis? Nescis, verberabilissime calumniator, probrum de viris Principibus, multo plures, patentioresque comprobationes exigere, quam in vulgari, et plebea caussa requirantur? Plures sunt, potentiores Bocskaoi Principes, qui a Romana sede desciverunt; nec tamen ullus in hanc diem questus est veneno se a Pontifice petitum: in sola Ungaria, contra solum Bocskai, id patravit Pontifex, quod alibi ne attentasse quidem auditum!

Quod vero intestina quoque Procerum odia exacuit, ac sopitos amnesia ignes suscitat agyrtæ anonymus, universeque Catholicos Consiliarios carpit; facit quod proprium est Prædicantium, qui, seu Andreæ Nagy opus foret, seu Bocskao, socios se incentioresque dissidiorum præbent. Sed, ne nesciant Prædicantes, ante natum in orbe Lutherum et Calvinum, Catholici Senatores in Ungaria fuere; feliciter patriam, non hanc cinefactam Ungariæ laciniam, administravere; maiori constantia res tunc publicæ, privatæque ivere; nec Ungaria tunc, ut hodie, in abrupto derasii præcipitii, quasi summæ rei vertiginem passa, ab omni prope modum spe expuncta fuit.

Sed ad vos iam mea se convertit oratio, Proceres Pannonii, distædet enim ulterius hunc, qui veritatem sic depudicavit, depalmarie Prædicantem. Vos igitur, per communem dulcissimæ Patriæ amorem, oro, atque obtestor, ne patiamini tanta, tamque inaudita temeritate, Pontificis, Imperatoris, cæterorumque Principum famam, existimationemque in Regno vestro dilacerari. Meminisse vos addecet, pacem, quam cum Turcis fecimus, infidam esse; nec hactenus (si coniecturæ non fallunt,) duraturam, nisi domesticis, externisque bellis præpeditus Turca dissimulare nobiscum cogetur. Sæpe maiores nostri pacem pacti sunt; semper, quando e re sua futurum Turca existimavit, bellum redintegravit. Id ipsum

fore deinceps quoque, certo vobis persuadeatis. Cavete, ne animos nobilissimarum Nationum, a vobis alienos reddatis; paucorumque rabularum temeritate, auditum vobis præcludatis, ad ipsarum gratiæ et benevolentiaæ fontes, quibus certo certius indigebitis.

Tu vero, quisquis es, stellio calvinarie, Minerval tibi dependsum, gratus accipe, infamemque calamum, fœtido reconde deinceps calamario: quod ni feceris, capistrum ego tibi, camumque, vel millum potius iniiciam, teque ita scriptioñis isto strigili strigillabo, ut miserandum cæteris Prædicantibus, lessum tibi decantibus, spectaculum fias. Nam hac quidem vice, nihil prohibeo, quin trophæa erigantur, lemniscatæ tibi palmæ, corollæque pancarpiæ plectiles deferantur; lætoque celeusmate, Epinicia, pæanaque pro Victoria reportata, decantentur.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.


LOGI ALOGI,
QUIBUS
BAPTAE CALAMOSPHACTAE

PENICULUM PAPPORUM SOLNENSIS CONCILIABULI,
ET
HYPERASPYSTEN LEGITIMAE ANTILOGIAE VELLICANT,

VERITATIS RADIIS ADOBRUTI.

IOANNES IEMICIUS
SCRIBEBAT.

RECENSUIT
IOANNES KISS,
IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR.



POSONII, M:DC.XII.

2. Timoth. 3. v. 8.

*Quemadmodum Iannes et Mambres restiterunt Moysi, ita
et hi resistunt veritati: homines corrupti mente; reprobi
circa fidem. Sed ultra non proficient, insipientia enim
eorum manifesta erit omnibus.*

Psalmi VI. v. 2.

*Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei,
convertantur et erubescant valde velociter.*

Scripti illius, quod in præcedentibus paginis publicavimus quodque titulum gerit: „Peniculus Papporum“, argumenta enervare conatus est Petrus Petschi Augustanæ confessionis pastor in Freiwaldau, Saxoniam oppido, qui anno 1612. Cassoviæ promulgavit suum opusculum: „Malleus Peniculi Papisticæ aduersus Apologiam Solhensis Concilii editi.“

Huius refutationis vim et robur frustrandum suscepit Petrus Pázmány in opere suo „Logi Alogi“ inscripto, quod in lucem prodiit Posonii 1612., itaque eodem adhuc anno, quo Petri Petschi „Malleus“. In fronte huius libri idem fictum auctoris nomen adhibet, quod in „Peniculo Papporum“, Iemicium Ioannem se nominans. Opusculum in minori 4° 256 numerat paginas. Exemplaria custodiunt bibliothecæ: Musei Nationalis Hungarici, Universitatis reg. Budapestinensis, Seminarii centralis Budapestinensis, Musei Transsylvaniae, Universitatis Zágrabiensis, Comitatus Nitriensis, Archiabbatiae de S. Monte Pannoniae, Præpositurae de Castro Jászó, academiæ iuridicæ Cassoviensis, regii catholici gymnasii in Losoncz, conventus ord. s. Franc. in Kismarton, conventus ord. s. Franc. in Németujvár, demum Georgii Ráth.

ANTEAMBULUM

AD LECTOREM, CUM ORDINE DICENDORUM.

Philo Iudæorum disertissimus, ut accisas, vix non excisas gentilium suorum reliquias sublevatum iret, Caium Cæsarem cernuus adiit; gravi ac venusta dictione, temere conceptum adversus immerentes odium, si obducere nequiret, lenire laboravit. Sed a duro et inexorabili Cæsare, østro perciti pectoris furoribus adobratus, nec frontem rugis exaravit, nec foemineo ululatu cælos verberavit, sed sereniore quam solebat vultu renidens, *Bono*, inquit sociis, *ob id animo esse debemus, quod reipsa iam Deus nostræ parti succurret, postquam Caius nobis irascitur.*

Euseb. lib. 2.
Histor. c. 5.

Eadem mea conditio, mens eadem, Lector optime. Nam et ego, ut Prædicantes tota exerrantes via, ad lineas reducerem; ut agreste illud et plus quam Novercale in nos odium, veritatis cataplasmate malassarem: Alogiam Solnensem, in omnium Superattendentium depomptionem inconsulte conceptam, ad veritatis calculos, rectæque rationis obrussam revocaram, ubi ulcus suppurarat; non sale et aceto, sed Peniculo molliori defricaram, et ne quis deerraret, inlatentiumque ignarus saxorum, in Brevia præceps rueret, ex illa errorum Prædicantorum catastrophæ ereptam veritatem asserueram. Eu fructum. Quia Veritatis radios, famæ suæ luminibus obstruere tenebriones senserant, per summam mentis exerrationem, magnis lacrymarum rivis expiandam; reducerato dolore, frendent, rabient, dentem exacuant, ampullas et verba fastuosa tumido e pulmone revellunt. Hippoacteo felle perliti calami furores, velut imbris fundunt; ut non tam pugnare, quam unus ad colum rixari, ac verbis conviciorum falce probe armatis bacchari videantur.

Sed bene habet. Actutum cælo Numen aderit, cuius causam agimus, postquam spermologi Theonino dente nos arrodunt, in honestisque opprobriamentis, mille conviciorum struicibus asperatis insectantur. Quantumvis enim accusationis suæ spicula, totis adversum nos viribus torqueant, multimodisque nos commulcent vipereæ linguæ ictibus: credimus tamen in *Deo* Salvatore, quod scuto circumdabit nos veritas eius; fientque sagittæ parvulorum plagæ Prædicanticæ atque eo validius allisam suæ falsitatis cervicem elident Malleatores, quo maiori nisu in ipsam adamantinæ veritatis incudem, genuinum figent.

Neque adeo luscitiosi fuere Prædicantes, quin ita futurum pviderent; biennumque cunctati, ad impudentiæ domesticæ dedecora pudibundum calatum hiantaque Cerbereis morsibus ora, teturum orbi virus instillantia, ita continerent; ut cessitate primum, campo cedere, scutum abiicere, nec porro furiali scripto cælum rubiginare velle viderentur. Sed petulca mens, mala quadam scabie insecta litigandi, identidem se scalpens, importunisque Magnariorum opprobriamentis exasperata, male progredi, quam regredi maluit. Exangues igitur revocant ad prælia vires, rursum hirrire ac arietare; rursum duellare, ac ad clarum patritæ avitæque Religionis astrum aconita ructare pergunt.

Martialis. Antapologiam itaque Peniculi, ascia plurimorum orgiis maledicentiæ inter se foederatorum dedolatam, sæpius male tornatam, atque incudi ceterorum redditam, Græcatiori scriptioni, *MALLEI* programmate protruserunt, operisque lemmati, dissimulamenti gratia, unius qui infamia huius scriptionis depudesceret, e Baptarum cœtu holophantæ nomen addiderunt; per quem, inanitæ farraginis maledicentiam, cunctim ac coacervatim exercerent ceteri, a quibus in scenam protritus scribillator venena fuxit. Fabro huic, ceterorum scobem compilanti, probrorumque alienorum gerulo, a me is honos non habetur, ut vel reprehendendo nominetur. Allatret licet usque nos et usque et gannitibus improbis lacescat; certum est, hanc sibi pernegare famam olim quam petit, in meis libellis qualsicunque legatur ut per orbem. Quocirca Faber hic Malleator, stupparii Mallei conferruminator, Tubalcain esto, reliquam illam Genes. 4. v. 22. Vulcani sobolem, Cyclopum genus, totius videlicet fabulæ Choragos, sub sipario delitescentes, in conspectum caveæ non producam: sed totus ille grex Malleatorum, Brontesque Steropesque et nudus membra Pyragmon, vi magna inter sese brachia tollentes, æterno silentio consepulti delitescant.

Quia porro non tam ut solide responderent, quam ut cariosæ scriptionis crasso stamine, maleque cohærentium liciorum infabre commisso subtegmine, velum oculis imperitorum obducerent, laboravere Malleatores; adeo inscite Peniculum ruspantur: tam frigidis, compitaliciisque evasiunculis, situque squallidis captiunculis velitantur, virreisque argumentorum malleolis chalybeos umbones, et Vulcanum plane contra omnia tela scutum, tundunt: ut iis solis desudasse mihi videantur, quibus non tacuisse triumphasse videtur. Quocirca, si quid tantum diluti istius Antagonistæ indignitas postularet spectare voluisse, inania ipsius ac sine fulmine tonitrua tacitus præteriisse, despectumque Malleatorem potius quam repressum abire sissem. *Nam persequi, quod quisque vel contemplissimorum hominum dixerit, aut nimiae misericæ, aut manis iactantiae est; et detinet ea res atque obruit ingenia, melius aliis vacatura.* Nec ullus disceptandi ac loquendi modus erit, *si respondendum semper esse respondentibus existimes.* Qui enim obdurati sunt adversitate mentis, infatigabiliter vani sunt. Horum si contraria dicta toties velimus refellere, quoties obnixa fronte statuerunt non curare quod dicant, dum quocunque modo nostris disputationibus contradicant; quam sit infinitum, et infructuosum, et ærumnosum, vides. Quia tamen ita Pseudologiarum acervis, delinificisque cantaminibus amentatus est hic in ipsa calumniæ fornacula conflatus Malleolus, ut qui tantum medicatos oculos, purpurissatas genas, et illices labiorum blandicias damnatae falsitatis tueatur; facile illecebris obfrenatus, insidiosisque versutiis, admirabili scelere conflatis circumventus, ineluctabiles incurrat labyrinthos. Idcirco pro bono utilique facturam me existimavi, si scenam omnem vanitatis Prædicanticæ illuminarem; caloratos adversariorum impetus freno adducto repigrarem; rursusque in hac literarii agonis arena gradum conferrem; incompositos hostium cuneos, ac latrocini more pugnantes, instructa ac ordinata acie repellerem; et Prædicantium Thrasonicos hic verbo, ibi risu, alibi ænigmate vel fabella, lusus retunderem, comprimerem ferociam, loquacitatem retardarem.

Deo igitur cælitibusque faventibus, evolvam sinuosos flexus, quibus eludere se posse existimarunt Prædicantes, quæ elidere nequiverunt, infractæ veritatis robora; solisque huius radiis monstrabo, hærentem lateri arundinem, stimulosque alte defixos, calcibus capistratos hos calcitrones petiisse, non excussisse.

Quintil. lib. 1.

August. 2. de Civitat. cap. 1.

Nec vero vaga sit ac libera oratio, sed adductis habenis in gyro maneat, præducam lineas ad quas congressio dirigatur. Principio igitur, antequam ad seriam pugnam decretoriaque arma veniamus, velite, rorarioque milite proludam; et parerga, vulpinationesque Prædicanticas in apricum deducam ac proferam. Deinde, tota quæ inter nos vertitur controversia, quattuor, ni fallor, quæstionum finibus circumscribitur. Disceptamus enim, an Augustana Confessione absentiente, proprioque reluctante iure-iurando nuperi Attendentes inaugurati? An ultronea arrogantia caulas Christi furtive invaserint, nullo legitimæ vocationis valvas recludente? Verene in publica Luthericolarum professione ad quam sacramento adiguntur, et Mendacia, et Antologiæ, et fœda dogmatum portenta scateant? Nos, an adversarii, patritas avitasque leges violavimus, ius gentium refiximus, æQUITATIS terminos commovimus? In his igitur ipsis quæstionibus limitem disputationis figo; ad hos carceres gregalia pecua, extra oleas ad cancellos palantia revocabo atque ita Vindicias Superattendenticas exutiam et elidam, ut validos Peniculi arietes, ne commoveri quidem ab adversariis, nedum everti disputando potuisse, in aperta claraque luce ponam. Quo vero facilius, quid inter nos agatur, dispicias Lector, primo loco verba Peniculi retexam, dispari charactere: subnectam strictum, quæ Malleator baubat; et Hypomnemata, solidasque tuitionis parmas adiiciam.

PROLUSIO.

QUERELAE, VULPINATIONESQUE PRAEDICANTICAE LAEVI SPONGIA DETERSAE.

§. 1. Querela duplex.

Querela dupli, neutra contemptim, sola calce repellenda implagant Baptæ Peniculum.

Principio: teretes, ac religiosas glossogastorum aures, Latinæ Syreni, Atticisque ac emunctis leporibus assuefactas, percussit scabra ac salebrosa dictio Peniculi. Et quia stylo configere se posse veritatem desperabant, velum quo tegitur, ampullatissime lancingant; sandaliumque Veneris, cum ipsam nequeant, reprehendunt. Itaque

ut popularitate sua invidiam apud imperitos concilient Poplicolæ, prædicationis diasyrticæ strophis in me ludunt: confragosam, Archaismis ac verborum sesquipedalium Cascis asperatam Peniculi dictionem vociferantur, quod in ea Lutheranæ eloquentiæ nitelam, scitis, urbanisque iocis respersam non reperiant. Sed frustra inimitabiles (scilicet) illas orationis vestræ Veneres; frustra venustatem illam, ac maiestatem dictionis; frustra fœcundam eloquentiæ diluviem, qua orbem inundastis, extra scrinia vestra queritis, disertissimi Romuli nepotum. Vobis dapsilem copiam eloquatalis facundiae Musæ subministrant. Vobis Latini sermonis tubis, qui tot disciplinarum oculis vigilatio, qui in ipsa eloquentiæ arce stetistis: qui doctrinæ principatum, supra omnia subsellia evecti occupastis: vobis, inquam, quos Minerva genuisse, Musa educasse, Elegantiæ suis, manibus adornasse videntur; Suada, Gratiæ, Lepores certatim corollas nectunt, trophyæ erigunt. Ita undique perfecta vestra est, et absoluta dictio, ut neque additum illis quicquam, neque detractum Musæ patientur: nec in ea Cato gravitatem, humanitatem Lælius, impetum Gracchus, parsimoniam Sallustius, Cicero opulentiam requirat, prorsus ut cum Lucilio, de illa exclamem: Quam lepide lexes compostæ: ut tesserulæ omnes Eudopavimento, atque emblemate vermiculato! Nos ad has Eloquentiæ vestræ flamas balbutimus, Musaque pedestri privatis, ac prope socco dignis vocibus lallamus.

Mall. fol. 2.
6. 63.

Audi Tubalcain: si verum est dictum vetus: Innocentiam causæque æquitatem, eloquentiam esse: ista ratione profiteor memet nemini omnium, quotquot estis, de eloquentia concessurum. Si quædam nimis antiqua, si pleraque dura, et exculcata; si prægnantia, et quæ sine obstetricie Lexico non pariunt Baptis, Peniculo inesse censes; si madida illa et natantia orationis vestræ sensa, quibus nihil expresseris præter plebeium et inutilem succum, desideras: et sapis, et mecum facis, et Iove iudicas æquo. Nam, non ego inornata et dominantia nomina solum, verbaque Pisonis amo: sed Poëtam doctum audio: Obscurata diu populo, bonus eruet, atque proferet in lucem, speciosa vocabula rerum, quæ priscis memorata Catonibus, atque Cethegis: nunc situs informis premit, et deserta vetustas. Nihil est itaque, quod iusta puerorum circa puppas ac sigilla sua pallentium, de verbis turbes: Nam nec ulla in Peniculo vocula, quam Latinæ aures ignorent, optimisque Latii sermonis Magistris acceptum non feramus: nec an usitate, sed an

Horatius.

vere bullatas Apologæ vestræ nugas Peniculus deterserit, attende. Nam si grata est vulgari ac plebeia veste ornata veritas; gratior erit, si nec indecora, nec quotidiana fulgeat purpura. Denique non omnes eadem mirantur amantque. Quocirca, illecebris erat, et grata novitate morandus Lector eruditus. Vos sermonum ac rerum pariter Egisthi, qui et purum Religionis liquorem, novitatis vestræ oleni fœce corruptistis, et Pannionam Latii sermonis barbarie commaculastis: si dictionis nostræ vetustatem, quam alibi miramini, arroditis; nihil moramur. Sine rivali, loquacitatis vestræ olenticeta, lacunosisque incilibus voraginosam, vel subluviam cœnosa lubricam orationem vestram miremini: nos (præfiscine dixerim) ferulæ manum subduximus; dicendi leges a Prædicantibus non accipimus. Et, o si stribiliges vestras inter seria memorare vellem, videres et rideres. Quam non adstricto percurrat pulpita socco, Quem tulit ad scenam ventoso gloria curru! Sed absit ut ubi de dogmatum

¹ Hier. Apolog. 3. contra Ruffin.

² Cont. Hel. vet. fine.

³ Apolog. 3. cont. Ruffin.

veritate agitur, muscas consecter; non nunc legi: ¹ Inter Christianos, verborum vitia non solere reprehendi ² apud quos Solœcismus est magnus, et vitium, turpe quid, vel narrare, vel facere, ³ peccata enim putent, non verba.

Verum non contenti præcoquis, ac hornis assuefacta magna illa Sapientiæ columna, Catonianæque severitatis normæ Prædicantes, in orationis nostræ vetustatem, nervos loquacitatis intendisse, per trabem suam, festucam nostram aspiciunt, implent cœlos quiritatibus, quod crustula ex libo, comptula scitamenta, laudumque placentulas, novis Attendentibus primitias, more maiorum non detulimus. Quin potius tota frondis libertate volitantia falsitatis iacula, clypeo Veritatis repulimus, stipulas inanum opinationum excussimus; fibras errorum excandicavimus; insolentiæque Prædicantice pruriginem Latio perfudimus aceto. Se igitur nimia ista sermonis libertate, imo acerbitate vellicari, se styli nostri mucrone convulnerari, striata fronte, adductisque superciliis vociferantur.

Austerula alicubi dictio, non abnuo, quis enim ad tot fraudum vestrarum Iliadas non exacerbescat? Crudioribus igitur interdum verborum pugnis capita Prædicantium depilavimus: et inficitissimæ Alogiæ fœcutinos Autores, ad balnea, et thermas, lautius, sed rarer, strigilavimus, non ex rancore certe, aut aliorum contemptrice arrogantia, sed quod stylo medicinam facere malui, quam blando demulcere affamine, et adulatorum ungue scabere, prodesse, non placere Prædicantibus volui: ut pudeant, ut rubeant, ut pœniteant

malui, quam ut exultent, ut rideant. Medicamenta minus valida non extrahunt humorem noxiū, qui radices egit, et fixit pedem, sed movent. Ego sane ad inculpatam tutelam stylum torsi, acie Veritatis penetrabilem. Quod si ad cotem interdumasperatus calamus iugulum non hominum, sed errorum petiit, nihil est quod miremini, Prædicantes. Nam ut vos sementem fecistis, ita ut mete-retis curandum mihi fuit. Vos choreæ huius præsultores fuistis, vos funem duxistis, vos irritasti, cum iura Ecclesiæ usurpastis; cum Apologiam vestram, alieni nominis laceratricem, ad obterendam una cum veritate famam existimationemque maximi Antistitis contor-sistis: cum indecora ac concava verba, austera fronte, contractis rugatisque naribus trutinati estis. Vos priores bellicum cecinistis, nostra invasistis. Nos iusta ac necessaria tuitionis arma cepimus; ferulam contra retiarios extendimus, durioribus lupatis insolentiam vestram compressimus; tabem veritatis, absynthio et aceto purga-vimus; scalpello circumcidimus. Nihil tamen cuiquam affinximus: quod res est, diximus. Si risimus alicubi, materiis ipsis satisfactum, multa sunt sic digna revinci, ne gravitate adorentur, vanitati, pro-prie festivitas cedit. Congruit et veritati ridere, quia lætans: de æmulis suis ludere, quia secura, et ubicunque dignus risus, offi-cium est.

Tertull. contra
Valent. c. 6.
u. 48.

Sed quæ, malum est hæc incitantia, ut cum scateas ulceribus, medicam aliis manum porrigis? Diripias proprio fallæ de lumine tignum, Tunc minimam alterius curabis demere aristam. Tabernariis maledictis, inscritis, incivilibus, ruris plenis lædoriis, confertum stipata est Alogia Prædicantica; furoreque percitus Tubalcain, velut ursus bipes irruit, ac plenis convitorum cataractis nos perpluit; omnia tamen, quæ e favisis Prædicanticis enata, in meras melligines, meros iunculos transeunt, quasi ut ille apud Poëtas, attactu omnia inaurabat: sic Prædicantium linguae atrocissimas criminationes, in urbanos sales vertere possint.

Iuvencus

Fingunt homines lenissimi, et Mosaicæ mansuetudinis, dicis, morisque causa, nescio quam in respondendo modestiam, ad mansue-tudinem spiritus Christi accomodatam: sed lupinum animum, agnino lanitio tegunt; et dum mirifice se circumspiciunt, quasi ad ipsum Modestiae speculum comptos, Comediam ludunt; humanilatis persona, Furias oculunt; fictis Syrenum vocibus, in labris non in fibris natis, blandiuntur; sed viperæ ritu, niveo denticulo, atrum venenum inspirare volunt. Nec dubito, quin ad tantam congestorum probrorum, fædæque

Mall. fol. 3.

*convitionis, et mendaciorum Lernam, etsi non erubuit facies
Prædicantica, quæ pudorem diu decoxit: ipsum tamen libri atra-
mentum, erubescendo conversum in minium. Neque enim legere
memini scriptum aliud isto inverecundius, vel impudentius: in quo,
præter amethodicam confusionem, nihil nisi rus merum est, et
scurrilis maledicentia. Evidem sic sentio: si quis male temperati
Malleoli, modestarum aurium convulneratrices strepitus, quibus non
commoveri, vix in valde siccum, et sapientem cadere potest; si
minas, si criminationes sturnatim volitantes, flosculos scilicet corollæ
Prædicantæ, in unum colligat; perdere si quis in his dignabitur
otia curis; miracula accensebit, tantum spurci lætaminis ex ore
humano prodiisse, Stercus, et sterquillinium, et sedes stercoraria,
Bellua turpissima, Bestia, Bufo, Rana, Pediculus, et quid non?*

*Mall. fol. 2. passim in ore pedicosi Prædicantis. In ipso statim vestibulo, scœvo
omine, hederam suæ scriptioni figlutes, stercore se inbulbitatos, non
purgatos attactu Peniculi, modestia mundissima queruntur Prædicantes,
ut non immerito illud audire possint, quod Lutherus a viro diserto.*

*Erusius
Epigram. 124. Dum stomachans loqueris, merda est tibi semper in ore. Merda
sit ac utinam semper in ore tuo. Os ea si loquitur, quibus et
cor abundat, (ut author certus ait) cor erit quanta latrina tuum?
Cum quid Peniculus esset, assequi quidam forte non posset, Calcho-
graphi errorem ratus, Pediculum rescribendum rebatur. Placuit
ludionibus scomma, huic Pediculis passim referta scriptio Prædi-
cantica. Sed scire debes Tubalcain, Quamvis Crœsos, quis spiret,
aut Darios, literæ marsupium non sequuntur: sudoris comites sunt
laboris, sociæ ieuniorum, non saturitatis: continentiae, non luxuriæ.
Quocirca, tantum apud vos plausum ferre non debuit, quod inscitia,
quamvis fulta divitiis, temere concepit. Pergo.*

*Iesuitas, legionem illam vere fulminantem, quæ tela vestra
iugulo Ecclesiæ intentata, non minore studio, quam cetera Ecclesiæ
membra, divinæ Sapientiæ fulmine extorquet, gregariamque Hæreti-
cotorum turbam obruit; Deum immortalem, quibus convitiorum
fœtutinis, probrorumque faedissimorum acervis, non conspurcat
Tubalcain! Quam non ructat graveolentis linguae proluviem, in
sanctum Ordinem! Male tornatos illos, quos fol. 121. Faber attexit
versus, perlege, quisquis es; intelliges, suis se coloribus pinxisse
Prædicantes: meque Malleatorum supercilium, illis ipsorum cestibus
descobinare posse fateberis. Si Pater ipse Mendacii scripsisset neque
turpius, neque mendacius; addo, neque maledicentius scribere*

potuisset: ut dubium Prædicatores reliquerint, illene ab his, an hi ab ipso, malitiam hodie discant.

*Sed frustra in altum spuitis, o boni: Vestra vobis in faciem
reincident phlegmata. Frustra Flora Lucretiæ, impudicitiam: Catilina
Ciceroni, perduellionem obiectat. Spargite in Iesuitas, quæ ipsi
meremini, exspuite viperini dentis exitiale virus. Nunquam egerie
vestra Ordinem illum, coaxationes coccismosque vestros, æquis,
inconniventibusque oculis ex alto despicientem, conspurcabitis. Quin-
potius, ut rosæ alliorum vicinia fragrantius olen: sic cætus ille,
sudes in oculis vestris, aculeus in corde; quo maligniore pestilentis
syderis vestri influxu obsidetur, eo gratiore Deo hominibusque
spirat pietatis, defæcatorisque doctrinæ odores, magnoque se honore
deorari, magno cumulari beneficio existimat, dum cavillis in illam
velitantur Prædicantes. Criminentur igitur, fingant, ringantur, crepent
Brontesque Steropesque, nunquam efficient, vel si omnem Erebì
cohortem in aciem excieant, ut Ordinis illius nitor aureus, petulantis
linguae ærugine inficiatur; aut sinceræ puritatis candor vipereo
afflatu livescat. Tumident se quantum volent Prædicantes, nunquam
rana bovem mole exæquabit.*

*Ego vero prolixam virulentiæ laciniam, faedasque aspergines,
quibus Tubalcain deterrire me conatur, ne ineptias Prædicanticas
insecter, ultiro condono; nec, quid de me Nactœ isti existiment, moror:
sed memor illius: Beati eritis, cum maledixerint vobis homines; ut
Pestanas rosas, ut candida lilia habeo, indigestam illam maledicto-
rum molem, quam in me aggerant. Mori enim mihi contingat ante,
quam bene a Prædicantibus audier. Qui Regio laborant morbo, cete-
ros auriginosos putant; oculus, qui per nebulam, aut aquam aspicit,
res metitur falso modo: et mirer ego vel indigner, si malignitatis
livore infecta mens Prædicantium, præpostere, ac distortim de me
iudicet? Rabiosis, ac furentibus nemo irascitur: ego Larvis, Maniis,
Intemperiis agitato Tubalcain succenseam? Non facio, læderer a me
ipso, si facerem. Et aperte, ac candide dico: dum rudes Adversa-
riorum criminationes, et stabulo nata ac fata convitia lego; non cor-
uritur, sed splen salit.*

*Verum, ne diutius in hoc Augiæ stabulo morer, dabo aliquid
amori vestro, Prædicantes; dabo Lectoris pudori, densissimamque
illam luem, ac sentinam convitiorum, quam vel soluta ac difluente,
vel lascivientium Poëtastrorum numeris adstricta et revincta oratione
concessistis, seponam, nec me ad anilia iurgia demittam. Victores*

vos, et triumphatores perpetuos in hac palæstra, lubens, merito, dico, sciscoque; peculum ac hereditas Prædicantium est, libere convitiari, criminari, Pseudolum in scenam dare; quos de fundi sui possessione non deiicio. Quin, ut olim Ephori, cum per ludibrium a Clazomeniis eorum subsellia fuligine turpata essent, hanc illusoribus pœnam inlixerunt, ut publice proclamarent, Licere Clazomeniis indecore facere: ita ego publice testatum facio, nemini fraudi fore, si Prædicantes artem suam factitent; si virus suum in alios exspuant; si probra sua immerentibus alliniant; confertimque stipent, petulantiam, rusticitatem, rabiosum impetum.

§. 2. Triplex Vulpinatio.

*Ægyptis ranis, eam ingenitæ sagacitatis vim inesse narrat
Ælian. lib. 1. var. hist. Ælian. ut in Varum, Nili fluminis aluminum incidens, arundinis frustum in obliquum demordeat: ille, cum tanto non sit oris chasmate, ut ranæ simul, ac quod ore gestat spiculo absorbendo sufficiat, illæsam qua velit abire ranam patitur. Assectantur ranarum hæc vestigia Prædicantes. Animadvertunt pro sua Bœotica sagacitate, incertas ipsorum opiniones, nullo pondere, et tanquam saburra veritatis stabilitas, quovis vento obrui posse: quocirca suam cum pace publica, virorumque clarissimorum existimatione, causam confibulant; supera infera commiscent; suspicantur, minacias, terrors, velut missilia spargunt; et, quos æquitate causæ non possunt, fremitu, quietisque publicæ Religione submovent. Monueram, ne secundo, quibus illorum nunc vela tument, vento insolecant, pro-*

Mall. fol. 2. et 13. cella se involvi posse cogitent. Alio hæc, quam quo ego destinaram, vertunt, mira, et dira sibi denuntiari vociferantur, quæ in Austria

Mall. f. 113. et Bohemia secutæ turbæ revelarunt. Somniant nescio quas funestiores machinationes: iam pilis Hispanicis latera ipsorum fodicari putes, ita gemunt. Milesiæ Punicæ vobis, et capra quem nondum peperit hædus, tectus ludit. Timida est, Prædicantes, suspicaxque malignitas, quæ suo ceteros pede metitur, et ut fæda libidine mersus Nero, nihil ingenui pudoris superesse in aliis existimabat: ita qui turbatæ mentis furores versant, sœva de innoxiiis præsumunt, sed si

fas a vobis, heteroclitæ mentis et oris Prædicantibus, percontari; dicite, hominem, bullam, punctum temporis, humanarum rerum vicissitudine ad modestiam revocare, cæcumque impetum ruinæ monere, turbare est? O frenetici hostis Tartareo fatuatam spiritu

phantasiam! o sanguinarii Clamatoris crux stillantem orationis mucronem! His nimirum, his, similibusque temulentis affanniis, quibus deblatteralis pulpita Prædicantium perstrepunt, furiant suorum animos, acerbantque in odium nostrum. Ensem hæc verba seditionum stabella exacuunt perniciabilis linguae malleo. Et quod oleum flammæ, quod sulphur incendio, quod flagellum Furiæ; hoc sunt placidi hi sermones, truculentæ vestræ nutrimenta, quibus in camum pastoritiorum exitum inhortantes audacissimos quosque immittitis.

Ego Fidium testor, ne in mentem quidem mihi venisse, quod tibi et in linguam, et in calatum venit. Nam, ne te tuosque gnatos clam sit, Malleator, etsi nobis omnia terrorum plenissima, spei modica, auxiliorum inania esse videantur: adhuc tamen cœlum volvitur; et ægroto cuivis, dum superest, spes est. Longe tamen studia cogitationesque nostræ a vestris absunt. Secta vestra, torrentis instar, rapido præcipitique currit alveo, obvia quæque uno velut impetu convulsura, et quaqua versus furibunda fertur, non irrigat, sed eluit. Nam, ut vir Germanici Evangelii incunabolorum gnarus, literis consignavit: ad Lutheranam, Calvinianamque cotem cuspidatis hastis subnixa est novella hæc Doctrinæ lues: bellis adolevit: proscriptiōnibus Catholicorum, cœdibus Sacerdotum arvinam auxit. Quisquis enim Confessionis Augustanæ patrocinium prætendit, iustas videtur habere rationes, ut superna imis, et Divina humana permisceat, omnemque potestatem tantum non pedibus conculcat. Veritas vero, non præceps turbinis instar ruit, sed lento gradu, pleno tamen constantique fluit alveo. Et ut in summis fluminibus videmus, sensim sine sensu, obluctantes eluit terrarum sinus. Ipsa causæ bonitas, ipsa de victoria securitas, Christi promissione subnixa; ipsa adversus deerrantes commiseratio; ipsæ denique Evangelicæ prædicationis, minutæ instar ac lentæ pluviae, terram placido lapsu irrigantis, primordia cogitatione comprehensa, facile id a nobis impetrant, ut non eo furore ac impetu Veritatem promoveamus, quo suos alienati errores.

Sed, ut his me salebris semel expediam; palam, ac libera voce causam Prædicantium, ab eorum quos fascinarunt, causa seiungimus; falsa dogmata, non Illustres Personas traducimus. Quod si quis sugillari se existimat, cum strophæ Prædicanticæ, fædam mephitim exhalantes, in Orcum unde natæ retruduntur, quæ nostra hic culpa? DEUS, et amica Veritas, humanis odiis favoribusque præstant, et, accusator sui est, qui irascitur, quando sine nomine contra

*Andreas Fabri-
cius, Præfat.
Harmonia
Confessionis
Augustanæ.*

*Ieronym. Apo-
log. 1. contra
Ruffin*

vitia scribitur. Turbas porro quietis publicæ, nec scimus nec suscipcamur alias, quam quas movere, ac fovere solet inquieta semper Novitii dogmatis prurigo. Nam quod eos, qui secuti in Austria ac Bohemia rerum motus, a Peniculo longe ante denuntiatos; quod comitis Palatini existimationem denigratam baubat Malleator: mendaciorum incudam tundit; loquitur multum, nihil præter effrenis linguae impudentiam probat. Sed bene habet, quod malitia non habeat tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ iuncta esset potentia; et totum, quicquid cupit calumnia, prævalereret. Sed quoniam specilla, malignitatis tuæ naribus suspensa, et longule dissita, et vicine assita commonstrant: late patentes Europee campos Epidaurii serpentis visu permea; videbis turbas et fusi sanguinis rivos e vestro fonte. Invitus ad ista, vel intento digito leviter

Hier. Apol. 1. contra Ruffin.

Cic. pro Gabi. 1. contra Ruffin.

designanda pertrahor. Scio enim prudentis esse, post reconciliatam

simultatem, etiam leves suspiciones vitare, ne, quod fortuito feceris,

consulto fecisse videare. Illud quoque disertissimi Oratoris obver-

nio.

satur: Ego, inquit, cum omnes amicitias tuendas semper putavi, summa religione et fide: tum eas maxime, quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam, propterea quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ vel negligentiæ excusatione defenditur: post redditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur; nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet. Quocirca, fide bona, ac candore niveo profiteor, quod importunitas Malleatorum extundit, innocentiae nostræ vindicandæ opportunum, non ut animos committamus, nec ut sopitas ventilemus flamas, sed ut suo stet Veritas loco, memoramus.

Mall. fol. 2.

At, turbas quadamtenus, inquit Tubalcain, nam nos, cum Helveticis eadem pace publica comprehensis, committis. Leonina societas, concordia Cyclopica! Nihil attinet Cadmæos fratres committere: fœdo iampridem ac implacabili lacerati sunt dissidio, summisque medullitus viribus contendunt. Nam etsi in hoc, ut calvere pergant, ut oppugnent Catholicos, adamantino nexu fœderantur: variis tamen inter se sectarum libidinibus, sententiarumque cœmulationibus in diversa abierunt, studio, et malo ambitu certandi. Ruspere Malleator, Hunnii vestri Calvinum Iudaizantem: Theologiam Calvinianam Conradi Schlüsselburgii: Philippi Nicolai Fundamentorum Calvinianæ sectæ cum veteribus Arianis et Nestorianis communium detectionem. Et, ne abeam longius, Alberti Graneri, Cassoviensis Didascali, Bellum IESU Christi et Iohannis

Calvini: Severini Sculteti, Bartensis Glamatoris Dicatoriam epistolam Erothematis de Idiomatum Communicatione. *Vel ex his cognosces, quam infida pax, quam discors Concordia Helveticos nectat Lutheristis. Ego enim actum non agam, interminabilesque doctrinæ ac orationis vestrœ contentiones non persequar. Ipsi scitis, viperas, quæ exeso matris utero in lucem proserpunt, parricidioque gignuntur, parricidæ sobolis ultrices dentium laniatus effugere non posse.*

Est Altera quoque non insolens Prædicantibus Vulpinatio: VULPINATIO II.
quod in vestigio, in quo pedem fiximus, pugnare nolunt, sed flexus ubique ac diverticula circumspiciunt. Medæam, aut, si malis, Mithridatem imitantur. Nam et illa fugiens, fratris discerpta membra, in iis locis, qua se parens sequebatur, dissipavit; ut eorum collectio, mœrorque patrius, celeritatem consequendi retardaret. Hic vero, victorem ut falleret exercitum, magnam auri atque argenti, rerumque pulcherrimarum copiam reliquit, ut dum hæc colligerent diligenter Romani, ipse effugeret: sicque ille in persequendo mœrore, hi lætitia retardati fuere. Meis quoque Malleatoribus, unica illa est defensionis prora ac puppis, ut alio ducant. Sæpe in Pontifices Maximos, omni acerbitate genere grassantur, quem velut altera Circe, aut Canidia, mirificentissima metamorphosi in species varias commutant: sæpe universe ordinem Hierarchicum Ecclesiæ lacerant: sæpe Illustrissimum Cardinalem, sæpe Iesuitas allatrant: scilicet, ut vigorem animi nostri mœror obtundat, interclusisque dolore faucibus conticescamus. Alias, ad vana, vel externa abeunt: et aurum interdum, argentumque utilium quæstionum jactant; ut dum in iis, quæ præsentem disceptationem non attingunt, immoramus, spaciū elabendi habeant. Verum ego, et inconditas convitiones surda aure transibo, et aliunde adscitis detineri me non sinam, ad orbitam ubique Prædicantes revocabo, in statu et gradu depugnabo, atque ad eum qucm in Peniculo fixi stipitem, cuncta iacula dirigam.

*Postrema illa est, nec obscura, nec ignobilis Prædicantium VULPINATIO III.
Vulpinatio: quod, cum se clatrī Veritatis ita conclusos videant, ut nullum porro sit reliquum suffugium, ærumnabili hoc labore defungi se, atque extra tela deinceps et agonis huius pulverem, continere velle libera et aperta fronde profitentur. Et, ut in fabulis, Apollinem humilis victorice contra Marsyam puditum est: sic grandes hæ aquilæ, tenuem deinceps ac vulgarem muscam captare nolunt. Ephorus huius pensi, et quorum præterea interest; per me, uti Mall. f. 120.*

Fecialis voce, publice intimant, si quid bufo Iemicius, vel ranæ Iesuiticæ (*o modestiam: o puritoquium:*) contra coaxarint, nos minima replica dignaturos. *Et subductis superciliis, caperataque fronte, vetant ne quis redhostiat: ne ferream frontem Prædicantium coniscando perfringat.* Capitisque periculum denuntiant, nisi ante hos sacrorum Isidis gerulos, cernui procumbamus: Erit, inquiunt, qui Hydræ huic caput conficiat extremum. Sceptrum aliquando gessisse videatur qui *haec* scripsit, ita Basilicæ prorsus, et severæ hæc edictiones. Sed, amabo sodes, Chamæleontis et Vertumni istius Mavortem in lingua, caduceum in manu habentis, varium ac mutabile ingenium, *imo* sermonis discidium vide. Ampullatissime gloriatus ante fuerat, Maximus iste, Unus qui nobis scribendo restituit rem; Calatum calamo, papyrum papyro sese opposituros.

Mall. ibid. Mall. fol. 17. 113. et c. Quam intrepide, quam Herace iste impavidus pugil: At mutata nunc velificatione, æterno se damnat silentio. Prudens, Deum immortalem, ac sapientiæ plenum consilium! Pythagoras ille, multi-iugis disciplinarum fontibus toto orbe haustis, nihil prius discipulos suos docuit quam tacere: verbaque volantia, detractis pinnis, intra murum dentium premere. Hoc primum erat sapientiæ rudimentum; loquitare dediscere, et loquaciores quidem, exilio vocis in quinquennium privabantur: viris gravioribus, brevi spatio taciturnitas modiscabatur. Vestras ille, Prædicantes, æterno silentio damnasset

August lib. 3. cont. Maxim. c. ult. linguis, quæ nec loqui norunt, nec tacere desuescunt. Et sane, si ita porro responsuri essetis, ut modo respondistis, non plane

⁵ de CIV. cap. 27. aliquid responderetis, sed non taceretis. Facile est cuiquam videri respondere, qui tacere nolunt, quid enim est loquacius vanitate? quæ tamen non ideo potest quod Veritatis: quod si tacere noluerit, plus potest clamare quam Veritas. Parcere nunc quoque labori poteratis, nec os ultra obvertisse, quia tamen sapere aliquando melius est, quam nunquam; cate facitis, si magnum a magno viro consilium, cui vos insistere velle dicitis, constanter

August 5. de Civit. ca. 27. sequamini: Considerate omnia diligenter: et, si forte sine studio partium iudicantes, talia esse nostra perspexeritis, quæ potius exagitari garrulitate impudentissima, et quasi Satyrica, ac Mimica levitate, quam convelli possint; cohibete potius vestras nugas, et emendari a prudentibus, quam laudari ab imprudentibus eligite. Agite igitur, necessitatem virtuti deputate; veteres illos, incognitos vestræ sectæ præsultores assectemini, qui totis Mille quadringentis, et quod excurrit, annis, ad usque Lutheri discidium, Eudyominis

somno in aliquo Trophonii antro sopiti, nulla scriptione Ecclesiam funestarunt. Quod si tamen semel adhuc scribere, et palinodiam Stresichori modo canere adlubescat, consilium probo. Nec erubescite de commutata sententia, tanti non estis, ut errasse vos pudere debeat, et victas dare Veritati manus, hoc demum est vincere.

Hier. Apolog.
3. in Rufin.

Atat, ferocitatis etiam, si nativam Catholicæ veritatis speciem, sua, quod aiunt, fronte proponamus? etiamne malleum capiti confiendo, si vos ultra turbulentaverimus? si histricosæ ac lividæ mentis homines submovemus? Quid necesse fuit accusationis volumina proferre in medium, si denuntiata morte me deterres, ne audeam respondere? Terres me gladiis: et accusationem non iam Ecclesiasticam, sed tribunalium comminaris. Quid agam? si taceo, criminosis ero, lenitatem enim meam, conscientiæ signum interpretabuntur Prædicantes, silentioque crimen agnoscisse gloriabuntur. Si scriptis falsitatem iugulo, et qua docendo, qua movendo iuvō: manus expediunt, quibus exossent, ac dedolent assulatum viscera: gladios, quos defigant in iugulum, tanto ante tempore exacuant: funeralis choragium, perpeti celeritate apparant: meque Bacchatim discerpendum cruore humano aspersi atque impiati Prædicantes devovent, illudque Donatistarum ingerunt: Nos oves vestras insidiabantibus morsibus, luporum more deprædamus. Vos, si boni Pastores estis, tacete. Protervitas superciliosa! Stridet vulnus in pectore, candida prius, sanguine membra turpantur: et tu mihi dicis, noli manum adhibere vulneri? Quid? non vis, ut iniustum vim, vi iusta repellam? nec questus, nec gemitus, nec lacrymas dolori liberas esse concedis? nec causæ dictionem permittis? cum lutatam habeam faciem, nec simplici quidem aqua diluere sinis? Non ita, Prædicans, non ita.

Hieron. loco
citato.

¹ *Venena vestra, nostra sequentur antidota. Et ² quia vos pacem scuto petitis; nos olivæ ramum gladio inserimus. ³ Canes latrant pro dominis suis: et tu non vis me latrare pro Christo? vis me tacere? ne accuses. Depone gladium, et ego scutum abiiciam. Si pacem desideras, arma depone. Blandienti possum acquiescere: non times comminantem. Desinite pharmacum thanassimum propinare: nos calatum nunquam in vos stringendum, aris appendemus. At, quoadusque quæ vultis, scribetis: falsos animi vos habere nolumus, legetis quæ haud velletis. Erratis enim errore impensibili, si panem, quem sinistra manu porrigitis, solum nobis conspicuum esse; lapidem vero, quem dextera absconditis, nostrorum aciem oculorum effugere arbitramini. Erratis, si vel percelli nos*

Aug. Epist.
169.

Hiero. loco
citato.

¹ Hier.
Apolog. 3.
contra Ruff.
² Idem contra
Lucifer.
³ Idem Apolo.
3. in Ruffin.

terricrepis Prædicantium bombis remini: vel adeo defætam Ecclesiam Christi existimatis, ut nullos habeat, qui vobis ea in os dicere audeat, quæ Cypriamus, quæque Hieronymus libera fronde protulerunt.

¹ Cypr. Ep. 55. v. 102. ² Hier. Apolog. 3. in Ruffin. Aug. Epist. 167.

1 Armant nos Hæretici, dum putant sua comminatione terreri, nec deiiciunt, sed magis erigunt, et accendunt. ² Quod si aliter amicus tuus esse non possum, nisi Hæreticorum amicus fuero; levius tuas incimicitias, quam illorum amicitias sustinebo. In uno igitur consentire tibi non potero: ut parcam Hæreticis, ut me Catholicum non probem. Si ista est causa discordiæ; mori possum, tacere non possum. Nec phrenetici volunt ligari, nec lethargici excitari, sed perseverat diligentia charitatis phreneticum castigare, lethargicum stimulare; ambos amare: Ambo offenduntur: sed ambo diliguntur, ambo molestati, quamdiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur. Si pro errore homines, et damnabili dissensione, et convicta modis omnibus falsitate, tanta præsumunt, ut eorum salutem requirenti Catholicæ Ecclesiæ tam audacter insidiari, minarique non cessent, quanto magis oportet eos, qui pacis et unitatis Christianæ offerunt veritatem, omnibus iam dissimulantibus et cohibentibus manifestam, satagere instanter atque impigre, non solum pro eorum munagine, qui iam Catholici sunt, verum etiam pro eorum correctione, qui nondum sunt. Nam si pertinacia insuperabiles vires habere conatur, quantas debet habere Constantia? quæ in eo bono, quod infatigabiliter agit, et Deo se placere novit, et proculdubio non potest hominibus prudentibus displicere.

Sed ut sermonis compendium faciam, et quod res est, diserte, exerteque dicam: Hanc serram toties exdentatam, quam reciprocare non erubescitis. Prædicantes; crambem, quam toties recoctam, rancidoque perfusam iure apponitis; cærealia militiæ vestræ arma, quæ toties retusa stringitis, invitus tango; invidiam, malignitatis vestræ follibus conflatam, moleste sustineo. Quietis ego, et concordiæ favissor, nova odia serere nolim, vetera funditus extirpare malim. DEUS mihi melius, quam ut mei causa, vel tantillum quis patiatur. Et nisi de Anima, de Aeternitate, de Beatitate ageretur; nisi Divinæ Veritatis nitor, Ecclesiæ Maiestas, Religionis puritas asserenda esset: nisi Prædicantium piaculari philtro cœcatis, auxiliatrix dextera porrigenda, oppressa ac pene fatiscens mole calumniarum Veritas, Innocentia, Fides, vindicanda esset: manum tabulæ submoverem. Verum, inter sacrum, et saxum positus, ne sileam, Numinis premor instantia:

nec solum tot iuga invitamento me prolectant, sed et Christi charitas urget, et Vœ cessantibus denuntiatum, stimulus subiicit. Itaque vultuosam ut lubet frontem, rugis insurgentibus exarate, Prædicantes, plenisque in exitium meum operemini affectibus: in Domino confido: nec timebo, quid faciat mihi homo. Et cum mihi terrores ingeritis, Mathatice illud ego mente volvo: A verbis viri peccatoris nec timueris: quia gloria eius stercus et vermis est. Hodie extollitur, et cras non invenitur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio eius perii.

2. Corint.
5. v. 14.
1. Corint.
9. v. 16.

1. Mach.
2. v. 62.

PENICULI PROLOGIUM

AD PRAEDICANTES, APOLOGEMATIS ARCHITECTOS.

Fama iam pridem auditioneque acceperam, gravissimo cordilio præcordia vestra consauciata fuisse, Prædicantes observabiles, quod næniis vestris vehementer reclamatum esset ab Illustriss: Cardinali: qui constantia Sacerdotali, grassanti errore se opponere; moramenta conatibus vestris iniicere; fatiscentem insolentia vestra veritatem adiutam ire, non intermittit. Et quoniam apud eos, quos fascino præstigiisque vestris eluscatis, quique nec salutis suæ studio, nec tædio vanitatis vestræ nullo veritatis pondere saburratæ, melioribus audiendis aures animosque commodare volunt, inconditis præconiis effictim iam pridem efferri cognoveram nescio quam, communi studio plurimorum vestrum emussicatam Vaniloquentiam: Arbitrabar equidem, dignum vos aliquid expectatione hominum; dignum noviter erecti Magistratus splendore, concinnitudine, maiestate; dignum tanto nixurientium conatu foetum, edituros: præsertim cum præcoqua nimium, intempestiveque gliscens inanitas quorundam (ex eorum numero erant, quibus et guliocæ vestræ nuclei, et mariscæ saporati fructus, et labruscæ botryones, et omnipacina dulcia mera, et amurcæ ac flaces gratæ olivitates videntur) sic Apologema sub prælo sudans dilaudaret, ut Catholicos porro confectos, ne hiscere quidem posse, insolentissime gloriaretur.

Ego vero, quamvis multo ante, ex maledicendi studio, longo a vobis usu comparato, de responsionis modo coniecturam capere potui: futurum tamen non existimavi, ut tam uberem, et pro me,

et contra vos dicendi materiam, pauculis mihi chartis suppeditaretis. Illud vero ne sperare quidem poteram, ut familiaris consuetudinis vestræ, quam pro suggestu ad populum longo errore captum observatis, nativam quandam imaginem, literis quoque exprimeretis: hoc est, ut sæpe statum quæstionis positæ, callide, et quasi stationem furtive deserendo, aliorum torqueretis; ut in solvendis argumentis tam impeditæ ubique hæreretis; adianoëtis chartas farciretis; ut Scripturarum sacrosanctis testimoniis, lubricis ambagiosisque coniectationibus pueriliter abuteremini; denique ut vanissimis cariosorum sophismatum anfractibus, et ad fucum facendum conciliato dicendi genere, quemadmodum indoctæ plebeculæ imponere, ita Doctorum censuras effugere vos posse, arbitraremini.

Sed bene sit illi, cuius auspiciis ac nutu, defensionem hanc vestram, mangonio multiplici phaleratam, sol aspicit. Neque enim aptius vivam Fidei vestræ, Vanitatis vestræ effigiem Apelles ipse expressisset, quam depinxit Apologia Cassovina. Et nisi exploratum haberem, nihil tam esse falsum, quod mens præiudicio occupata, Prædicanticisque alliceiacta nidoribus, pro vero obtrusum non acceptet; facile adducerer ut crederem, vanitate vestra, ac erroribus Apologiæ, non secus medicinam factam deceptis populis, quam venenatis suis ictibus medetur ipse, qui læsit, Scorpius.

Quod igitur bene feliciterque vertat, nitellam hanc candificam. converritricem, nitidantemque Analecta Apologiæ Prædicanticæ, confidere aggrediar: atque ita, Dœ duce, crepundia, sutellasque vestras demoliar, ita incernicula veritatis lolia vestra vannabo, ita vanitatis vestræ fucum detergam, ac nativam Apologiæ deformitatem in apricum deducam, ne molli, et ad lascivientis oculi Veneres picturata, sed torosa ac mascula dictione, velut marra duriore tundam, ut una eademque opera, optimi ac vigilantissimi Pastoris: Archiepiscopi Strigoniensis innocentiam, æquitatem, legitimamque Solnensis Synodi impetitionem, dilucida hac aëtiologia, omnibus palam facere non intermittam, atque ut verbo dicam, amuleto alexicaco, virus quod afflare cogitastis, depellam.

Neque mihi animus est, ut ad eos, quos substituistis ineptæ huius vestræ farraginis autores, viros Illustræ, ac Nobiles, ullæ responsionis meæ partes spectent. Certis enim indiciis exploratam habeo, nihil quidquam huius Apologiæ visum a plerisque Magniorum illorum Modiperatorum, quorum nomina præferuntur in diagrammate. Nec ea doctrina instructi illorum singuli, quæ ad hoc

tenuissimis eruditæ mentis pulvisculis leviter respersum scriptum, vel perlegendum, vel percipiendum sufficere possit. Et si qui ex ipsis tincti literis, videre se aliquid supra plebem arbitrantur; nec otium illis, nec lubentia est, ut in Prædicantium messem immittant falces, hancque disputationis ferram reciprocent: cum Aliptæ, et Agonothetæ esse malint, quam Palæstritæ, ac Pancratiastes, ignota in arena, Andabatarum more decertantes.

Quod si qui forte virorum Nobilium ad se quoque pertinere arbitrentur, quæ Prædicantium insulssas affanias tangunt, telaque in alios missa ultiro induunt, secum isti bella gerent, suæ temeritati succenseant.

Vos interim valete, Prædicantes, et favete linguis.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

. §. 1. *Corniger Tubalcain, argumento bicipiti, bicornique dilemmate gemino, arietat in Prologium. Næniis Prædicanticis, et grasantि errori sese opposuisse Archiflaminem dixeram.* Si Næniæ sunt, inquit Tubalcain, acta nostra cur tam solenni programmata reclamavit Cardinalis? quid viro gravi cum næniis? Idem genus doctrinæ, nostris in Ecclesiis sonuit ante Synodum Solnensem: aut ergo doctrinam nostram erroneam, bonus Pastor non curavit: aut nunc, pro sola sua Episcopali eminentia depugnat. Utrumlibet concedas, Cardinalem veri Pastoris munere privaveris. *Hem! argute! mirum, ni Carneades iste helleborum sumpserit, adeo ingeniosæ suæ sapientiæ Labyrintho concludit.* Dic, inconsiderate Faber: si honestas genitricis tuæ genas, pingui sputamine, vel fædo vomitu, procax vernula dela dehonestet; indecorum gravitate Prædicantica iudicabis, abstergere alienæ impudentiæ catharmata? Sponse Christi, matris nostræ Catholicæ venerandam puritatem, vos fædissimo Diaboli deciduo conspurcatis; et miramini, virum gravem, et Sacerdotem, illi detergendo manum admovere? Nauseas, et vomitus vestros inviti tangimus: sed tangimus, ut eluamus. Absistite modo, et ubi ante annos centum, doctrinæ vestræ Præsides, magna illa nomina, NULLUS et NEMO, ibi vos quoque importunas, quibus obtunditis, næniæ vestras obruendas, et nisi iis succurrendum esset, quos DEUS 2. Cor. 4 v. 4. huius sæculi excœcavit, traditos in operationem erroris; ne nunc quidem viri graves refellendis næniis vestris sese detineri paterentur.

Mall. fol. 5.

Itaque, et nœniæ sunt, quibus Prædicantes popellum dementant: et a viris gravibus repellendæ sunt, ne noceant, ne fædent. Et curavit, ac pro virili pressit antea bonus Pastor, doctrinæ vestræ impetiginem: et nunc, eo validius sibi obnitendum existimat, quo insolentius sese iactat effrenis Prædicantium audacia. Leges igitur disiunctivæ orationis, dilemmate comprehensæ, nescivit retrimentum istud inscītæ, dum adversa fronte opponit, quæ cohærere monstravimus.

§. 2. Noviter erecti Magistratus Superattendentici, splendorem

Mall. fol. 5. *ac maiestatem nominaram: Quem tu, inquit Tubalcain, nobis splendorem bone vir narras? Vestra ista sunt. Paupertas Christi, est nostrum patrimonium. Vix vela audentibus sustulisti Tubalcain, vix de portu egressus es: iam fluctuas? quid facies, ubi in ipsum quæstionum pelagus loquendi cœstu abreptus fueris? Splendorem, et maiestatem nominavi: de opibus, de paupertate, verbum non addidi: non externum illum, quibus oculi detinentur, sed quem inesse Superattendenticæ dignitati vos arbitrari existimaram, splendorem dixi: quem tamen, quia reapse nullus est, iure merito non agnoscis.. De frugali illo, ac Christianæ parsimonie floribus resperso, Paupertatis vestræ pienu quod attexis: si tantus amor egestatis urit præcordia, cur Lanii vestri, postquam Attendere sibi cœperunt, et veste Damascena induuntur, et senis equis circumcursant? cur ab omnibus prope modum Hungaricæ tractibus, alieno ore, effictim per literas contendistis, ut ruricolæ denos per singula capita solidos, ruscatoribus vestris dependerent? cur nuper admodum Comitatui Trentiniensi, Lanii vestri querelæ graves obtrusæ, quibus ea, quæ olim legitimis Sacerdotibus pendebantur, Popis Lutheristicis negari dolet? cur ali qui Prædicantes, dissimulata persona, arma gentilitia posteritati transmittenda, furtive a Maiestate Regia extorserunt? cur Censum Cathedraticum Diaconis eripuerunt? Bene vestiti, bene nummati de alieno, Prædicantes, salvete. Hæc, atque alia coactæ vestræ egestatis argumenta. ut sudem in oculis, ut molam asinariam in collo, non ut patrimonium vos habere Christi paupertatem, notant. Si secus est: unum mihi ex illa colluvie Prædicantium, Europam venenantium, qui (ut in gremio Catholicæ matris fieri videmus) opibus, quibus affluxit; Magistratibus, quos gessit, ultro sese abdicarit, atque in summa deinceps paupertinæ vitæ asperitate, soli deserviens DEO, ætatem transegerit.*

Anno 1612.
5. Febr.
Qui? loquantur Lanii, Alvincii, etc. *Lanii vestri querelæ graves obtrusæ, quibus ea, quæ olim legitimis Sacerdotibus pendebantur, Popis Lutheristicis negari dolet? cur aliqui Prædicantes, dissimulata persona, arma gentilitia posteritati transmittenda, furtive a Maiestate Regia extorserunt? cur Censum Cathedraticum Diaconis eripuerunt? Bene vestiti, bene nummati de alieno, Prædicantes, salvete. Hæc, atque alia coactæ vestræ egestatis argumenta. ut sudem in oculis, ut molam asinariam in collo, non ut patrimonium vos habere Christi paupertatem, notant. Si secus est: unum mihi ex illa colluvie Prædicantium, Europam venenantium, qui (ut in gremio Catholicæ matris fieri videmus) opibus, quibus affluxit; Magistratibus, quos gessit, ultro sese abdicarit, atque in summa deinceps paupertinæ vitæ asperitate, soli deserviens DEO, ætatem transegerit.*

Lancinat veterator vetustatem dictionis Peniculi: sed retusa iam satis linguae procacis temulentia. Porro, quia Prædicantes, ne

noscantur, faciem obumbrant; et aliena tecti larva, fanda infanda proclamant: monueram, in eos, quorum nomina Apologiæ præfixerunt, Responsoris meæ tela haud intorqueri, nam et analphabeti quidam illorum, et multi ne per somnium quidem Apologiam vide-runt antequam protruderetur. Hic Malleator, haud stulte sapere me, ait, quod cum valentiore non decertem. Verum, sic habeto, Tubal-cain: me honorem omnibus libenter impendere, ab iniuria abstinere, officio demererri quam irritare malle. Ceterum, cuicuimodi sit ille, qui Catholicæ fidei nervos incisum it, qui Petri navim pulsat; nec opes ipsum, nec honores, extra teli huius iactum constituent. Nam, etsi aliis in rebus, invidiæ periculique plenum sit componi cum potentibus: DEI tamen causa, summis etiam Imperii Romani mode-ratoribus, scriptionis clypeum obiecere viri sapientissimi.

Addit Tubalcain: approbasse omnes, non scripsisse Apologiam, et elato supercilio iactuosissime gloriatur; Sæculares suos consuli-tiores esse sacrarum literarum, quam raso vertice Missificantes. Salve o, quisquis es, fons eruditio-nis, alpha penulatorum. Subit animum psephisma Lacedæmoniorum de Alexandro, qui maiores homine spiritus sumpserat: Quoniam Alexander esse vult DEUS; DEUS esto. Idem ego de tuis illis Sæcularibus dixero, qui, ubi summis labris rivulos Latii sermonis degustarunt, scientiarum arcem occupasse, Argivum clypeum abstulisse videntur; cæloque illos vim inferre velle putas, adeo cristas tollunt, et, ut Varronis verbis utas, Videntur sibi saperdæ, festivi, belli, cum sint copræa. Ego sane inter Sæculares vestros vidi, qui ultra peram saperent: reconditam illam sapientiam necdum vidi. Et nominare tibi possum ex iis, quorum nomina tanquam autorum, Apologiæ præfixistis, qui a nobis primum accepere, ipsorum nominis umbra picturatam esse Apologiam.

Ælian. lib.
2. Var. hist.

Origo et status controversiæ, cum Elencho rerum tractandarum.

Pietate in DEUM, ac DEI parentem Virginem, susceptæque semel Religionis constantia, nulli secunda nationi fuit quondam Hungarica. Atque ut eo validioribus repagulis firmata veritas consisteret, non multo post quam unius Lutheri, Christi mandeam

depeculantis, audacia, letalium malorum Iliades inundarant, publicis Regni comitiis in leges relatum fuit: *ut Lutheranos omnes, ac eorum fautores, tanquam publicos hæreticos, hostesque sacratissimæ Virginis Mariæ, pœna capitis, et ablatione omnium bonorum Regia Maiestas puniret.* Diutule postea, ut pullulantia excetrae istius capita validius resecarentur, rursus his ipsis concepta fuere verbis decreta Regni: *Lutherani omnes de regno extirpentur: et ubicumque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticas, verum etiam per sæculares personas, libere cipientur, et comburantur.* Demum ut gliscentis novitatis stolones, ac pullulantes fibræ eruncarentur, ut impetigines vitiligenesque in purissimo corpore iam tunc fruticantes, alexipharmaco validiore depellerentur; gravissimo Senatus-consulto sancitum fuit: *ut Sanctæ Romanae et Catholicæ Ecclesiae, quæ unica est, et sibi perpetuo constans, errareque non potest, omnes Regni Ordines perpetuo adhaereant.* DEUM immortalem; si leges huiusmodi contra nos habeant, quas numellas, cippos, catastas, fidiculas, quas ungulas, boias, pedicas expedient, quas lanienas erigent macellarii Prædicantes: quos deartuabunt, emasculabunt, eunuchabuntque Sacerdotes: quorum nonnullos superiori tempestate exsectis virilibus, semiviro, verpos reddirentur. Et tamen, tanto temporum tractu, in tanta rerum opportunitate, in nullum unquam Lutheranum, Religionis ergo lege actum fuit a Catholicis, et numero, et opibus superantibus.

Nulla porro alta, quam quæ his decretis continetur, libertas Lutheranæ Calvinianæque sectæ concessa legibus Hungariae fuit, ad hanc usque nostram, malorum fæcundam, feracem Religionum, ætatem. Nunc demum, post tot ætatum funera, postquam funesta novitatis prurigine, tot simplices animæ, ex prædamnatarum defloratione constructis opinacionum portentis, fatuatæ, in omnem fidei lepram exulcerantur venenanturque; postquam Regiæ Maiestatis Sacrosancta autoritas, Bocskiana factio imminuta, ac protempore eversa iacuit; magna contentione, bene a maioribus rotunda tornataque, decircinarunt adversarii, sanxeruntque, ut *Sua cuique Religio et Confessio ubique Libera relinquatur. Nec quisquam omnium, in libero eiusdem usu ac exercitio, a quoquam impediatur.*

Hac tam ampla, quaquaversum patente, nec ullis circumscripta cancellis, trimulæ iam Libertatis concessione, cum non solum Lutheranæ, sed æque Calvinisticæ, Anabaptisticæ, Arianæ, Iudaicæ, Mahometicæ sectæ libertas, haud obscure videretur

Artic. 54.
Anni 1523.

Artic. 4.
Anni 1525.

Artic. 12.
Anni 1550.

Artic. 1. Ante
coronationem.
Anno 1608.

admitti, approbarique: Catholici universi, sed maxime primarius Regni status, qui Prælatos complectitur, diu multumque, tanta ad exitium libertati, obstitere. Sed ubi numerare, non ponderare suffragia placuit, ulterius progressa est licentia, additumque: *Ad præcavenda inter status odia et dissensiones, quælibet Religio suæ professionis Superintendentes habeat.* De modo tamen eligendi hos Superintendentes, deque eorum proventibus, ac ministerio, verbum nullum.

Eodem. Art.

Hanc igitur libertatem nacti Lutherani Prædicantes, atque illi vel maxime, qui primatum appetebant, Comiti Georgio Turzo persuadent, ut sua (quæ tunc Palatinalis non erat) autoritate interposita, Synodum Solnam convocare, Superintendentes eligere, ceteraque nondum satis ordinata disponere vellet. Datae igitur literæ, die 20. Junii, Anno 1609. quibus Dominus Comes queritur primum: *Quanta cum iniuria Sacræ Religionis, ac gentis Hungaricæ, indigencæ nostri, sacris inautorandi, Wittembergam, Brigam, interdum in alia remotiora loca, profactionem suspicere hactenus sunt coacti, ac si non idem Spiritus Domini in hac quoque mundi plaga spiraret, nosque regeret;* subdit deinde: *Consultum videri, ut duo vel tres Superintendentes elegantur, qui ad Pastorale munus aspirantes, ad Sacrosanctam Ministerii Evangelii dignitatem promovendi habeant facultatem.* Quocirca rogat, ut ad 15. Julii, Solnam convenient, ubi hæc, aliaque pertractare possint commodius. Convenere pauculi, sed nihil quidquam concludi potuit; vel ambientium, sibique mutuo hanc tantam Ecclesiasticæ dignitatis maiestatem invidentium vitio; vel ob alias, quas in vulgus dare haud expedit, causas.

Ne tamen, qui hactenus summam Religioni Sacrosanctæ, summam genti Hungaricæ iniuriam irrogarant Prædicantes, pergerent porro Dœo hominibusque invisi esse; placuit iterum Solnam convenire, ubi diu multumque omnia mature examinata, cum ad diem 29. Mensis Martii Anno 1610. Patres convenissent, die demum 30. eiusdem Mensis (unius nempe dieculæ longissimo curriculo peractis rebus omnibus) Triumviri Capitales, Mensarii, Nocturnique simul constituti: Iisque, ut speciem aliquam vetustatis Ministerium referat, Iudaicis nominibus cognobiles, ac famigerabiles viri; *Isaac Abrahamides, Elias Lanii, Samuel Melichius.* Hi omnes Protomystæ, ac solo nomine Superattendentes denuntiati. Deinde vero, *Stipendia Superintendentum, præter censum Cathedraticum, et Ædituorum contributiones* (multatitia pecunia, qua reos peculant,

Artic. 2. excidisse videtur) *pius Zelus, ac liberalis Comitatuum clarigatio*
 Art. 11. in *supplento: Superintendentes quotannis per se, vel per alios, Ecclesias*
fine. *visitanto: Causas ad forum Ecclesiasticum spectantes diiudicanto;*
 Artic. ult. *et ita quidem, ut ab illis ulterius appellare non liceat. Denique,*
 Artic. 7. *iureiurando adstringunt Superintendentes, ad eius quæ in formula*
Concordiæ continetur, Augustanæ Confessionis Pandoræ decantatissimæ professionem. Cæteros vero, qui Ministerio initiantur, libro
Concordiæ subscribere iubent.

Huic porro celeberrimo concilio, ne deesset autoritas, subsumma in gens, viri 52. scripsere Barones Maximates duo; Magnates nuperi non plures, quatuor; Nobiles sedecim; Cives tres; Ministri (qui, ut omnium postremi, atque in ipsis Synodis Lutheranis, nil nisi lixæ et calones, extimique trahariorum, agmen claudunt, citimique subsignant) magno omnino numero, sed rurestres plerique, atque etiam ominosa nomina, Lanii, Fabri, Larices Carbonarii, Masuri (mirum si non Suarii, et Arboratores, et Camparii, et Areatores, et Opsopæi, et veteramentarii Lucriones aliqui) septem supra viginti.

Posteaquam ergo acta Synodica publici iuris facta, ad manus Illusriß. Cardinalis perlata sunt, mirari primum tantæ præsumptionis insolentiam: deinde, lacessitus, publico typisque vulgato scripto, obviam ire instituit, atque hunc in modum edixit:

Nos FRANCISCUS FORGACS DE GHIMES, S. Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Strigoniensis, locique eiusdem Comes perpetuus, Primas Regni Ungariæ, Legatus natus, Summus Cancellarius et Secretarius, ac Sacrae Reg. Maiestatis Consiliarius, etc.

Cum nos, licet immerentes, Divina bonitas, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensi præficere dignata sit; omni studio admittendum nobis intelligimus, ut quantum iniquitas temporum patitur, ovibus Christi, curæ nostræ commissis a Principe pastorum, ita consulamus, ut rationem reddituri de animabus; lupos ab oviaria Christi, etiam corporum nostrorum obiectu arceamus; assiduaque vigilancia excubantes, velut in specula constituti, pericula eisdem denuntiemus.

Quia igitur superioribus diebus eousque audacia illorum, qui concionibus miseram plebeculam in errorum laqueos inducunt, progressa est, ut coitionem quandum in oppidum Solnam indicerent, novo, ac antea in Ungaria inaudito exemplo, suæ Lutheranæ professionis Superattendantes eligerent, a quibus deinceps cetera

ministrorum turba initiaretur; Leges denique ac decreta figerent, communi Iustitiae, legibus patriis, Ecclesiasticæ libertati, sacris Canonibus, DEI decretis contrarias: committere sine animœ nostrœ discrimine non potuimus, quin palam ac publice, omnibus illius conventiculi actis ac decretis, tanquam animarum æterno exitio, communique Iustitiae exterminandæ natis, contradiceremus.

Principio ergo, non sine plurimarum animarum perditione, Superintendentis nomen usurpari ab his novellis Ecclesiæ DEI turbatoribus, vel inde manifeste deprehenditur, quod ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabilis, postquam Apostolico ministerio, Ecclesiarum rectores Episcopi sunt constituti; nunquam pro legitimis recepti sint Episcopis, nisi quos aliorum Episcoporum ordinatio consecravit. Nam ut vetustissima Apostolicorum canonum decreta taceamus, Sacrosanctum ac Universale Concilium Nicænum primum (quod vel conferre, nedum æquare Solnensi Conciliabulo; sacrilegum foret) id quod usu receptum fuerat, lege sancxit: ut Episcopus non minus, quam a tribus Episcopis ordinetur, ita tamen ut Metropolitanus Episcopi autoritas habeatur, absque quo ordinatio irrita sit: Si igitur periuri esse nolunt nuperi isti Superattentes, sua ipsorum sententia Episcopi esse haudquaquam possunt. Nam iureiurando adacti sunt, Non aliam doctrinam se propugnaturos ac promoturos, quam Confessionem Augustanam. In ea vero Confessione, palam profitentur, se in nullo fidei articulo ab Ecclesia Catholica dissentire: tantum paucos abusus omittant, qui novi sunt, et contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti. Cum igitur contra Nicæna Synodi vetustissimos ac Sacrosanctos Canones, Superattentes se nominari sentiant; nisi Augustanae Confessionis, ac iuris iurandi violatores haberi velint, necesse est, falso nominatos istos Superattentes, ovina se veste Episcoporum, immerito contegere: adeoque nullas ab ipsis legitimas Ministrorum Ordinationes fieri: nullum ex iis Sacramentis quæ ordinationem requirunt, legitime administrari ab iis quos initiant: sed umbratilem ac vanam esse quæ ab iis sit, Absolutionem, Eucharistiam etc. Quæ quam gravia miseræ plebeculæ incommoda, animarumque adferant, nemo est qui non videt.

Adde, quod gravissimis et ab omni humaqutatis, ne dicam Christianitatis sensu alienissimis errorum portentis populo propoundendis, adstringit Solnense hoc conventiculum infelices Prædicantium animas. Cum enim statuit, ordinandos omnes Libro Concordie sub-

Canone 4.
apud Ruffi-
num, lib. 1. c. 6.

Artic. ult.
Solnensi.

Conf. Aug.
Art. 21. initio.

scribere, id demum sancit, quod in Libro Concordiae disertim ex-

Ar. 7. Solnensi Liber Concor. Epitom. Art. Controversor. Art. 5. Negat. *primitur: Damnandam esse doctrinam, quæ docet, Evangelium non esse TANTUMmodo concionem de gratia DEI, sed proprie esse concionem de pœnitentia, arguentem, accusantem, damnantem peccata.*

Ibid. in Affir- mat. n. 8. Ibid. Art. 1. Negat. 6. *Item, Docendum esse, passionem Christi proponere iram DEI ad- versus peccata, ut cognoscamus, quanta Dominus in lege sua a nobis exigat, quorum tamen NIHIL nos præstare possumus, etc.*

Demum, Damnandos esse, qui docent superesse in homine CAPACI- TATEM, aptitudinem, facultatem, industriam, aut vires, quibus in rebus spiritualibus COOPERARI valeat, ad bonum aliquod. Hæc aliaque errorum portenta, sacro huic Conciliabulo ex Libro Concordiae approbata, eo nimur spectant, ut apertum ac patens hominibus ultro in malum ruentibus, exitium accersatur. Si enim NIHIL ex Divinæ legis præscripto agere possumus, si ne CAPACITAS quidem in nobis hæret, ut DEO moventi per gratiam, COOPERE MUR, si Evan- gelium TANTUMmodo gratiam denuntiat, asperitatem pœnitentiae, metum peccatorum longissime removet: Quid adhuc satagimus in Sanctitate et Iustitia ambulare?

His accedit, quod gravissimo quoque usurpati Iuris alieni onere se prægravat hocce Conciliabulum, nam Synodus abnuente Metro- politano indicere, Visitationes Ecclesiarum in aliena diœcesi, bonorumque Ecclesiasticorum dispositionem in se derivare privata auto- ritate, contra longissimi temporis Præscriptionem, Canonumque ac Legum patriæ sanctitas constitutiones: quid aliud est, quam rapere ac sine ullo iuris ordine, alienum ius sibi usurpare?

Nullæ certe Ungariæ leges, ne quidem perturbatae Reipub. tem- poribus latæ, ius tribuunt novis Superattendentibus, vel censem Cathedraticum adimendi, antiquaque sæculorum aliquot possessione Archidiaconos deturbandi: vel causas forum Ecclesiasticum concer- nentes, ad has Episcoporum larvas deducendi: vel per viam Apel- lationis præsumptuosa ipsorum iudicia non declinandi: Et tamen Solnensis hæc Pseudosynodus, et census Cathedraticos Archidiaconis, quorum antiquissima possessio certissimas origines habet, abiudicat, ac intrusis Superattendentibus suis adiudicat: et causas Ecclesiasti- cas eorum iudicio committit: et provocationem ab ipsorum diiudi- catione vetat. Quæ omnia Injustitiae plenissima, Divinis, ac humanis legibus, Decretisque Ungarie adversantur, nec quidquam horum in publico Regni conventu definitum. Et quamvis definitum foret, ipsis tamen legibus Ungarie suffragantibus, quidquid Sacris Canonibus

Ecclesiæ adversatur, invalidum ac nullius firmitatis esse debere dignoscitur.

Quæ cum ita sint. Nos coram DEO, ac mundo universo protestamur, iniquas has novellæ coitionis sanctiones, Libertatis ac Iurisdictionis Ecclesiasticæ, animarumque exitio latas, Invalidas, Iniustas, ac nullius ponderis esse et haberi debere: Districteque ac sub pœna Excommunicationis inhibemus, ne, vel ipsi falso intitulati Superattententes, census Cathedraticos percipere, Ecclesias diœcesis nostræ visitare, Ordinationes Ministrorum facere, Causas forum Ecclesiasticum concernentes diiudicare, nedum Apellationes prohibere, præsumant. Inhibemus item, et sub Anathematis vinculo vetamus, ne ullus censum Cathedraticum aliis, quam quibus ab antiquo pendebat, dare præsumat; neve ad Pseudosuperattendentium diiudicationem, causam ullam fori Ecclesiastici deducat. Ac nihilominus, Reverendissimis in Christo fratribus, Episcopis diœcesis nostræ Strigoniensis, nec non dilectis filiis Præpositis, Abbatibus, Archidiaconis, ceterisque omnibus, ad quos hæc res spectare dignoscitur, iniungimus ac mandamus, ne quidquam de iure suo in Ecclesias, in quas ab antiquo ius habuisse dignoscuntur, remittant: census Cathedraticos exigant; ac suæ Iurisdictioni subiectos Ministros, si qui forte illorum, causam Ecclesiasticam ad Novitium aliquod tribunal deducant, ad forum spirituale evocatos, ac iuris ordine convictos, irremissibiliter puniant.

Ceterum volumus, ut hæc nostra Protestatio, Contradictio, Inhibitio, ac Præceptum, quo facilius ad manus plurimorum pervenire possint, Typis excudantur; eademque fides excusis exemplaribus habeatur, ac si ipsæ originales, manu nostra subscriptæ ac sigillo munitæ exhiberentur. Datum Posonii, in aula Nostra Archiepiscopalí, Die XVII. Aprilis, Anno M. DC. X.

Quia vero non solum Typis vulgata, verum et pro suggestu propalam enucleateque denuntiata, et basilicarum valvis appensa fuit hæc Illustriss. Præsulis contradictio; movit bilem cerebrosis, cervicosisque Prædicabulis, veterascentis, et iam triennalia celebrantis Libertatis voluptabili adorea vernantibus, ac undatim, velut ad commune incendum restinguendum, accurentes, hi plausta convictorum, situlas ac siphones petulantissimæ maledicentiæ alii responcionem nonnulla verisimilitudinis cerussa ac purpurisso fucatam pauci, meditari. Demum, longo puerperio Apologiam elumbem, pædore ac illuvie squallidam, succi sanguinisque expertem,

sola densissimæ ignorantiae nube fuscata, solis turgidam minatiis, viscatis tinctam pellaciis, vulgaribus denique e trivio convitiis prægnantem, protruserunt. Atque ut securius sub clypeo Martis latitarent Attendentes, quia Veritatis radios ac penetrabile telum, adverso pectore excipere se posse desperabant; eorum nomina brutæ scriptio appenderunt, quorum se umbra, tutos ab omni Catholicæ scriptiois telo vanissime augurabantur.

Hanc ego Apologiam Prædicanticam, ad Lydium Veritatis lapidem revocare, multisque ac magnis errorum ac vanitatum anfractibus scabram, ad asciam dedolare, Deo duce, aggredior.

Eleuchus Capitum.

Et PRIMO quidem, Superintendentes novos, ipso suæ electionis exordio, Augustanæ Confessionis decreta, quibus iureiurando sua capita devoverant, violasse, palam faciam.

SECUNDO : Illegitimam, ac prorsus nullam esse Novorum Superattendentium, ceterorumque ab iis proseminatorum Ministellorum Vocationem, luce hac meridiana clarius commonstrabo.

TERTIO : Rectissime ab Illustriss. Cardinali dictum fuisse docebo, Unica Libri Concordiae approbatione, ad quam Superattendentes adstringuntur, plurimis errorum portentis, animas suas devovisse novos Archimystas.

QUARTO : Comprobabo, Divinis ac Humanis legibus obluctari Prædicantes, cum census Cathedraticos, ac dignitatem fori Ecclesiastici, etc. ad se derivant.

QUINTO demum : nihil ab Illustriss. Cardinali, contra publicas Regni constitutiones patratum esse, cum obviam ire præsumptioni Prædicanticæ non intermisit, luculentis argumentis testatum reddam.

Porro a colubri linguis, viperæ dentibus, omnis celsioris animi adrosoribus, convitia in Illustriss. Cardinalem velut missilia sparsa, idcirco tacitus prætero, quod et ad criminaciones iam occalluimus, et Lunam non lædi pleno rictu latrantum canum, aut coaxantium ranarum incondito sono, usu ipso condecefacti sumus : Nec aliud ab Eutrapelia Prædicantica exspectamus, quam lævigatas lædorias, quibus Præpositorum Ecclesiæ gloriam malevolentissime deminutum eunt; adeoque apud nos, species quædam dedecoris censetur, si Prælatus quispiam bene a Prædicantibus audiat.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

*Squameæ cervicis Præster, striato tumore sublivis, multimodis-
que serpens voluminibus, in arco deprehensus; veneno noxia colla
sanguinans, nunc in spiras se contorquet, nunc erigit infaustum
caput, exertis ac vibratis spiculis, fœdoque sibilo territat verberan-
tem. Imaginem Malleatoris nostri habes. Qui et patere, et premi
Synergorum suorum fraudes conspicatus, incertus consilii, veneno
turgentem linguam præcipitis rotæ instar versat. Festinat, differt,
audet, trepidat, diffidit, irascitur, ludit, morsicat; nec sibi constat,
nec veritati. ¹Totus tumet, totus iacèt, attolit se per singula, et
quasi debilitatus coluber, in ipso conatu frangitur.*

¹ Hier. lib. 1.
in Iovinia.

*§. 1. Pietatem in DEUM, ac DEI Parentem, maiorum nostro-
rum nominaram. Malleum hic rapit Tubalcain, validisque icti-
bus incudi calumniæ allidit: ²Quantum video, eximia pietas est
Pontificiis, DEUM cultu et honore ipsius spoliare: pro Creatore,
creaturam colere, invocare, adorare. Truncus iste dolamine effi-
giatus, proxime assita non videt: quod inaniti capitum phasmata
exhibit, videre se existimat. Nos nihil quidquam de honore Divini-
tatis decerpimus. De cultu Sanctorum quæ Catholicis stet sententia,
non meis, sed Antistitis Hippoensis verbis accipe: ³Calumniatur
Faustus, nos vertisse Idola in Martyres; quos votis, inquit, simi-
libus colitis. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa
solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut
meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuvetur, ita tamen,
ut nulli Martyrum, sed ipsi DEO Martyrum, quamvis in memorias
Martyrum, constituamus Altaria. Quis enim Antistitum, in locis
sanctorum corporum assistens Altari, aliquando dixit: Offerimus
tibi Petre, Paule, Cypriane? Colimus ergo Martyres, eo cultu
dilectionis et societatis, quo et in hac vita coluntur sancti homi-
nes DEI, sed illos tanto devotius, quanto etiam fidentiore laude
prædicamus, iam in vita feliciori victores, quam in ista adhuc
usque pugnantes. Habes Christiani populi sententiam, de cultu
Sanctorum. Quocirca patrissas tu, in artificio mentiendi Luthero,
cum per impudentem calumniandi libidinem affingis nobis quæ
non agnoscimus. Sed nihil figmenta vestra, nihil tendiculas, nihil
fumos ac caligines, quibus ex oculis hominum auferre lumen cona-
mini, moramur: dum a DEO, et recte factorum conscientia mente, ab*

² Mall. f. 7.

³ Aug lib.
20. cont. Fau-
stum ca. 21.

omni Divini cultus plagio absolvamur. Neque enim a Cœlitibus aliud humili prece contendimus, quam quod ab iis, quibuscum degitis, forte æternum perituris, vos ipsi postulatis; quod a Deo petere sine crimine nullus possit: Nimirum, ut fusa ad DEUM prece, ancipiti lucta distractos sublevatum eant.

§. 2. Legibus Ungariæ proscriptum Lutheranismum: nunc demum per temporum iniuriam, per reciprocos bellorum æstus, per malas adversariorum artes ad pileum vocatum dixeram.

¹ Mall. f. 8. *Plurifariam istud tundit Malleator. Principio:* ¹ temporibus ingnorantiae latas has Leges, cum lumen Evangelii Christi nondum ita longe lateque illuxisset. *Digna Cippo, Gyarisque brevibus sententia. Scilicet, aliquos Tubalcainos, liberanda Veritas exspectabat,* ² interim perperam Evangelisabatur, perperam credebatur: tot millia millium perperam tincta: tot opera fidei perperam administrata: tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot Sacerdotia, tot ministeria perperam functa: tot denique Martyria perperam coronata. ³ Omnes omnium ætatum fideles, omnes Sancti, omnes Casti, Continentes, Virgines; omnes Clerici, Levitæ, Sacerdotes; tanti Martyrum exercitus; tanta Urbium, tanta Populorum celebritas: tot Insulæ, Provinciæ, Reges, Gentes, Regna, Nationes; totus postremo terrarum Orbis, per Catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto sœculorum tractu, ignorarunt, errarunt: Vos primi, et vos soli, qui orbitam extra paternam circum flexistis; qui extra alveum, ac vetustatis littora, fluctus vestros vertistis; qui Ecclesiasticæ traditionis aggeres transsiliistis, aperto (scilicet) Evangelico sibario, veritatem defossam puto Democritico ostendistis; imo eruistis: adeoque cœcutiens mundus hic, quaqua patet universus, ad hæc prima vestra specilla lucem vident. Ungari, ante hos Centum annos, nihil de Christi Evangelio auditione accepérant, magna illa sœculi nomina Stephani, Ladislai, Emerici, etsi pleno ad cœlum laudibus cursu prælivere, quia tamen necdum sacer Monachus Dei codicillos funesto calamo fædaverat, aversum a recta Evangelii orbita cursum tenuere; etsi populum sibi commissum qui contra naturæ vocem omnem ac sensum obsurduerat, obrutueratque, gentili errore expiatum, Christo adiunxerunt; quia tamen nec ad popinam Lutheri, ut spumantem pateram, et plenum Baccho aurum haurirent, nec ad impiatæ Calvini mensæ crustulum vorandum deduxerunt, procul ab Evangelio, tota quod aiunt via deerrarunt. Hæc, quæ non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes, credi

² Tert. Præscript. c. 29.

³ Lirinens. cant. profan. Novit. c. 33.

vult omnia Tubalcain. Et credet, qui in eadem stulta navi cum ipso. Aristotelem idcirco mulum vocitabat Plato, quod ubi distenta lacte ubera exhaustiunt muli, obversa calce lactantem petunt. Quid de vobis dicturus esset vir sapientissimus, si vetustissimo Parentum vestrorum Senatui, Sapientiam, dignitatem, atque autoritatem, per vos detractam intelligerer? si Maiores vestros, pro quibus Christus sanguinem oppignoravit: quos fonte salutari abluit, Cimmeriis tenebris, inferisque devotæ ignorantiæ reos agi cognosceret? Progreditur arrosor vetustatis, Lutheranosque non sine gravi iniuria Hæreticos a maioribus nostris nominatos queritur: Nam et scripturis Canonicis unice, inquit, addicta est Lutheri soboles. Et quatuor Oecumenica Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, ambabus ulnis amplectitur. Et Iustinianus eos demum pro Hæreticis habendos sanxit, qui diversum a quatuor his Conciliis profitentur. Denique lege Regni, qui damnatae Hæresi adhæserint, annumerantur Hæreticis. Lutherani porro in nulla Synodo auditи, vel damnati.

*Ælian. lib. 4
variae histor.*

Mall. fol. 8. 9.

*Novell. 115.
L. si quis.*

*Trip. part.
1. Tit. 14.*

Si Scripturam vestro, non vetustatis sensu acceptam memoras: fateor, eam vos, peræque ac Calvini et Arii reliquias, patulo brachiorum sinu excipere. Sed¹ de intelligentia Hæresis est, non de Scriptura. Et, qui Christiani nominis pallio se contegunt,² non ob aliud Hæretici sunt, nisi quod non recte Scripturas intelligunt. Quantumvis igitur tumides te laneo tegimine et ovilli tergore: labem tamen hæreseos non effugis. Si Lupinos dentes et ungues, Scripturæ velo contegis, eorumque de illius sensu consensum explodis, per quos Scriptura ad nos derivata pervenit. Quanquam, si id nunc ageretur, proclive esset numerando percensere, quot carnificum vestri ordinis manus Scriptura persenserit, delevit ille, alter allevit, hic totas paginas, ille totos libros sustulit; et inviolabilem DEI codicillum sacrilego calamo fœdavit, alius manu Scripturas alias sensu expositiones truncavit.

Quod Hæresis reos pronuntias,³ qui abeunt a Quatuor illis orbis Christiani Senatusconsultis; quique damnatae pridem hæresi adhærescunt: sapienter iudicas; nec Calvinum modo ac Lutherum, sed te quoque ipsum hæresis damnas. Nam Calvino⁴ quidem adeo Nicæni Patres non probantur, ut eos omnis humanitatis ac modestiæ oblitos, imperitia furoreque lapsos; secuta deinceps Concilia, multis partibus contaminata, scribat. Lutherus⁵ vero, in Nicæno Concilio⁵ Luth. Tomo 2. contr. Leges sacrilegas adversus Scripturas conditas blatterat. Quid vero, Regem Angliæ.

*1 Hilar. 2.
de Trinitat.*

2 Aug. 7. de Genes. ad liter. c. 9.

*Tert. Pre-
script. c. 38.*

3 Mall. f. 8.

*4 Cal. lib. 4.
cap. 9. v. 10.*

an non abis tuipse ab his Synodis? Ex veteri Ecclesiæ traditione

- ¹ Sozom lib. 1. cap. 21. desumpta est illa Nicæna Constitutio: ¹ Ne, qui Cælibes gradum Sacerdotalem consecuti sunt, Uxorem ducant. ² Ne in Clericum Socrat. lib. 1. c. 8. Trip. lib. assumatur, qui secunda coniugia sortitus est. ³ Sanctissimum 2. cap. 14. senioris Romæ Papam, Caput esse, et Primum omnium Sacerdotum. ² Amb. Epist. 82. ³ Iustin. Novell. 131. Chalcedonensis Synodus, Romanum Pontificem, Universalem Episcopum nominat; quarta et sexta actione. Quod et ⁴ Gregorius Magnus profitetur. Anathemate percellit Sanctimoniale, quæ, post datam DEO fidem, nupsit; Act. 14. can. 16. Plura huiusmodi percensere proclive esset, quæ tu omnia fumos putei abyssi arbitraris: et tamen Hæreticum dicis, qui decreta quatuor Conciliorum convellit?
- ⁴ Greg. lib. 4. Iudict. 13. c. 80. et 82.

Et quis numerando recenseat, damnatas ab orbe Christiano hæresum labes, temeritate vestra excitatas? Latissimus hic mihi ad dicendum campus aperitur, quem plenis quadrigis decurrere non est animus. Iugulavit ⁵ pridem conversus pollex Christiani orbis universi Aërium: quod pro eo, qui rebus humanis valere dixit, superstitem preces infructuosas contendit. Iovinianus, hæresis reus dictus a veteri illo et meliori ævo: quod Nihil prodesse diceret Ieiunia, vel a cibis aliquibus abstinentiam. Virginitatem Sanctimonialium, et Continentiam sexus virilis, in Sanctis diligentibus vitam cælibem, Coniugiorum castorum meritis adæquabat. Nisi hæc ipsa verbatim vestra sunt; vos ego damnatae hæresi non adhærescere fatebor. Taceo, quod Synodus Tridentina, ad quam fide publica interposita toties vocati estis, vestros iam pridem orco, unde exciti, retrusit errores. Et quamvis multa vos de Nullitate Sacrosanctæ Synodi muginemini: non magis tamen vestra illi præiudicat importunitas, quam Nicæna Synodo Arianorum pervicacia. Nam, ut nulla cuidam arbor qua penderet idonea visa, ne ulla facinerosis sat æqua sententia: ita ne fingi quidem cogitando potest Synodus Oecumenica, quæ ad palatum vestrum faciat. Siquidem, ut postea comprobabimus, veteris Ecclesiæ Canon est: Præter Romani Pontificis sententiam, ne convocari Synodum, ne in ea quidquam definiri posse. Vos contra, Synodum omnem, calculo Pontificis comprobatam, execramini.

^{Vide infra} c. 5. §. 1. *Quæ de mortifera, nescio qua, idolomania Catholicorum subnectit Malleator; maledicta sunt, ex abdito depudentiæ penu prompta, quibus non immoror. Siquis enim ex rupiconibus, baiulis, tabernariis, vel peronatis abigeis pallium Prædicanticum sumat, disertius etiam*

^{Mall. fol. 9.} *Quæ de mortifera, nescio qua, idolomania Catholicorum subnectit Malleator; maledicta sunt, ex abdito depudentiæ penu prompta, quibus non immoror. Siquis enim ex rupiconibus, baiulis, tabernariis, vel peronatis abigeis pallium Prædicanticum sumat, disertius etiam*

quam Tubalcain convitia vomet. Et abunde iam orbi innotuit, psittacis simillimos esse Prædicantes, nam ut illi, nihil aliud quam quod didicerunt pronuntiant, et si convitia illos docueris, diebus ac noctibus perstrepunt maledictis: ita hi, diutino usu in naturam vertere maledicta; hoc illis carmen, hæc cantilena est.

§. 3. Sed habet adhuc *Prædicans*, quod nominatis in *Peniculo Decretis* opponat. Articulus Anni 1523. per modum *Supplicationis* oblatus Regi orthodoxis non consentientibus. Et nec illo, nec qui anno 1525. sancitus, Regiam confirmationem subscriptam habet. Itaque nec Regia autoritate, nec usu roborati sunt: et contraria consuetudine abrogati. *Miscellanea hæc turba passivorum Prædicantium, non suopte corde, sed alienis verbis regitur: consiliaque ex alienis vocibus colligens, non animo sed auribus cogitat, idcirco tam secure de rebus incompertis pronuntiat. Quis tibi immurmuravit, Tubalcain, recensitos Procerum Articulos per modum supplicis libelli oblatos, nec Regiæ Maiestatis calculo comprobatos? ex quo fonte hausisti, et fuisse tunc vestros homines in Ungaria, et intercessisse? qui illi vestri Orthodoxi? quibus verbis, Legibus, et rogationibus intercedendo, iniuriam repulerunt? Profer tabulas, testes, nomina. Prædicantibus enim, etiam vera dicentibus credere, mihi religio est, cum toties fallant. At mutili, et sine Regis approbatione, Decretis attexuntur hi Articuli. Tricaris, et quod ille ait, milium terebras. Qui *Decreta Ungarice* in unum volumen concessit, exerte statutis anni 1509. et 1522. præmittit: multa se compendii gratia prætermittere. Et quamvis Articulos anni 1525. generali ordinum conventu decretos dicat: Regiam tamen approbationem non subnectit; ut nec ceteris, qui ab anno 1518. ad annum usque 1543. sanciti sunt articulis: idcirco, quod selecta rerum capita strictim percensere propositum habuit.*

Sed videsis, quam male sibi constet emota mens *Prædicantis*, suo se laqueo ac hamo captivantis. Nunc usu roboratum negat *Decretum quo Lutherani profligantur*. Non multo post Stöckelium (gravem, Superi, ac fide dignum virum.) testem laudat, Dobronæ et Veterosolii, ob denegatam Mariae invocationem, Pastorem, et Scholarcham ustulatum, scribentem. Et quasi re bene gesta, plenus lætitias, ne solus mentiatur, mentiri cogit mea scripta, quod in Lutheranos Lege actum negaverim. Paucis expeditis. In media ego natus *Ungaria*, nec domesticarum rerum nostrarum undequaque imperitus; neminem retro acti temporis cursu nominari memini, in

Mall. fol. 9.

quem ob fidem Lutheranam gravius sit animadversum. De Stöckelio, somniet, an rem gestam narret, non habeo dicere. Illud audacter dico: si fidem facere Tubalcain volebat, rei gestæ seriem ex actis Oppidorum recensere, non aliquem terræ filium rūmusculos scruta-

tario in foro colligentem nominare debuerat. Sed fac bona fide agere Stöckelium, duosque illos Orco mersos ob cultum Diuæ Matri denegatum, quid si blasphemiam inficiationi adiecerunt? et, ut nuda illa negatæ invocationis causa intercurrerit, Lutheranos fuisse qui constat. Et Calvinicæ, et Tritheitæ, et Iudaicæ, et Turcicæ impie-tatis alumni esse potuere. Nam et hi æque ac Lutheri proles, Dei-parentis opem implorare detrectant.

Mal. fol. 11. *Postremo adiicit Tubalcain: Ferdinandi et Maximiliani Imperatorum aliquammultis Privilegiis, concessum Liberis civitatibus Lutheranæ religionis exercitium. Vereor, ut verum dicas, credulum lectorem quære, fidem a me non impetrabis. Certum mihi est, publico D. Ferdinandi rescripto, profligatos omnes omnium a Romana fide dissidentium furores. Nec illud ignoro: postquam Ecclesiarum opes, valida Lutheranismi retinacula, invasere Superioris Ungariæ accolæ, extorta quædam a Regibus indulta, libere possidendi quæ occuparant, quo adusque antiquis sedibus postliminio reponatur Religio. Amplius aliquid concessum, pernegant, quibus Archiva Regiosque libros videre contigit. Et concesserint, quam tu fingis libertatem Cæsares, quid ad rem quam agimus? Ego legibus datam libertatem negavi; tu privata rescripta memoras.*

At legibus etiam concessam Libertatem, inani verborum sonitu Mall. fol. 11. tinnit Tubalcain: quia contra Lutheranos latæ leges, executioni mandatæ non sunt. Multum in te milicie, parum mentis est, Tubalcain. Hebetat enim Hæresis ingenia, solos exacuit dentes. Si tu Legibus concessa arbitraris, quæ vetita cum sint, vel innata Prin-cipum, aut DEI ipsius clementia, vel multitudine peccantium, poena merito infligenda non plectuntur, næ tu Divinas æque ac Humanas leges, scelerum omnium asylum constitues. Abrogari leges humanas, si in diutinam desuetudinem veniant notum est, permitti vero sce-lera, quibus iniuria temporum poenas irrogari non patitur, in hir-cili Prædicantico nato subtilitas est.

§. 4. Quæ inhumanæ crudelitatis theatra erexerint Prædicantes Novangelici apud Gallos, Britannos, Belgas, nemo rerum Europæ tam imperitus est, qui ignoret. Quid apud nos per seditionem Bocskai-anam actum sit, loquantur fœdi carceres, quos ¹ Episcopi consecra-

¹ Micacius, Szalatnaki.

runt; compedes, sub quibus viri ¹ Nobilissimi gemuerunt; picatæ faces, ac stillæ flammæ, quæ ² Sacerdotum membra ustularunt; præsti sudes, quæ ³ artus sacratos contuderunt; ferales cultri, ⁴ atrocitate virilitatis lanienæ infames. Ex ungue leonem noscimus, facile coniecturam capimus, quid Brontesque Steropesque acturi erant Legum præsidio suffuli, qui nullum usquam hucusque Catholicum Sacerdotem, summo dedecore, cum possent, non exturbarunt. Hic meus Tubalcain aciem ingenii exserit, meque gemuisse aliquando ad gemonias, bubequis digna subtilitate colligit, quia carnificinæ instrumenta quædam nominaram. Quin tu, qui flagitorum vocabula nosti pæne universa, affluere te, ac diffluere omnium mortalium sceleribus pari subtilitate concludis?

¹ Magni.
Franc. Daróczzi.
Sigis. Kornis,
etc.

² Rev. Steph.
Cassovinus,
Bolerazi etc.

³ Rev. Petre,
etc.

⁴ Rev. Paro-
chus Sarno-
censis.

Mall. fol. 10.

Negat Tubalcain exsectum quenquam esse præter unicum eum-
que non satis probatæ famæ Sacerdotem. Bene habet, quod crimen
fateris; si ceteris pepercistis, quos furori vestro maturus receptus
præripuit, gratia vobis idcirco nulla debetur. De solutis moribus
quæ memoras, fabulerisne an quod res est dicas, non liquet. Vitia
certe, cuicunque insint, non excusamus. Quod vero etsi non vestra,
vestrorum tamen manu carnificinam exercueritis, vehementer impro-
bamus. Et vœ Symmisticis tuis, si, qui thorum maculant, omnes
verpi fiant.

Mall. fol. 11.

Ne vero rarenter mentiendo, mentiri dediscat Tubalcain, ait:
Catholicos, occisores Lutheranorum Deificare, ac albo Martyrum reponere: cultellos occidendis Summatibus, peculiari ritu conse-
crare. Detritam frontem! Iam barbara etiam et inhumana men-
dacia palam baubare non erubescit, quis ullum unquam fusi cruoris
Lutherani gratia cælo reposuit? Martyrem dixit? Attolle pudibundos
oculos: pallore liventia labra solve: dic palam, quis? quo loco, men-
sem ac diem ex Tabulariis Ecclesiæ nomina, Martyrii huic conse-
cratum? Rituales libros ede, qui Maximatum neci destinatas sicas
devoveri solemni prece doceant? Nec mihi per mendacia receptum
mendaciis quæras; neve Henricos Galliarum Reges Christianissimos
nomines. Neuter illorum Lutheranus fuit, uterque Catholicæ matris
filius fuit, nec unquam occisores albo Martyrum inscripsit Ecclesia.
Fictam illam Mauricio Nassovio destinatam sicam, memorare noli.
Nam Doctissimus Costerus, SICA TRAGICA, Hollandiæ proceribus
inscripta, amplissimarum Civitatum testimonis edocuit, malignitatis
Prædicanticæ phantasmata esse, quæcumque ea de re fabulatores
circumstrepunt. Possem et ego insanire contra insanientem, et dicere

Mall. fol. 10.

Ieron. Apolog.
3. contra
Ruffin.

quicquid vel scio vel nescio: et eadem licentia, imo furore et amentia, vel falsa vel vera congerere, ut et me loqui, et te puderet audire. Et ex frontis duricia, fidem lectori facerem; ut quod impudenter scriberem, vere scribere iudicarer. *Sed absit, ut in hoc pseudologiarum hippodromo vobiscum decurram.* *Et ut obesas illas, quibus innocentiam nostram prægravatis, aliquando tandem saniori iudicio commutetis phantasias: meam audi, ac piorum omnium Catholicæ Ecclesiae Sacerdotum vocem; non mea, sed viri santissimi oratione conceptam:*

¹ Bernard. Epist. 170. *Si totus terrarum orbis adversum me coniuraret, ut aliquid moliar adversus Regiam Maiestatem: ego tamen DEUM timerem, et ordinatum ab eo Regem offendere temere non auderem.*

² Bernard. Epist. 221. *Nos igitur Ecclesiæ filii, Matris iniurias, contemptum, et consultationem, omnino dissimulare non possumus. Profecto stabimus, et pugnabimus usque ad mortem, si ita oportuerit, pro Matre nostra, armis quibus licet, non scutis et gladiis, sed precibus fletibusque ad DEUM. Magnus Antistes Mediolanensis, adeo militum Valentiniani Cæsaris animos devinxerat, ut non sine acri morsu, stipatoribus opprobraret Imperator;*

³ Ambros. Epist. 39. in fine. *Si vobis iusserit Ambrosius, vincum me tradetis: Moliri tamen aliquid contra Imperatorem, sacrilege Basilicas adimentem, noluit vir sanctissimus, sed exemplo ac verbo, arma militiæ Sacerdotalis sic expressit:*

⁴ Lib. 6. Epist Orat. de tradedis Basilicis. *Dolere potero, potero flere, potero gemere, adversus arma, milites, lacrymæ meæ arma sunt, talia enim munimenta sunt Sacerdotis. Nec disparem Magni Gregorii, adversus Principes, et Hæreticos, et Ecclesiæ insectatores acerbissimos, animi moderationem amo et veneror:*

⁵ Greg. lib. 7. Epist. 1. *Si in mortem, inquit, Longobardorum miscere me voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset divisa: Sed quia DEUM timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido. Sed quid ego paucis recensendis immoror? mens eadem omnibus, qui acerbam illam gentilium Principum tyrannidem fusi cruoris imbre restinxerunt.*

⁶ Baron. Anno Christi 350. *Nemo Christianorum, ne privatorum quidem militum repertus, qui adversus Imperatores Ethnicos, et Christianorum osores, in partibus steterit rebellantium. O sæculum aurem! o dignam Catholicæ matris filiis commendationem! Proscribunt fortunis spoliatos, mactant, exquisitis tormentorum portentis, ⁷ ipsis Bacchanaliis furiis, nec mortuis parcunt Christianis: qui illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos, avellunt, dissecant, distrahunt. Et gloriantur, et quærunt ab æmulis, quid tamen de*

⁷ Tert. Apolog. ad- versus Gentes. *ipsis Bacchanaliis furiis,* nec mortuis parcunt Christianis: qui illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos, avellunt, dissecant, distrahunt. *Et gloriantur, et quærunt ab æmulis,* quid tamen de

tam conspiratis unquam denotarint, de tam animatis ad mortem usque, pro iniuria repensatis? Una nox pauculis faculis largitate ultiōnis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret. Si hostes exertos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum, et copiarum? plures nimirum Mauri, et Marcomanni, ipsique, Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci, et suorum finium gentes, quam totius orbis? Externi sumus, et vestra omnia implevimus, Urbes, Insulas, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum. Sola vobis reliquimus templa, Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere.

Dat DEUS quandoque Principes in furore; et peccatis populi Osee 13. v. 14.
exigentibus, regnare facit hypocritam: nec ideo tamen de observantia Iob. 34. v. 30.
ac obsequio decerpi quicquam patitur, nec gladios iugulo ipsorum 1 Pet. 2. v. 18.
immergi sinit, sed discolis quoque subiectos vult, ac DEO resistere Rom 13. v. 2.
pronuntiat, qui potestati a DEO ordinatae reluctatur. Rem miram,
et æmulatione dignissimam accipe. Julianus Apostata, cæco ac
præcipiti furore rem Christianam oppugnatum ibat: in castris
milites pæne omnes Christianos habuisse, argumento est, quod cum ab
eius obitu fasces Imperii Ioviano defferrentur, is vero se Christianum
professus, Iuliani copiis male assuetis imperare detrectaret; exclamauit universi, Futurum illum Imperatorem Christianorum: Et
tamen, repertus est nemo, qui Apostatae insidias strueret, qui noxiū
sanguinem mucrone hauriret, quin ut magnus Antistes memorat,
Milites Christiani servierunt Imperatori idolatræ. Ubi veniebatur
ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum qui in cælo erat:
quando volebat ut Idola colerent, ut thurificarent, præponebant
illi DEUM: quando autem dicebat, Proditote in aciem, ite contra
illam gentem, statim obtemperabant. Habes, Tubalcain, intimos
animi mei sensus, quos optimo cuique insitos nullus dubito.
I nunc, et lingua illa, quæ sub fronte verecundiæ domicilio mo-
veri se sentit, aude dicere; Summatibus conficiendis pugiones a nobis
devoveri.

§. 5. Duo inesse incommoda nuper obtentæ Libertati, paucis perstrinxeram: Alterum: quod nullis circumscripta sit cancellis, sed Anabaptistas, Arianos, Iudeos, Turcas, peræque ac Lutheranos complectatur. Alterum: quod Præsides Ecclesiae, imo Catholici universi intercesserint, ne Lex perferretur. Tubalcain, inter status Mall. fol. 12.

Theo lib. 4.
cap. 1.
Sozo. lib. 6.
cap. 3.
August. in
Psal. 124.

Regni Anabaptistas, Iudæos, Arianos non esse, *vociferatur*, ac Viennensi pacificatione, diserte tantum Romanam, Lutheranam, Calvinianam Religionem expressam memorat. *Faber hic, ab ultima Saxonie turbine delatus, rerum nostrarum penitus penitusque rudit, rudit et barrit, non cum ratione loquitur.* Percalcemus age hominis vestigia, et magnis artibus dissimulatam magnam mendaciorum opulentiam videamus.

Fallitur igitur Tubalcaïn: dum diserte, in Articulis Pacificationis Viennensis, expressas Religiones a se nominatas iactat. Typis Pragensibus vulgatos Pacificationis Articulos ad manum habeo: nulla ibi Lutheranæ Calvinianæque secta expressa ac diserta mentio; nulla ad has solas Libertatis restrictio.

Fallitur: nullos in Ungaria Arianos esse. Quinque Ecclesias, et adiacentia circum loca late hæc lues Arii pervasit. Anabaptistæ plurimi intra Ungariam, Moravis conterminam. Iudæi passim oberrant.

Fallitur: cum solis Statibus ac ordinibus concessam Libertatem innuit. Nam et Oppidis, Villis, ac Statuum et ordinum, fiscique bonis, pari iure hæc attributa. Et nega illa concessionis verba: Sua cuiusque Confessio libera relinquatur: Nec quisquam omnium, in libero eiusdem usu et exercitio, a quoquam impediatur, nullis circumscriptam angustiis libertatem sonare.

Fallitur: cum Prælatos Viennensi Pacificationi subscrispsisse memorat. Extat typis publicata Pacificatio, consignata sunt nomina eorum, qui syngraphis robur illi addiderunt. Unius ibi Prælati nomen quære: si reperis, mendacissimi calumniatoris nomen declinabis.

Fallitur: cum intercessionem factam a Prælatis negat. Non Prælati soli, sed cunctim primarii ordinis Catholici, voce, scripto, intercesserunt, et ut abnuentium saltem liberæ voces, more maiorum Articulis insererentur, perurserunt. Sed in illa rerum omnium perturbatione, nihil promoverunt. Hæc ego tibi centum, si voles, viris gravissimis testatum faciam. Et tamen hic busti cadaver extremum, et vitæ dedecus primum, lusitare audet, nosque non

Tert. de Ieu-
nio, contra
Psychicos, in
fine.

*Fidem, sed culinam propugnare ex tripode dictat cardiognostes! Nimirum, quia Luthero Deus venter est, et pulmo Templum, et aqualiculus Altare, et Sacerdos cocus, et S. Spiritus nidor, et condimenta Charismata, et ructus Prophetiæ. Quia apud Prædican-
tes, Agape in cacabis fervet, Fides in culinis calet, Spes in*

Ibid.

ferculis iacet; et Sanctior inter illos, qui convivandi frequentior, qui obsonandi pollucibilior, qui calicibus instructior, *non credunt ceteros aliud cogitare, quam ventrem.*

§. 6. *Scripseram Prædicantes autores fuisse D. Palatino, Conventus indicendi: et quia primis Comitiis nihil agi potuit, iterato convocatos, dieculæ spatio res magnas, scilicet, peregisse.* Hic Mall. fol. 14. ferme quot verba, tot mendacia, inquit Tubalcain. *Non abnuo, si periocham sequuturæ tuæ orationis his verbis promis. Tuas tibi annumerabo pseudologias, aures arrige.*

Falleris: cum scire me non potuisse innuis, an D. Comes instinctu Prædicantium Synodum convocavit. Teneo apographum literarum D. Comitis, Bicsæ 20. Iunii, Anni 1609. datarum, quibus disertim expromit D. Comes, Ministrorum postulatione adductum se, ut cœtum convocaret.

Falleris: affirmate scriptum a me, Prædicantes miserandum (vere miserandum!) Primatum appetivisse. Disiunctim ego causas, quas memorari audieram, attigi, nihil statui.

Falleris: cum scriptum a me dicis, Solum Palatinum elegisse Superattendentes. Nam, ut sacrilege Lutherus D. Pauli verbis particulam SOLA attexit: ita tu mali corvi malum ovum, malitiose voculam SOLUS, Peniculi verbis assuis, quam ego non posui. Nec ego elegisse Palatinum dixi: sed, ut convocato Conciliabulo eligeret, Prædicantes suasisse. Et Palamedes, et Sinon, et si qui præterea fuere dolo memorandi, macci prorsus et buccones videbuntur, si cum Prædicantibus componantur; qui, ut solemnes coccismos identidem boando, repurgent ravim, meque mendacem vociferentur, insigni fraude sua mendacia cumulare, non erubescunt.

Falleris: crassissime, mentiri me, quod dieculæ curriculo Mall. fol. 14. Oecumenicam synodum vestram, ad umbilicum deductam scripserim: cum, ut tu ais, totius tridui spatio œgre res tanta perfici potuerit. Synodicam constitutionem vestram bona fide exscriptam teneo, cuius initio, die 29. Martii, in oppido Solna vos congregatos fuisse profitemini; deinceps die, hoc est, 30. Martii, Data in vulgus Senatus consulta subsignatis. Nisi igitur insolita intercalandi ratione, 29. Martii, a 30. abiunxit, non assequor. quo pacto tantillæ rei triduum dare potueritis. Sed studiosam in re nihili paratragœdiantis malignitatem vide. In priori Peniculi æditione, per incuriam, Martii mensis loco, Maius fuerat subrogatus: serius lapsum notavi; calamo corrigi plura exempla curavi. In Mall. fol. 4.

Luth. Rom.
2. vers. 28.

iterata porro Peniculi aëditione, quam se legisse memorat Tubalcain, Martium suo loco restitui. Et tamen hanc ansulam ridendi nactus Prædicans, plenus lœtitias ac cachinnis incedit. Sicut et postidea, dum non mea verba, sed confusaneam Apologię Solnensis

Mall. f. 94. *dictionem brevius coarcto, particula (IN,) incaute exciderat. Ad inaniam usque deridet istud Tubalcain; o anguis! o viperæ! in re*

tantula tantas vagulationes, tam tragicos clamores? Scilicet, in eo fortunæ Græciæ vertuntur, ut nusquam etiam oculatissimum fallant typi. Proh superi! si errata momenti grandioris enotare potuisset,

Mall. fol. 14.28. *quæ istius tragædias caperet orchestra? Queritur Prædicans, nec uno loco aequitatem in me desiderat, quod lapsum Apologię, decimum sextum Ruffini librum recitantis exagitarim: et tamen suspici*

ari ego poteram studiosam malignitatem, cum viderem ea Ruffino appungi, quæ non cogitarat. Nulla in erratis chalcographicis Peniculi fraudis suspicio, et legem tamen, quam mihi fixit Tubal-

Ieron. Apol. 3. *cain, ipse abrumpit. Caveas in alterum dicere, quicquid in te contra Ruffin.* statim retorqueri potest.

§. 7. Risi, ad unum omnes Superattendentes, Iudaicis nomini-

Mall. fol. 15. *bus phaleratos. Quærerit Tubalcain, quid probri id habeat? Nomina illa nec contemnimus, nec probro notamus. novandi cacoëthen, et præpostorum zelum Prædicantium sugillamus, qui suos præsentim liberos, exquisite nominibus Veteris Testamenti, non Evangelii; Prophetarum, non Apostolorum; Iudeorum, non Christianorum consignant, idque sola novitatis prurigine, ut a recepto Catholicorum ritu longius abeant. Sed age, strictim falsiloquia ludionis istius perstringamus.*

Mall. fol. 15. *Falleris: obiectare me vobis Paupertatam, ac stipendii exilitatem contemptim exprobrare. Vesaniam dignam robore! Ubi ego opprobravi egestatem? quibus verbis æra vestra dispunxi? Omnia ad nequiorem suspicionem trahis, Prædicans, quia tuo omnia pede metiris. Summus a nobis Paupertati honos habetur, virtutes enim omnigenas, paupertas est nutricata: maxima quæque flagitia, divitiarum sunt alumni. Vobis, vobis inquam, ultronea paupertate ditissimi Religiosorum cætus, collatili stipe vicitantes, velut mendi-
Supra f 34. cabula fordent. Quæ mea stet de vobis sententia, antea accepistis, nunquam ego vos paupertinos arbitrabor, quia cum plura, quam pro merito possideatis, sitibundo ore ampliora anhelatis.*

Mall. fol. 16. *Falleris: cum me, hominem e sterquilino effossum, (en siphunculum, per quem manales humanitatis vestræ aquæ deri-*

vantur) Ministros suarios, veteramentarios, appellasse memoras. Libenter ego vos nuper usque, albi an atri essetis ignoravi; adhuc hercle non satis novi: et an ad agrum colendum abeatis; an mutuarias operas cum vicinis cambiatis, neque scio, neque labore. Mirum esse dixi, ni Fabris, Laniis, Carbonariis, et Camparii iuncti, et Suarii. Negare enim non potes, omnes propemodum vestrum e tenebris rusticorum prædiorum emersisse; cortes, et villas inhabitasse. Nec eo hæc memoro, quod genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi, magnopere ad nos spectare putem. Nam, quemadmodum in emendis equis, phaleras non considero; nec baltei polimina, nec ornatissimæ cervicis divitias contemplor; si ex auro et gemmis monilia variæ gazæ dependeant, si frena cœlata, si ephippia fucata, si cingula aurata sint; sed istis omnibus exuviis amolitis, equum ipsum nudum et solum contueor: ita similiter, in hominibus contemplandis aliena illa, generositatem ac prosapiam, longosque natales, et quæ fortuna largita est, non aestimo: familias calamistratas, amœnissimas œdificiorum species, in quas patrimonia profundunt, subniveo: hominem ipsum considero, ipsum aestimo. Nec vos idcirco, Prædicantes, quod nuper scrutariam fecistis, reprehendo, sed quod pudore devorato, facinus oppido memorabile perpetrasti; cum et numero pauculi, et plerique vix aliud præter bubulcitare scientes, eutaxiam Ecclesiæ invertere, alienas possessiones invadere, patrita iura convellere præsumpseritis.

Falleris: cum eo modo priscos Imperatores Synodis subscripsisse dicis, quo vestri sœculares Synodo Solensi, Libroque Concordiæ. Temerarie, et inconspecte homo, hæc audes? profer Synodum aliquam, cui Imperatores, ac Principes primum; post hos, suo quisque nomine, Sacerdotes, nulli Episcopi subsignarint. Nicæno Concilio, Osius Cordubensis, Vito et Vincentius Clerici Romani, Sylvestri Papæ nomine. Ephesius, Cyrillus Alexandrinus, Sanctissimi Sacratissimique Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi Cœlestini nomine. Chalcedonensi, Paschasius, et Julianus, vice Leonis Papæ, primo loco subsignarunt; Episcopi ceteri deinceps, nemo sœcularis. Sed supersessis, quæ a me dici hac de re poterant, receptui cano, distœdet enim in his oppido frivolis adversarii tergiversationibus immorari.

Mall. fol. 17.

Verba sub-scribentium.

Vide infra cap. 5. §. 1.

PENICULI CAP. II.

Augustana Confessione absentiente, electi a cæteris
abrogatis Ministris Superattendententes.

Non is animus, non ea mens fuit Illustriss. Cardinalis, ut in edicto Pastorali longas texeret disputationes, ac toties damnatam ablepsiam refelleret: sed solum ut lupis grassantibus obviam iret; periculique denuntiatione, ovinulas suas, quas abiugare satagunt Prædicantes, adiugaret. Ne tamen rerum imperitis, temere facta videri posset contradictio, velut intento digito ostendit potius fontes argumentorum, quam pleno alveo deduxit, quibus obrui scintilla novitatis possit: Ac tali in primis argumentatione rem ipsam convicit.

Augustana Confessio, semel, iterumque, libera voce profitetur, ab Ecclesia Catholica, et Romana, non dissidere suas Ecclesias in articulis fidei, in doctrina, in cæremoniis: tantum novos contra Canones, sine certa autoritate, præter consuetudinem sæculorum, vitio temporum receptos abusus omittere:

Atqui Episcoporum Ordinationem sine consensu Metropolitani, sine Episcopali ministerio, invalidam, penitus nullam esse nec novum est, nec contra Canones, nec sine certa autoritate receptum:

Ordinationem igitur Episcoporum, sine consensu Metropolitani, sine Episcoporum ministeris factam, invalidam esse Augustana Confessio recipit. Et (quod huic annexitur) eos quoque recipere, si periuri non sunt, qui Confessionis Augustanæ placitis amplectendis sacramenti religione sunt mancipati, ut mancipatos esse in Solnensi coitione Superattendententes iam audivimus.

Conf. Aug.
Art. 21. initio. Propositionem huius Apodixis, probavit succinte Illustriss. Cardinalis, ex ipsis Augustanæ Confessionis verbis, quæ sic habent: *Hæc fere summa est doctrinæ apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse, quod discrepet a Scripturis, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex *Scriptoribus nota est: sed dissensio est de quibusdam abusibus, qui sine certa autoritate in Ecclesiam irreperserunt. Cum Ecclesiae apud nos de nullo fidei Articuli dissentiant ab Ecclesia Catholica; tantum paucos quosdam abusus omittant, qui novi sunt, et contra voluntatem Canonum, vitio temporum recepti. Et rursum: Non petunt Ecclesiæ, ut Episcopi honoris sua*

* Incuria pri-
ori æditione
[scripturis]
positum fuit.

Ibid. De po-
test. Ecclesiæ
in fine.

iactura faciant concordiam: tantum petunt, ut iniusta onera remittant, quæ nova sunt, et præter consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ recepta. Denique paullum inferius: Intelligi potest, in doctrina, et cæremoniis, apud nos nihil esse receptum contra Ecclesiam Catholicam. Quod si novos Santum, et Canonibus contrarios abusus tollunt; si tantum nova, et præter consuetudinem Ecclesiæ recepta remitti volunt: Ergo cetera, quæ Canones antiqui, quæ recepta Ecclesiæ consuetudo approbat, Confessio itidem Augustana comprobat, ut ex iis, quæ de exclusivarum particularum enegia a Dialecticis traduntur, clarissime deducitur.

In Epilogo
Confessionis.

Iam vero, Assumptio Demonstrationis evidentissimæ, adeo manifesta est, ut ipsa impudentia eam inficiari non audeat. Nam et veteres Canones sanciunt, et postquam Apostolico ministerio Ecclesiæ sunt constitutæ, usus perpetuus obtinuit, ne unquam Episcopi, nisi ab Episcopis ordinarentur. Audi Canonem vetustissimi, et sacrosancti Concilii Nicæni, cuius valido ictu Arius iugulatus iacet: *Episcopus non minus quam a tribus Episcopis ordinatur: ita tamen, ut Metropolitani Episcopi autoritas habeatur; absque quo Ordinatio sit irita.* Idem habet Canon primus Apostolorum: Et Concilii Carthaginensis secundi, tertii, quarti sanctiones. Recte igitur concludimus, Superintendentes nuper admodum exclusos, etiamnum implumes, ac tenellos, non solum in Nicænam Synodus, in cuius verba minime iurarunt, sed in ipsam quoque Augustanam Confessionem impingere, cui docendæ, ac credendæ, animas suas (*Infelicia capita*) devoverunt sacramento.

Quid ad hos tam claros. tam sua luce rutilantes veritatis radios Prædicantes? Digna Evangelio Lutherano, digna fascibus novi Magistratus omnia; summatim Tria.

PRIMO RESPONDENT: *Ingenue respondemus.* Bonum factum, quod tam ingenuatos vos esse præmonuistis, alioquin vi argumentorum expressam hanc a vobis respcionem cogitassemus. Pergite porro feliciter: *Omnino Episcopum ab Episcopo ordinari par erat, iuxta Concilii Nicæni dispositionem; si modo veri et orthodoxi Episcopi haberentur: At ubi tales desiderantur, licet Ecclesiæ, tanquam Matri-familias in domo DEI, cui claves Christus omisit, creare Episcopos.* Nec multis interiectis, subnectunt: *Canon itaque Nicænus, dum vult Episcopum ab aliis Episcopis consecrari, loquitur de eo Ecclesiæ statu, quando veri, et orthodoxi Episcopi habentur; non autem quando tales desiderantur. In hoc enim casu, licet Ecclesiæ, novum presby-*

Canon. 4. apud
Ruff. lib. 1. c. 6.

terium constituere. Atque hoc ut exemplis evincant, laciniosam
 Ruff. lib. 16. disputationem ita prosequuntur: *Timotheum et Titum Apostoli con-*
 cap. 6. *seclarunt, non ad Pontifices Iudæorum ablegarunt. Moyses Eremita,*
postulatus in Episcopum, noluit se a Lucio Episcopo, hoste Religionis
orthodoxæ, ordinari; sed ab orthodoxis. Iosaphat, Pontificibus ces-
santibus, ministeria constituit. Tandem, velut re bene gesta, pleni
 2. Paral. 14. lætitias concludunt: *Satis evidenter iam probatum esse, ordinatio-*
 v. 19. *nem novorum Superattendentium prorsus cum Apostolica convenire.*
 Apinæ, tricæque saperdarum Novi Evangelii, quas nemo nisi im-
 pos animi suscipiat.

Miseret me vestri, Prædicantes, quod tam pueriliter in re seria luditis, ac miseram plèbeculam deluditis; quod acerato luto, non solidis cæmentitiisque subtractionibus inædificetis. Et, ut vos ipsi manibus vestrum contrectetis stuporem, latebrasque has vestras occlusas intelligatis; quatuor a vobis quæro: ad quæ, ut absque tergiversatione, involucrisque verborum respondeatis, etiam atque etiam rogatas Dignitates vestras volo, Prædicantes Superattendi-
 dissimi.

PRIMO, scire libet: An ideo licere vobis arbitramini, Nicænæ Synodi decreta convellere, quod nulli usquam veri Episcopi fuerint, antequam Solnæ designarentur? An potius, quod Solnæ, quod in Ungaria, nulli fuerint? Si primum vultis; Fatemini igitur, nec apud Calvinistas, charissima vobis et contesserata capita; nec Wittembergæ; nec Brigæ, veros fuisse Superattendentes, qui Ministros legitimos creare possent. Et, quod huic annexum est, datis illud quoque: Vos, qui antea Brigæ, qui Wittembergæ initia-
 bami, absque ulla verorum Superattendentium ordinatione in Ecclesias irrupisse; ideoque profanos, mere laicos hucusque fuisse, acephalos fuisse, populo imposuisse, nullum ex iis Sacramentis, quæ Ordinationem requirunt, rectius administrasse, quam si delirantis aniculæ, vel suarii Corydonis auspiciis, ad functiones Ecclesiasticas accessissetis. Hæc enim omnia recte consequuntur, si nulli uspiam veri fuere Superattendentes, sed ad peragendas Ministrorum ordinaciones, nunc primum Solnæ denuntiari debuerunt. Denique, illud concedendum erit; Nullam ante Solnensem coitionem fuisse Christi Ecelesiam, ex ipsis enim Divinæ legis oraculis, clarissimaque

Inferius c. 3. in Apostoli Pauli testificatione demonstrabimus; nunquam seriem sibi Argumento 1. succedentium Pastorum interpolari, nunquam Ecclesiam Pastoribus viduari potuisse. Et o infelicem Ecclesiam, quam nisi Pastoribus

Solna ditaret, æternis sepulta tenebris contabesceret! O grande robur, portis inferorum non vincendæ columnæ Veritatis, quam tot sæculorum error interpolavit; et nisi sterilissimis montium sepi- mentis occlusi Prædicantes restitutam irent, grex sine Pastore, per devia et inamæna tesqua errare æternum cogeretur! O dignita- tem Religionis Christianæ singularem, quæ tot iam sæculis, solito DEI favore defœta, vel morbo, vel vetustate defloruerat! Et nisi e Lutheri, Calvini ceterorumque orbis retrimentorum pegmate, Pharus cælestis sapientiæ illuxisset, santicis tenebris obrutus orbis iacuisset! O fungos! O blennos, ac bardos, vetera illa orbis lumina, Iustinos, Athanasios, Hilarios, Hieronymos, aliosque nu- mero inexputabili, Viros sanctissimos æque ac doctissimos, qui licet cæcos perluminarent, Scripturarum tamen primogenium sen- sum nesciverunt, imo ab Apostolorum quasi convictu, primor- dialis verbi ac sensus falsarii fuere, ad eum Veritatis splendorem defioculi lippierunt, quem Prædicantes per solos steriles Gramma- ticæ campos rare sparsi, et ad oculorum decipulam ostentantes ementitæ eruditionis tenuissimam supellectilem irretortis oculis con- tinentur! Qui hæc talia somniantum nugamenta suspicit; exten- navit, frustra lumen veritatis huic offeras, qui ut noctua ad solis radios, cæcutit ad Veritatis clarissimum splendorem.

Sin vero id quod secundo loco posui, adlubescat; ideoque vos contra Nicænæ Synodi sanctiones elegisse dicitis Attendentes, quod nulli tunc Solnæ, nulli in Hungaria veri Episcopi fuerint: Amabo, cur non eodem iure Ministros antea ordinastis? Cur sine Superattendentibus non initiastis? Cur Brigam, cur Wittembergam, magnis sumptibus, magna Religionis, ac gentis Hungariæ iniuria, amandastis, quos Ministros recepistis? Forte an cætus vester Super- attendentes creare potest, Ministros non potest? An conferre summum Magistratum Mimallones creandi potest, sacris imbuere ministeriis non potest? Aut par erat, per tot terrarum tractus Brigam Minis- terii adeundi causa proficiisci; et indignum existimastis eodem pergere, ut delecta capita albo Superattendentium adscriberentur? Ita vos semper percolatis initio culices, qui postea glutitis et camelos.

SECUNDO: Sint vera omnia, quæ adfertis, hoc est, nusquam in orbe fuerint veri Episcopi, ante diem XXIX. Martii anni decurrentis; ipsaque a vobis memorata exempla eo spectent, quo torquetis: Ecqua tandem ratione id consequens erit quod ampullamini, et

iactuose tricamini, *Evidenter probatum esse, prorsus cum Apostolica convenire ordinationem vestram?* Hæresiarchæ ceriti omnes, Pseudo-prophetæ omnes, omnibus retro sæculis hæc ipsa iactarunt: defuisse veros Ecclesiæ Pastores; a Deo se novos torres excitatos, qui cælesti facula glaucoma cæcutientium depellerent: Hæc Calvinus, Menno, Blandrata, hæc ceteri hodieque Enthusiastæ, iisdem verbis, eadem qua vos probabilitate occident; obrussam anilium persuasiuncularum suarum, sacris mysticisque libris reseratam veritatem, dicent; impudentiam, temeritatemque vestram ridebunt, quod usurpare audeatis propria, hereditaria ipsorum ornamenta. Et tamen, si Superattendentes Calviniani a Deo delecti ac missi sunt; Lutherani a Deo non sunt, quippe qui adversa inter se fronte sic arietant, ut procul spectantibus, mistum miseratione spectaculum exhibeant. Cum ergo eodem utrique argumento suam temeritatem obvelent, defectumque legitimorum Episcoporum pleno ore crepent, nec maiori tamen iure hi, quam illi, hoc se clypeo contegant; utrique perdicum instar, dum oculos texere suos, undique se tectos, vanissime arbitrantur.

TERTIO: Advocate omnes ingenii vires, nervos intendite, veternum excutite Prædicantes, illudque clare sine ambagibus enucleate, quomodo vestram hanc responsionem Augustanæ Confessionis verbis adaptetis? Audistis, quæ paullo ante vestris auribus Confessio submurmuravit: *Episcoporum* qui eo tempore erant, et quibus similes hodieque sunt in Ecclesia, *honoris iacturam facere* Augustanam Confessionem *nolle*: hoc solum agere, *ut nova et præter Ecclesiæ consuetudinem recepta remittantur*. Id si verum est, (ut verum esse adstruxere Prædicantes, cum se Sacramento obstrinxerunt Confessioni) nemini dubium esse potest, male Prædicantes adimere Episcopis honorem, quem Nicæna decreta illis deferunt. Sic igitur dum vitabundi Charybdim evadere laborant, in Scyllam incident.

QUARTO demum, ac postremo: disertim edicite, fungos an caudices nos rebamini, cum tam ridiculis, tam a vero abludentibus probationum fumis, oculos nostros cæcare cogitastis? DEUM immortalem! qualis illa est larva argumenti? *Titum et Timotheum Apostoli elegerunt ad Episcopatum, non ablegaverunt ad Iudæorum Pontifices.* Bellatulum, pulchrum, lucernam olet, demorsos sapit unguis hæc subtilitas. Sed quid inde porro? Pergite: Audiemus. *Evidenter ergo probatum est, Solnensem ordinationem cum Apostolica congruere.* Subtile proh Superi! ad cotem et aciale limatum telum! Dignum

acumine Superattendentico, quodlibet ex quolibet extundente. Verbo respondeo, Nego consequentiam, falsam, nullo nexu cohærentem præmissis, nulla verisimilitudinis specie fucatam. Et si quid hæc argumentatio probat, peræque Mahometis Muftios, Calvinisticos Stentoras, Arianos locutuleios lingulacas, ritu Apostolico initiatos ostendit. Ita igitur concludere debueratis bambaliones: *Nusquam in Actis Apostolicis, nusquam in monumentis Historiarum, ab aliis consecratos legimus Episcopos, Apostolorum successores, quam ab Apostolis et eorum succedaneis Episcopis. Ergo exemplo Apostolicæ Ecclesiæ, arcentur minorum gentium Ministelli, ne in alienam functionem se immittant; ne profanæ manus attactu umbratiles Episcopos deludant*, si vindicem DEI dexteram experiri nolint cum Ozia, qui statim ac in Sacerdotum officium sese temerarius ingessit, fœda totius corporis vitiligine deturpatus, regno, vitaque exutus, oppetiit. Apostolos igitur, quos Vivifica Spiritus aura, meliori igne purgatos Ecclesiæ Pastores destinarat, ad Iudeorum Mystas alegare, opus non fuit. Nam umbras, adventu lucis eliminandas; mysticæ functionis potestatem, legalium sacrificiorum administris, diviniore Christi Sacerdotio abrogandam, Deo docente didicimus: Apostolorum vero vocationem, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed vere admirandis supra naturæ leges patratis operibus, Deus ipse testatam reddidit. Simile quid Prædicantes, in probrosæ suæ novitatis attestationem comminiscantur; et en paratam gerimus, quam porrigamus victoribus herbam.

Quid hic extra lyram ac oleas deprehensi Prædicantes? Exanguï colore, tertiata verba substrepunt: *Ruffinus testis est, inquiunt, Moysen Eremitam sanctissimum, noluisse ab Episcopo hæretico ordinari, sed ab Orthodoxis, quos ipse in exilium egerat*. Nugacissima nugalia nugivendulorum. Sextumdecimum librum Historiarum Ruffini notant in margine. Pape! quid audio? Supinum me antiquarium, qui plures duobus de historia Ecclesiastica libros Ruffini non aspexi. Ne vos felices Prædicantes polyhistores, qui veteribus in membranis, a blattis oculatos Ruffini tam numerosos libros, nuper admodum reperistis! Beate nos tanto bono, ac novitios hosce libros, in publicam lucem date. Sed quia edentulo vetustate temeto concalefactum fuit opinor cerebrum Prædicantium, cum Apologiam cuderent, ideo venialis hic error esto. Illud impudentissimæ frontis fuit, sic abuti contra conscientiam Ruffini testimonio, quasi is Moysen eremicolam non ab Episcopis, sed a pro-

2. Paral.
26 v. 19.

NOTA. miscua plebe Archymistam sacratum dicat: et tamen Ruffinus disertim scribit; noluisse quidem Moysen a Lucio hæretico ordinari: *Sacerdotium tamen, ab Episcopis quos in exilium truserat Lucius, sumpsisse.* Idipsum Theodoretus scribit; Iussum scilicet a Iulio, ut *ad alios Episcopos deduceretur, quos ipse postulasset.*

Ruff. lib. 2.c.6.
Theod. lib. 4.
cap. 23.

Iam suscepta Pontificali gratia, Apostolica doctrina, ac miraculis, ad veritatis viam deduxisse Ismaëlitas. Hic, si ullus adhuc abditus pudor fibris, erubescens technas suas, qui depuduisse videbantur, sufflati nova dignitate Prædicantes. Vos vero, Viri Nobiles, etiam atque etiam dispicite, quibus animas vestras ducibus itineris concridistis; iis nempe, qui in re patenti, ac clara, tanta confidentia mentiuntur.

Gemella huic et illa accenseri debet impudentia, quod *Iosaphat Pontifices ac Sacerdotes constituisse*, scribillant veridici per antiphrasin, Prædicantes; idque ex 2. Paralip. 17. v. 19. comprobant: Cum tamen nec eo versiculo, nec toto illo capite, ulla Pontificis creati mentio habeatur: sed Sacerdotes ac Levitas, a pio Rege, una cum viris principibus missos, per varias Iudææ urbes, Scriptura docet, qui populum ad omnem pietatem informarent. Et tamen subsultant Prædicantes, quasi memoratis exemplorum deflorationibus evicerint, licuisse ipsis, novum Presbyterium adornare. Fateor, si mendaciis, si ad rem non spectantibus, si falsis ac depravatis historiis evinci aliquid potest, evicistis, nihil sub isto cæli fornice, nihil in hac terræ pila, nihil in hoc orbis universi cavædio, Prædicantica fronte inverecundius reperiri.

SECUNDO RESPONDENT, ac post epotas noctes, vulpinantur meribulas affanias Prædicantes: Mandato DEI se perurgeri, ut novum Presbyterium constituent, secessionem ab Episcopis faciant: *Iubemur enim, aiunt, cavere falsos Prophetas ovilla veste larvatos: et egredi e spirituali Babylone, nec iugum ducere cum infidelibus; quin potius ab illis separari.* Atque hic abrumpunt Prædicantes balbe contextum orationis filum, pudore, opinor, manum cohibente. Quæ enim est ista, DEUS bone! argumentatio? Iubemur vitare falsos Prophetas; Ergo contra Nicæna decreta, contra Augustanæ Confessionis iurejurando adstructam professionem, licet Episcopos a non Episcopis ordinari? Hoc ipso Argumento calvitur a Dipsade Calviniana plebs imperita, cum secessionis a Luthero factæ causas pertexit. Non absimili vanitate argutatur vipera Ariana, matrum viscera consaucians, Calvini castra deserens. Communia igitur cum

sint ista, et contra vos, et pro vobis arma; missa nunc illa faciamus, in vestigio quo semel pedem fiximus, depugnemus, præser-tim, cum pro vobis, non nisi contorta, et in perversum sensum deflexa serviant, illa monentis CHRISTI Domini sacrata verba. Sed ad triarios deventum; Itaque

TERTIO RESPONDENT: *Confessionem Augustanam, ritus Ordinatio-num, inter eas res referre, quibus vitio temporum abusus accesse-runt: quorum nonnullos recenset, ut quod Episcopi nullos recipiant, nisi iurent se puram Evangelii doctrinam nolle docere.* Verum, quo hæc tergiversatio, vix ut evannetur digna, spectet, haud intelligo, nisi forte ut Augustanæ Confessionis turpissimam Antilogiam, putidumque mendacium nobis proponat. Quid enim est a seipsa dissidere, secum bella gerere, si hoc non est? *Augustanas Ecclesias, tantum in paucis abusibus, non in fidei articulis dissidere a Romana Ecclesia:* Et tamen, *Romane Ecclesiæ Episcopos neminem recipere, nisi qui iuret, se puram Evangelii doctrinam nolle docere.* Si is qui puram Evangelii doctrinam non docet, per omnia in rebus fidei cum eo conspirare potest, qui (suo saltem iudicio) purum Dei verbum deprædicat; fatebor, nullam in his Augustanæ Con-fessionis effatis inesse Antilogiam. Deinde vero DEUM appello, ac tremendum eius tribunal, cui sistimur in exodo vitæ, mentiri Con-fessionem, cum *neminem ab Episcopis recipi* ait, *nisi qui puram Evangelii doctrinam abneget.* Quin et ipsa Confessio mentiri se non abnuit, hæc blasphemiarum portenta devomendo; siquidem alibi, tantum in abusibus, non in rebus fidei, dissidere se ait a Romana Ecclesia.

Sed, emedullemus pedeppressim, quo tandem hæc Apologiæ responsio (verius labyrinthum dixeris) pertineat. Dixerant Prædi-cantes, ex decretis Nicænis, Episcopum ab Ebiscopo ordinandum esse, nec ausi sunt aperta fronte Canonis huius præcscriptum abusibus accensere, ne, et Augustanæ Confessioni obluctari, et Sacramentum violare viderentur: longiori itaque circuitu, quasi per occultos cuniculos evertunt, quod palam demoliri reformidant. Et quoniam incredibile Prædicantibus ipsis videbatur, ita homines obbrutuisse, ut sibi persuadeant, nullos ante Solnensem conven-tum fuisse Episcopos; ideoque, oportuisse a promiscua Prædican-tium colluvione, hierarchiam Ecclesiasticam prorsus collutilatam, pristino nitore redornari; Hæc causa est, cur nunc vafra calliditate obvolutis fraudibus, tecte, inter abusus ponant eum ritum, quem

Nicæna Synodus in Episcopali inauguratione servandum sanxit, ne scilicet ordinatio, aut Metropolitano non annuente, aut Episcopali ministerio non adhibito, peragi possit. Ita enim Prædicantes Apologiæ fabros, familiari, ac quasi domestico sermone alloqui lubet: Cum ritus quosdam Episcopalis ordinationis, ab Augustana Confessione reprobari docetis; eosne expungi arbitramini, qui Canonibus Nicænis, qui usu Ecclesiæ comprobati sunt? an alias? Si alias: Nihil ad rem, de qua agitur, responsio facit, nunc enim id unum contendimus, ordinationem vestrorum Superattendentium irritam, evanidamque fuisse, ipsius Augustanæ Confessionis iudicio, cum, ut crebrius iam diximus, solos abusus Canonibus veteris Ecclesiæ contrarios, reiicere se fateatur iurata vobis Confessio.

Quod si hunc quoque Nicæni Concilii Canonem, quo ritus ordinandorum præscribitur, tanquam a primævo Ecclesiæ flore degenerantem scoriam, conspuunt Prædicantes; mentiuntur, cum se novos tantum, Canonibus adversos abusus aspernari, in Augustanæ Confessionis possessione peierant. En Rhodus, en saltus, Prædicantes.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

Echeneis exiguis Oceani pisciculus, vasta illa navium propugnacula, concitatissimo velorum remigio circumducta, levi attactu firmat, validosque ventorum flatus ac remigum obsequia ludit,

Basil. Hom. 7. *cogitque stare navigia, quæ non vincula ulla, non auchoræ. pondere*

Ambr. lib. 5. *irrevocabili iactæ, firmarent. Eadem vi pollet Veritas. Et, quod*

cap. 10. *sexcentarum argutiarum vinculis non potest falsitas, id illa nutu*

Hexamer. *ac aspectu pæne solo perficit. Hac ego fretus, furoris Prædicantici*

freta ingredior, ac pansis depudentiæ velis circumductam Malleatoris orationem sistam.

§. 1. Ultra Virgilianos opiliones et bubequas, rusticanus et agrestis Tubalcain, Propositionem argumentationis Peniculi lutulentis Mall. fol. 19. fœde conspurcat vellicatque manibus: De quali, inquit, Romana Ecclesia loquatur Confessio, diserte exprimit: nimirum, de veteri illa, QUATENUS EX SCRIPTURIS, et nominatim ex Epistola Pauli Romanis inscripta, nota est: Cur istam determinationem, instar illius in deserto disputatoris, obliterasti? os fætulentum! cuius dentium mu-

rus nulla unquam nitela emaculatus, neque saltem communi aqua converritrice pridiance reliquiae pumicatus, sed carbone de rogo obtritus. Itaque tua hæc lingua nocens, mendaciorum et amaritudinum præministra, in suis semper fætutinis iacet? audesis dicere, oblitterasse me tuam illam determinationem? In quodam vado dubitationis hærens decontor, an chartam hanc et operam ulterius perdam, in tam propudiosi Malteatoris fronte deterendo.

Fallis, Tubalcain, teque tuo illo disputatore inverecundiorem prodis: cum oblitterata a me criminaris, quæ exerte Capite 2. Peniculi posui, quanquam, quia Confessio non posuit, ponere haud debuerim.

Fallis, cum tuam illam determinationem, Quatenus ex Scripturis, a Confessione Augustana positam dicas, clausulam illam non posuit Confessio. Accipe verba Confessionis vestræ, Corpori doctrinæ insertæ: Consentancum iudicamus Ecclesiæ Catholicæ, postremo Artic. 21. initio. etiam Romanæ Ecclesiæ, quatenus ex probatis Scriptoribus nota est. Illa vero, quæ in Libro Concordiæ agmen dicit Confessio, ita habet: Vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est. Denique Eodem artic. vetus ceditio Germanica: Ita etiam Romanæ Ecclesiæ, quatenus ex Edit. Vittemb. Patrum scriptis nota est. Patrum scripta audis? Scriptores nomi- per Georg. nari audis? tu tamen præfidenter Scripturas, et signanter D. Pauli Epistolam, cuius nulla illic mentio, Confessioni affricas? Perge, Rhaу, 1540. Tubalcain, famigerabilem te malis istis artibus reddes.

Longum esset, quæ interspergis aloga persecui, studiose enim declinas, ne in iis Confessionis tuæ verbis pedem figas, in quibus ego vim argumentationis posueram. Nunc Canones quosdam impios clamitas: nunc limites erigis, intra quos honorem Episcoporum conservatum ire vultis. Extra oleas, mi homo, et procul a via curris. Totum enim propositionis meæ robur in illis vestræ Confessionis verbis posui, quibus profitetur, Ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est, vos non dissidere: Dissensionem esse de abusibus, qui sine certa autoritate irrepserunt: Vos, et paucos, et novos, et contra voluntatem Canonum receptos abusus omitti petere tantum nova, et præter consuetudinem Ecclesiæ recepta, remitti postulare. Hæc si vera fateris, nihil requiro amplius. Si falsa dicas, peierasti. Quid palluisti? nam erubescere tu quidem non potes. Sensit hærere hic aquam Prædicans, et missis seriis ad fabulas convertitur. Verum et ioca tua infra soccum sunt, o bone; et seria ad cothurnum non assurgunt. Figmenta vestra sunt: Episcopos qui suas

*sedes obtinent, vel quos Tyrannorum furor arcet, iureiurando se
devovere, Quod Gentes Diœcesi suæ subditas, ad fidem sint con-
versuri. De futuro conatu, temporibus ac locis accomodo, sacramento
rogari possunt: de futuro eventu, qui virium humanarum terminos
exedit, iureiurando constringi non possunt. Sed sat est carptim
hæc talia attigisse.*

§. 2. *Argumentationis nostræ Assumptio fuerat: Nec novum
esse, nec contra Canones, nec sine certa autoritate receptum, ut
Episcopi non nisi ab Episcopis ordinentur. Nam ut Nicænos et
Apostolicos Canones, ut Carthaginensia Concilia taceam; ut nihil
de Damaso, nihil de Toletano Concilio dicam: Augustinus certe,
Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem habere scribit, ut propinquiores
Episcopi ordinent Episcopum. Laconice, Tubalcain, dic ITA, vel NON?
Sed tu Caci instar, fumos, ac nebulas vomis. Negas, tantam apud
Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem habere scribit, ut propinquiores
Episcopi ordinent Episcopum. Laconice, Tubalcain, dic ITA, vel NON?
Sed tu Caci instar, fumos, ac nebulas vomis. Negas, tantam apud
vos esse Nicænorum Canonum, aut Conciliorum (præsertim si a
Scripturæ Canone exorbitent) autoritatem, ut alligare illis consci-
entias vestras velitis. Mendacem memoriosum esse oportet, Tubalcain.
Tu qui nuper adjmodum Hæresis crimen, eo cum primis nomine
amoliri a tuis conabar, quod Nicænum, ac tria præterea Ecume-
nica Concilia, ambabus ulnis amplectamini; qui Hæreticos, Magni
Imperatoris voce proclamasti, diversum ab his Conciliis sentientes:
nunc mutata velificatione, tuto illis adhærescere non potes? O scientia,
o conscientia, quam procul a Prædicantium præcordiis exulatis!
Vos, scilicet, Minervæ corcula, qui prætextu pharmacorum Divini
Verbi, venas meliori sanguine exhaustas exoticorum dogmatum po-
culis venenastis; clarius certiusque pervidetis, quid Scripturæ Canon
habeat, quam trecenta illa Orbis lumina Nicææ congregata. Sed fac
Nicænos Canones a vero abiisse: quid hoc ad Assumptum Argu-
mentationis nostræ? Rectene, an secus statuerit Nicæna Synodus, hic
non disputamus. Illud probamus; nec novum esse, nec adversum
Canonibus, nec sine certa autoritate receptum, ut ab Episcopis Episcopi
ordinentur. Hoc vero et Nicæno Canone, et attestatione Augustini,
et usu Ecclesiæ evicimus. Nam, tametsi (ut ex Cornelii rescripto
recensem Eusebius) præter Episcopos, septem alii fuere Ordines Mini-
strorum Ecclesiæ; Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum,
Acolitorum, Exorcistarum, Lectorum, Ianitorum: Ordinationes tamen
horum omnium solus Episcopus peragere poluit; ut S. Hieronymus,
Epist. 85. Chrysostomos, Homil. II. in cap. I. ad Timoth. complu-
resque alii affirmate docent. Et retexe mihi veteres Ecclesiæ Anna-*

Mall. fol 21. Aug. Tom. 7. Brevic. collat. 3. dici cum Donat. Mall. fol. 21. Mall. fol. 8. Euseb. 6. Histor. c. 43.

les: unum ex tot Episcoporum millibus nomina, quem alii quam Episcopi consecrarint.

Fallis vero Lectorem, Tubalcain: cum in Apologia fol. 4. Mall. fol. 21. copoise dictum ais; Ecclesiam ante hunc Canonem Nicænum, tali ritui in ordinandis Episcopis alligatam non fuisse. Si eo quem memoras, Apologiæ loco, verbum ullum hac de re dictum, prudentem ego te, et pudentem fatebor.

Fallis: cum plerosque ab uno Episcopo, vel a Presbyteris ordinatos, ais, ante Nicænum Canonem. Quam audacter pronuntiat inscitia! Asseris tu hec, non probas; proba, ut disputare te, non debattere intelligamus, nescis, una negationis litura obduci posse, quidquid nude affirmas, non firmas? Unum profer, qui a Presbyteris ordinatus sit, Episcopum. Ego enim præter Ecclesiæ consuetudinem, ab Augustino memoratam, Hieronymum, et Chrysostomum, suorum temporum scientissimos nominavi, qui Presbyteris ordinationem non competere exserte dicunt. Mall. Ibid.

Temere, ac sine teste asseris: Titum, ac Timotheum, vel solos oppidatim constituisse Episcopos. Nam constituisse non abnuo: solos fuisse Ordinationis administros, quo tu mihi indicio probas? Tuum enim illud (SOLOS) quod liberaliter mendaciis interseris, legisse me non memini. Mall. f. 21.

Ad mentem longa post fastidia redit Malleator, seque Cano- Mall. fol 23. nem Nicænum non culpare, nec veru ac obelisco inducere affirmat. Quas tibi grates persolvet orbis, quod gravissime tuo calculo Nicæna decreta firmaveris? En corollas, en lemniscatas palmas. Sed perge porro inaniarum peripsematis explere chartas: Sacra enim Synodus, hoc fine Episcopum a tribus aliis consecrandum sanxit, ne quis furtive, sed honeste ex plurium sententia Episcopatum nactus videatur. Quod Syricii Papæ autoritate comprobas, vosque, intento Nicæni Canonis satisfecisse ais, cum a tota Synodo Attendentes vestri renuntiati. Abunde est, Tubalcain. Argumentationis meæ Maiorem æque ac Minorem, negare non potuisti. Iis vero, claro liquidoque nexa adhæret, Ordinationem Attendentium contra Augustinæ Confessionis decreta, contra fidem datam vos peregisse, nunc plus aliquid largiris Nicæna decreta comprobans, ac tuo tibi laqueo cervicem elidis. Nam, si immotus stat Canon Nicænus, quo ordinatio Episcopi sine Episcopis peracta, nulla prorsus ac irrita pronuntiatur: irrita erit Attendentium Solnenium inauguratio. Quoquo enim fine legem hanc Nicæna Synodus tulerit, certe vos id, Mall. Ibid.

quod sanxit, ac sine quo Ordinationem irritam pronuntiavit, non præstitistis. Et nisi alienum ab instituto foret, docerem ego te, Tubalcain, finem præcepti, nisi lege exprimatur, non cadere sub præceptum; nec eos culpa absolví, que etsi a fine et quasi scopo legis non aberrent, ea tamen negligunt, quæ obtainendo fini lege præscribuntur.

Mall fol. 20. *Ridiculum vero est, vel quod Syricium testem memoras, quem paulo ante, insulsa et impia scripsisse blatterasti: vel quod Apostolico ritu vos ordinasse disputas, propterea quod plures convenistis, sacrisque manibus devota capita contigistis, idem enim faciunt Ariani, Calviniani, et ceteræ pestes, nec idcirco tamen Apostolico ritu horum initiationem peragi fatebere. Prius, o bone, evince eos, qui Episcopi non sunt, ordinationes sacras posse peragere; et cuiusvis cœtus Seniores, Archiflamines consecrare, si dextera verticem contingant: et tum demum vestræ manus impositione Mimallones sacratos gloriare.*

Sed ne sua duntaxat propugnasse, nos minime vulnerasse videatur Tubalcain; Vos, *inquit*, Canones conculcastis. Moderni enim Episcopi, coniugium legitimum abominantur, publicis ac sacerdotalibus toti mersi. Et Canones tamen vetani, Ne Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Uxores prætextu religionis abiificant. Ne publicis se administrationibus admittant. Ne maiores Ecclesias ambiant, etc.

Fallis, *Tubalcain: cum nos legitimum Coniugium abominari dicis. Non facimus. Si quis uxori alligatus in Sacerdotem eligatur, ut passim in magna illa Christianorum paucitate olim factitatum, et hodieque apud Græcos fieri scimus; eorum coniugia nec improbamus, nec prætextu religionis absque mutuo assensu perfringimus. At qui cælibes inauguriati sunt, eos Uxoriis laqueis implicari vetat Nicæna Synodus, idque ex veteri Ecclesice ritu; quemadmodum antea accepisti. Ut vero tu, si post datam Coniugi fidem, inducas pellicem, non maritus, sed adulter eris: ita, qui post fidem Deo oblatam fieri vult maritus, sacrilegus efficitur, nisi forte arctius adstringat data Uxori fides, quam Deo.*

Supra f. 49.

Ambitum Sacerdotiorum, nimiumque luxum quem tu insectaris, ubiubi reperitur, nemo non improbat, sed cum tu nobis Lutheranos ad unguem Divinæ Legi adaptatos exhibueris: licebit eos verbis inverecundis rodere, qui Canonem de ambitu, ac frugali victu neglectim curant.

Negotia, ac Iudicia sœcularia, ad quæ iustitia, tuendæque Religionis ac boni publici cura non vocant, iure submovent sacri Canones: Non quia his diiudicandis indigni Episcopi; sed quia indignum illis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Non enim est bonus æstimator rerum, qui indignum iudicat Apostolicis viris iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in maiora. Curare igitur hæc extraria, si subsint quas memoravi causæ, non dedecet Sacerdotem, siquidem et Samuel, et quamplures alii ita Sacerdotio functi leguntur, ut et bellica et civilia pertractarent. Nec Sacerdotes, sed DEUM ipsum abiecssisse memorantur Israëlitæ, 1. Reg 8. v. 7. cum ab hac publica administratione Sacerdotes removerunt. Quid? Act. 25. v. 11. an non Apostoli Cæsarum tribunalia appellarunt? Proh Superi! quid Momi isti, et Aristarchi, alienæ dignitatis adrosores dicturi essent, si ad Episcoporum pedes passim divendorum a fidelibus latifundiorum pretia abiici viderent? quid si illud de Episcopis dici audirent: Si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de 1. Cor. 6. v. 2. minimis iudicetis? nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sœcularia?

Sed non patiar alienis me distineri, nihil hæc ad causam vestram, Prædicantes. Ultro tibi largior Canones, vel privatis Conciliis sanctos, vel de rebus ceteroqui indifferentibus præscriptos, mutari posse. Nec ego vos ad omnes Canones adstringi cupio. Id peto, quod in Augustana Confessione professi estis, ut ea tantum, quæ nova sunt, et præter Ecclesiæ consuetudinem recepta, improbetis: cetera candido calculo comprobetis; atque inter illa hoc quoque, Episcoporum ordinationem sine Episcopis peractam, evanidam esse.

§. 3. Episcoporum inopia, ab Episcopis peragi non potuisse Attendentum inaugurationem, dixerat Apologia. Percunctabar, nusquamne Episcopi ulli ante Solnense conciliabulum? an forte sola his destituta fuit Ungaria? Quid hic Tubalcain? Sycophanta, inquit, rixator, non erubescit contra tuam ipsius conscientiam, sermonem Apologię ad totum terrarum orbem extendere? Frustra ego Fabro huic frontem tero, in qua nec prima honestatis lineamenta reperias. Ego verba vestra ad orbem terrarum extendi? Nisi designas verba, quibus extendi; fama mendaciorum tuorum, orisque nefario scelere impuratissimi, terrasque tractatusque maris, longe lateque pervagabitur. Nihil ego affirmate scripsi, quæsivi, An nulli usquam, vel potius nulli in Ungaria fuerint Episcopi? neutrum

Bern. libr. 1.
de Consider.

recte, ac cum ratione deservire causæ vestræ comprobavi. Hoc isti frutici aliud non est, quam sermonem ipsorum, longius quam par esset, extendisse.

Quæsieram, Cur nunc Attendentes, quemadmodum antea, Ministros Brigam, aut Wittembergam non amandarint inaugurandos? aut, quo iure manus Attendentibus imponant, qui simplices ante Ministellos sacro hoc contactu fœdere non præsumebant? Tubalcain, sacris Ministeriis destinatos, idcirco Brigam mitti debuisse, ait:

Mall. fol. 25. *quia Superattendentes nondum constitui erant, per quos fierent ordinationes. At hoc ipsum quærebam, quid necesse fuerit initiandos eo mitti, si cœtus vester Apostolico ritu manus imponere, et Patrum Patres creare potuit? Ubi Divinæ legis tabulæ? ubi veteris Ecclesiæ exempla, potestatem facientis ut Episcopos sacrent, qui Ministros inferiores consecrare non possunt?*

Mall. fol. 25. *Gravem hic contra me querelam orditur Malleator, meque 28, 29. Ranam excordem, frontis meretriciæ hominem, dignum helleboro, grunnit, hæc sunt tuorum ornamenta verborum. Sed has maledictorum sagittas, in caput Prædicantium casuras mittamus; convitiorum causas, quas adfert, pervestigemus.*

Mall. fol. 25. *PRIMA est: Quia, inquit, obmutuisti ad argumentum Apologiæ, probantis Ecclesiam tanquam Sponsam Christi et clavigeram, habere potestatem constituendi sibi inspectores. Ego vero nulla in me video contorta argumentorum spicula, quorum metu vox hæserit faucibus. Nemo in dubium vocat, posse Ecclesiam Ministros suis usibus idoneos diligere: Disceptamus, per quos ordinatio Episcoporum, iuxta Canones, ac usum Ecclesiæ, peragi debeat? Promiscue per quosvis seniores? an per Episcopos solos?*

Mall. fol. 26. *SECUNDA, cur me depretiet, causa est: Quia scopum Apologiæ, Titi, Timothei, Moysis Eremitæ, ac Regis Iosaphat exempla proferrant, perverse torsi: Hoc solum, inquit, instituti nostri fuit, nefas 27, 28. esse homini orthodoxo, ab orthodoxæ religionis hoste ordinationem petere. Ut igitur Titus ad Iudæorum Pontifices missus non est: ita nostræ Ecclesiæ, Episcopatui destinatos non relegarunt ad Episcopos Romanenses. Exemplo Iosaphat significatum; cessantibus Ministris, Regem noviter constituisse, seu disposuisse Ministros. Erratum hic meum fateor, ego enim ea mentis hebetudine fui, ut existimarem Apologetas, ad rem de qua agebatur comprobandum, illam exemplorum deflorationem torsisse: nunc sero tandem, fabrili subtilitate Malleatoris dedolatus, assequor, nihil minus quam quod*

agendum fuerat, egisse Apologiam. Nunquam inter nos disputatum, an ab hostibus Religionis, Ministrorum ordinationem mutuari debeat Ecclesia, nec an Reges optimi, clementiae suæ mollieribus ulnis excipientes, ac foventes Ecclesiam, admonere cessantes possint Episcopos. Nunquam Adversarios ursimus, ut Attendentes suos, Romanis Episcopis offerrent devovendos, nam, etsi id ambitiose captarent, repulsam plenam dedecoris reportarent. Quid attinebat igitur ad eas res comprobandas, de quibus mota lis non fuit, exempla coacer-vare? Sed vide præfidentiam, veritate subnixam. An exempla Apologiæ Soluensis non alio tu flectas, quam quo destinata fuerant, coram te Iudice, et in tuo tribunali disceptatur, sed levato velo. Audisis, quo arcum dirigat Apologia: In hoc, inquit, casu, quando veri Episcopi non habentur, licere Ecclesiæ novum Presbyterium consti-tuere, et secessionem a factis Episcopis facere, exemplis iam citatis evicimus. Quin et ante prolatæ exempla, metam disputationis figit; Ubi, inquit, veri Episcopi desiderantur, licet Ecclesiæ, relictis larvis Episcoporum, sinceros creare Episcopos; et quidem per eas personas, quas ad illos ordinandos idoneos iudicarit. Vides, quo tendit Apologia? Probat memoratis exemplis, absque Episcopi interventu posse inaugurarri Episcopos, aliquo saltem necessitatis casu. Et tamen Timotheum, ac Titum, ab Apostolo Paulo ordinatum, et Apologia fatetur, et Sacra testantur eloquia. Moysen quoque Eremitam, ab Episcopis consecratum Peniculus evicit. Nec Iosaphat novos delegit Pontifices, sed torpentes excitavit. Vides igitur, te ab Apologia, Apologiam a veritate, multis parasangis deflectere.

Apolog. Sol-nen. Pag. 4.

Apol. ibid.
Pap. 3. et 4.

2. ad Tim. 1.
v. 6.
Ad Tit. 1.
v. 5.

TERTIA Convitionis causa est: quod adiunixerim, eadem omnia Calvinianos, et Arianos, de Apostolico exemplo, de manus impositione, plenis tibiis crepare, in quibus exsultat Apologia. Tubal-cain delirare me vociferatur, ac fœtido oris illoti Pfui despuit. Id enim perinde est, inquit, ac si ita concludam: Ariani se a DEO Mall. f. 25. 29. missos gloriantur, ut et Papistæ: Ergo Pontificii a DEO nun sunt missi. Actor, et Reus, leges recitant: Leges ergo eliminandæ. Faber hic Malleator, fabrilia tractare suetus, nihil sapit, nihil capit extra carbones. Ego hunc in modum Argumentationem institueram: Quod propugnandæ suæ ordinationi telum vibrant Lutherani, idem per omnia pro se intorquent Calviniani, Ariani: nempe, veros Episcopos defuisse, Ecclesiam Christi ius diligendi Ministros manus imposuisse: Et tamen certum est, hos nihil promovere, dum ista crepant. Ergo nec Lutheranas ruinas haec fulcra sustinebunt,

notissimum enim est, probationem, quæ ex æquo deservit Adversantibus, invalidam esse.

Tuæ porro ille vilissimorum Argumentationum larvæ, quas meis similas, longo hinc absunt intervallo. Nam, nec Ariani vocationis suæ tesseram eandem proferre possunt, quam Catholici, hi enim non interrupto filo, ad Apostolos deducunt ordinatæ vocationis suæ seriem: Nec Leges abrogandæ, quod litigantes utrinque eam recitent; sed illud solum concludendum, probationes Actori œque ac Reo famulantes neutri triumphos decernere. Nec ego Manus impositionem abrogandam dixi, eo quod hanc et Lutherani iacent: verum tu, mea cum non possis Argumenta, tua tibi fingis quæ vincas somnia.

§. 4. Sed ne illas ungivenduli Malleatoris scobes taciti prætereamus: *Dixeram; Nihil necesse fuisse, Timotheum ad Iudeorum Pontifices ablegare, non solum quod Apostolorum legitimam potestatem signis ac portentis obsignarat Deus; verum etiam, quod Sacerdotium Iudaicum, Christi Sacerdotio abrogatum fuerit. Prius illud silentio comprobat Malleator. Circa postremum, his pæne verbis tumultuatur:* An non legisti, Sacerdotium Leviticum non nisi Templi eversione abolitum? *Equidem, Tubalcain, non legi nec quidquam tale, locis a te ad marginem fallendo lectori consignatis, hoc est, Actor. 21. Matth. 23. legi. Quid ego hac de re legerim,*

Mall. f. 27. *audi: Legi, ¹Christi morte intercedente. Novum testamentum confirmatum esse. Legi, ²quod reprobatione præcedentis mandati, introductio facta sit melioris. Si igitur unius Testamenti introductio, alterius abrogatio est: Si Testamentum Novum Christi morte introductum: dubitabis adhuc, morte Christi Vetus Testa-*

³Hebr. 10. v. 9. *mentum exspirasse? Præsertim, cum Apostolus ³prius illud auferrendum pronuntiet, ut sequens statuatur. Quod si Legis et Sacerdotii translatio, nexus inter se sociali devinctæ sunt, quemadmodum docet*

⁴Hebr. 7. v. 13. *⁴Apostolus: ne dubita, Christi morte intercedente, translationem Sacerdotii factam, a Levitis ad Apostolos. Mortua igitur morte Christi egena clementia Legis Mosaicæ: nec tamen statim redditam*

⁵Hier. Epistol. *mortifera; ut ⁵Hieronymus et Augustinus observarunt, quocirca, 11. inter. Aug. et purificari ⁶Paulus, et tonderi voluit, et ⁷Timotheum circumcidit,*

⁶Aug. Ep. 19. *et ut multa paucis complectar, ⁸Iudeis se Iudeum præstitit.*

⁷Actor. 21. *v. 3. Postmodum ubi prædicationis Evangelicæ tuba longe lateque in*

⁸1. Cor. 9. v. 20. *orbe personuerat, multo ante Hyerosolymitani templi excidium*

⁹Gal. 5. v. 23. *cæternam iis mortem denuntiat, ⁹qui circumciduntur, ac legis*

debitores ipsos pronuntiat. Quamvis igitur Iudæorum Mystæ sacrificia peregerint, ad eum usque diem, quo everso Templo, Regno spoliati, et æterno multati exilio: nihil tamen pluris fuit eorum Sacerdotium post Christi necem, quam hodie Circumcisio toti Iudæorum genti familiaris.

Obiter dixeram: Gravi dissidio scindi a se Augustanam Confessionem. Nam ab ea Ecclesia Catholica, a qua, tantum paucos, et novos abusus recenset, negat recipi quenquam, qui doctrinam Evangelii non abiuret. Malleator hic pauce, sed graviter: Evangelicæ doctrinæ nomine, intelligitur Augustana Confessio, quæ a Veteri Ecclesia Romana non dissidet. Grandiori cyatho temetum huic vetustate edentulum offerte, ob tam validas Confessionis vindicias. Si Evangelii doctrinam eiurant, qui Confessionem vestram detestantur; certe dissidetis ab his non in leviculis, sed in ipsis Fidei capitibus: Et tamen, non de veteri illa Ecclesia, quam puram fatemini, sed de illa, a qua omitti petit Confessio paucos et novos abusus, affirmate dicit, quod nullo Fidei articulo a se disiungantur. Hæc tu redigere in concordiam debueras, quæ surda aure præteris.

§. 5. Ut novitatis sitiores oblectaret Malleator, asperitudinemque serice disputacionis fabella lævigaret, incurrit in Iesuitas nulla occasione: Eos aulicis se ac bellicis consiliis ingerere. In aulis Regum ac Principum versari. Mentito vestitu ac nomine divagari. Ita vero hercle quidem, vidi ego nuper admodum, denos omnibus aulicis ac bellicis Cœsaris et Palatini consiliis interfuisse, imo præfuisse Iesuitas. Ceteros ore catenato obmutuisse: ipsos de more omnia peregisse: diem turbasse, suda nocte stellas cœlo detraxisse, terræ hanc pilam ac cœli rotas loco dimovisse. Amnica te ob hoc veriloquium stipe gerulus Charon exsolvet, cum limen et atræ atria Proserpinæ adibis. Tam pudenda vaniloquia, tot testibus convincenda, quot in aulis Regum versantur capita, dum lego, anceps animi hæreo, an cum Democrito in effusum cachinnum erumpam, ob exsibilanda hæc næniarum portenta: vel, cum Heraclito, largo lacrymarum imbre projectam ad audendum malitiam deplorem.

Scimus vetus hoc esse malignitatis ingenium, ut Veri studiosos, quos oppressos cupid, confictis obruat criminibus, nec veram odii causam prodat. Iuuentium, et Maximianum plectere vult Julianus, quod eiurata Christiana veritate, Cœsaris impietati adhærescere nolunt: ¹ non pietas Martyrio, sed petulantia cœdi prætextitur. Proscribendus Valentinianus, quod sacra gentili ritu peracta con-

Mall. fol. 29.

Mall. fol. 27.
et 111.¹ Theod. 3.
hist. cap. 15.

¹ Sozom. lib. 6. cap. 6. *sputit, proditionis accusator*: ² quasi milites haud competenter contra hostes ordinasset. *Christiani, Iovis simulacra in vexillorum*

² Sozom. lib. 5. cap. 17. *sipariis venerari nolentes, puniendi*: ² in Rempubl. et Imperium peccasse dicuntur. Viam quam prævivit Julianus, magnis passibus terunt Prædicantes, et Vatinianum, quo Jesuitas prosequuntur, odium, non Religioni, sed inquieto ingenio (in promovenda videlicet re Catholica) attribuunt. Non eo inficias, Jesuitas suo lecto ac solo affixos non esse, sed poscentibus operam, quantum favore Numinis licet, ultiro impendere. Id si cuipiam ægre est; idem, ut spero, a Jesuitis responsum feret, quod ab Aphraate viro sanctissimo, impius Valens. Hic enim, cum Eremitam cucullo induitum domi remanere, solitariae vitæ leges facere debere, obiectasset; ³ Recte,

³ Theod. lib. 4. cap. 28. Ni- ceph. lib. 11. *inquit, Imperator, Sed, dic mihi: Si virgo essem, intus in thalamo desidens custos ædium, atque cernerem flammam exortam depopulari parentis ædes, quid me talem virginem facere conveniebat?* Intusne desidentem negligere domus incendum, et opperiri dum flamma invalesceret? an potius deserto thalamo, discurrere sursum ac deorsum, aquam afferre, flamas restinguere? Nimirum hoc fieri oportere ait, officium enim virginis prudentis et cordatae. Atque id ego nunc, Imperator, ago. Te enim iaculato in domum nostram paternam, discurrimus undique cupidi extinguendi illius. Et *quam in locis, quibus tuto versari licet Jesuitis, alieno habitu non utantur: quid tamen in eo flagitii est, si, ut perituros iuvent, quos alias non possent, sanctissimum Eusebium Samosatensem Episcopum, militari cultu circumcursantem, imitentur?*

Sed longum esset laciniosæ disputationis fastidia concoquere, declamationesque, ex communibus, et iampridem protritis Prædicantium Topicis mutuatas, persequi. Quare hic finio.

NOTA bene. Unum a te notatum volo, Lector optime. Malleatorem totum semper in otiosis parergis versari, superflua tractare, primaris levissime defungi, imo nec adsurgere quidem ad ea quæ illustranda erant. Nam nihil his omnibus verborum fumis, ad id in quo pedem figere debuerat, respondit. Neque enim ego secundo Peniculi capite disputavi: *An sine Episcopis Episcopi possint consecrari?* rectene an secus Nicæna Synodus Canonem recitatum firmaverit? an Solennis ordinatio Apostolico ritu peracta sit? Hæc, inquam, ego non disputavi. Illud quæsivi: *An Augustana Confessio reapse docuerit, se tantum novos, et contra Canones invectos abusus in Ecclesia, a qua secessionem fecit, detestari?* Et, *An novum, et contra Canones*

sit, inanem esse Episcoporum ordinationem, nisi ab Episcopis per-agatur? Hæc sunt de quibus quæsivi, et Prædicantes in veræ Argumen-tationis appendi eculeo. Sed Malleator, præstigiis pompaque ver-borum, quasi fatuis aut pueris illudens, alio cursum flectit, nec hærere nos sinit quæstiōni. Quo circa, missilibus quibus velitatur, nec attingit argumentum nostrum, tantum abest ut frangat. Resume calamus, Tubalcain, et breviter ac aperte prome: Ais, an Negas, quod in Maiori argumentationis posui; quod in Minore assumpsi?

PENICULI CAP. III.

Prædicantes, sine legitima vocatione, ultronea arrogantia, in Ecclesiam irrepsisse, profanos esse.

Bene sit vobis. Prædicantes, quod ultro mihi aditum patetef-cistis ad eam disputationem, quæ una vestræ falsitatis facem præ-ferre orbi potest. Dixerat Illustris. Cardinalis: ex ipsis Augustanæ Confessionis placitis, antiquas Ecclesiæ consuetudines, sacrisque Canonibus sanctitas leges approbantis, liquere; Novos Superatten-dentes, contra Nicænos Canones renuntiatos, falso nominatos Epi-scopos esse: Ideoque legitimas ab eis Ministrorum ordinationes fieri non posse; nec ab illis, quos initiarunt, ullum Sacramentum ex iis, quæ ordinationem requirunt, rite ac ex ordine, salutariter-que administrari.

Tria hic quoque gannint Triumviri:

PRIMO respondent: *Hoc consequens, ex falso præsuppositis, non nisi falsum esse potest.* Ha, quanta vis doctrinæ ac reconditioris Dialecticæ! Evigoratæ mentis, emedullati capitis ignorantissimæ strophæ. Si ad puerilia conquiniscere non erubescitis, Prædicantes, licet ipsa Logicæ rudimenta versantibus retrosiores videamini: meminisse tamen potestis, unam inter Syllogismi facultates illam ab Aristotele percenseri, quod verum quandoque ex falso inferat. Experimentum capite: *Omnis caudex Theologiæ gnarus est: Omnes quos Solna nuper dedit Attendentes, sunt caudices; Ergo omnes Solnæ proseminali Superattendentes, gnari sunt Theologiæ.* Conse-quens hoc verum esse, vos fatemini: ego (do hoc amori vestro) non abnuo, et tamen Præmissas falsas esse, nemo non videt. Sed

spinosa hæc missa facio: illud dico; Præsupposita, seu Præmissas ab Illustris. Cardinali memoratas, verissimas esse, iam capite præcedenti commonstravimus. Audete aliquid contra hiscere.

SECUNDO respondent: *Baptismus verus et efficax ministratur a Prædicantibus, qui Pontificiæ ordinationis non sunt. Si in uno Sacramento ministerium nostrum efficax est, cur non in altero? in Absolutione? in Sacramento Altaris? Constat certe, tam in Baptismo,*

Luth. de Captivit. Babylon. c. de Baptismo. *quam in Cœna Domini, remissionem peccatorum, iustitiamque conferri. Legeram compluries apud Lutherum hæc ipsa verba; Baptismus neminem iustificat, nec ulli prodest; sed fides.*

Et id necessario dici debere intelligebam, ab iis qui sola fide apprehendi, et imputari volunt iustitiam Christi hominibus. Nunc, quid Novitii Superattendentes novare moliantur, non video. A Luthero ipsos dissidere video: Sed celero, et carptim hæc vellico, ut ad ea, in quibus cardo vertitur, deveniamus. Atat, quæ (malum!) ista rerum Ecclesiasticarum supina ignoratio? An nesciunt Prædicantes, Baptismum etiam ab hæreticis collatum, validum esse, iterandum non esse, totius Christiani orbis assensione comprobatum fuisse, postquam ea res in dubium deducta a D. Cypriano Martyre fuisse?

Calv. lib. 4. cap. 15. n. 20. Et quis adeo rudis in Christianitate, qui id nesciat, quod Calvinus ipse disertim adstruit, ab ipsis inde Ecclesiæ cunabulis, usu receptum fuisse, ut si Minister in tempore non adesset, quilibet e promiscua Laicorum turba, vere baptizaret? Hoc Augustinus lib. 2. contra

Hier. contra Luciferianos cap. 4. Tertull. de Baptismo c. 17. literas Parmeniani, cap. 13. Hoc Hieronymus, hoc Tertullianus, hoc ceteri primævæ Ecclesiæ antesignani, hoc perpetuus Ecclesiæ usus, ex quo ipsum etiam Scripturæ Canonem hausimus, comprobabant; ut mirari satis nequeam, quod in his talibus noctuent exoculata præcordia Superattendentium.

Fatemur igitur, Ministros exedræ Lutheranæ, et podii Calviniani, qui æque ac ceteri de plebe Laici sunt, si aquam naturalem adhibeant; si, quod Christus instituit, id agere intendant; si in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti baptizent; verum ac legitimum Sacramentum Baptismi administrare. Nec solis Ministris, sed ubi necessitas exigit, ceteris quoque hoc ipsum damus. Imo vos ipsi quoque datis, siquidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteros, nulla legitima vocatione subnixos, ideoque mere laicos arbitramini: et tamen eos, quos ipsi tinxere, Anabaptistica impietate rebaptizare non audetis.

Iam igitur, si vestra hæc argumentandi formula apta est, et efficax; agite, hunc in modum concludite: *In Sacramento Baptismi*

ministerium Romanorum Sacerdotum efficax est; Ergo et in aliis Sacramentis; in Cœna Domini; in Absolutione, etc. Aut, si lubet, licebit et sic argutari: Si urgens, et quæ moram non fert necessitas cogat, fas est cuilibet de plebe, privatim tingere infantem: Quilibet igitur, et Eucharistiam, et Absolutionis Sacramentum administrare poterit. Et quia hucusque felicibus Euris provecti estis: Agite, cum acutissimo vestro duce, sic concludite: Probemus omnes Christianos ex æquo Sacerdotes esse. Sunt autem Sacerdotalia efficia ferme hæc: Docere, Prædicare verbum DEI, Baptizare, Consecrare Eucharistiam, Ministrare, Ligare, Solvere, Orare pro aliis, Sacrificare, Iudicare de omnium doctrinis et spiritibus: Primum vero et summum est, docere Verbum DEI; proinde, cuicunque Verbum concesserimus, huic plane nihil negare possumus, quod ad Sacerdotem pertinet. Primum igitur officium, nempe Verbi ministerium, commune est omnibus Christianis. Id probat Christus, cum in cœna novissima omnibus dicit, Hoc facite in meam commemorationem. At ea commemoratio, aliud non est, quam prædicare verbum. Acutissimæ, Chrysippo dignæ subtilitates! Quis Cato ad hæc nugalia, non quicquid habet domi cachinnorum, profundat? Pergite, Superattentes, bonis avibus. Si hunc quem cœpistis, insistitis gradum, si paullulum adhuc annitimi; vel ego fallor plurimum, vel anomalia hæc vestra, omnem Ecclesiastici ordinis eutaxiam, eversum ibitis. Uno igitur verbo concludo: Recte Illustriss. Cardinalis dixit, ex iis Sacramentis, quæ ordinationem requirunt, nullum a vobis legitime administrari, ut ex iam dictis intelligi, et ex iis quæ de vestra vocatione dicturi sumus, valide comprobari potest: Male vos argumentari, ab eo Sacramento, quod absque ulla ordinatione valide (quamvis non semper licite) a laicis conferri potest, ad cetera Sacraenta, quæ Sacerdotibus administranda committuntur.

Luth. tom. 2.
Lat. Vittenb.
Ann. 1546.
per Luftt.
lib. ad
Bohemos, de
Sacerd instit.
fol. 395.

TERTIO, Auctarium congiario adiiciunt: *ut ex superabundanti aliquid addamus, inquit Superattentes, nos ex verbo DEI certi sumus, quod Mandatum DEI et Vocatio, faciant legitimum Ministerium. Demiror hanc superabundantiam vestram, Prædicantes. Par est tamen, ut apud Superattentes nihil nisi Superabundans, Super-effluens, Superfluum, Superlativum inveniatur. Sed heus, Prædicantes, quid agitis? Amphora cœpit institui, currente rota urceus exiit. Ex superabundanti probare vultis, legitimam esse vocationem vestram. Probationis loco, assumitis: DEI Mandatum ac Vocatio, faciunt legitimum Ministerium. Bene, ad rem aptissime. Pergite,*

quid inde? subsumite. Tacetis? nihil deinde subsumitis? Credo equidem, pudor interclusit fauces, ne quod in Minore erat ponendum, efferratis; Hoc nimirum: *Sed nos, DEI gratia Solnenses Super-attendentes, et cetera turba Ministerorum, Mandato et Vocatione DEI exciti sumus; Ergo legitimum Ministerium habemus: Et Sacra-menta, quæ ordinationem requirunt, rite administramus.* Hæc profecto ad rem omnino necessaria erant, hic gradus figendus erat. Sed ut video, in sola vanitate superabundant Prædicantes, deficiunt in necessariis.

Tria argumenta vanitatis novi Ministerii Novatorum.

Quia diffisi caussæ, in ea re, in qua plurimum operæ ac studii ponere debuerant Prædicantes, ut pisces muti hærent; nec ullum Vocationis suæ indicium adferunt: ut gratum faciam, commonstrabo luce hac æstiva clarius, Lutheranos et Calvinianos clamatores, a DEO missos non esse; ultronea temeritate in Ecclesiam irruisse; docendi munus temere usurpasse. Quod priusquam facio, paucis mihi, Lector optime, monendus es.

Scias igitur, hanc unam esse ex iis rebus, quæ vel sola recte discussa, omnes errorum tenebras dispellere, omnia novarum opinionum firmamenta demoliri possit; et cuius cognitio, præ ceteris propemodum omnibus controversarium partibus, utilem ac

Eph. 4. v. 11. necessariam habet disquisitionem. DEI enim mandato omnes
Hebr. 13. v. 17. adstringimur, ut Pastorum, ac a DEO constitutorum ad Ecclesiæ
Ioan. 10. v. 3. Math. 23. v. 2
Malach. 2. v. 7. ferri inutilium doctrinarum ventis nolumus. Obedire, ac subiacere
illis; ut oves Pastorum vocibus obsecundare; facere quæ præscri-
bunt; legem ab ore illorum requirere, non uno loco iubemur.

2. Paral. 19. Cum enim humani ingenii imbecillitas caliget ad cælestia, maiori-
v. 10. que mortalium parti, non tantum otii ab occupationibus, non
tantum præsidii sit ab intelligendi vivacitate, ut pervidere omnia,
ac exortos spinosiorum disputationum anfractus perlustrare, diudi-
careque possit: saluberrime Divina providentia Pastores, ac itineris
duces ordinavit, eorumque ductum ac magisterium sequi iussit,
si tuti, si periculis errorum exempti esse volumus. Quocirca in
id curam omnem, industriamque conferendam gravissimis verbis

Matth. 7. v. 15. præcepit salutis nostræ assertor Christus Dominus: ut lupos a
Actor. 20. v. 28. Pastoribus, Satanæ ministros in Angelos sese transformantes a

Christi servis secernamus; Pastoribus adhærescamus, lupos omni contentionе devitemus.

Age igitur, mantissam hanc adiiciamus; clarissimisque et ad 2. Corint. 11.
vulgi captum evidentissimis argumentorum firmamentis, quanta
maxima fieri potest brevitate, comprobemus: Nec Solnenses Super-
attendentes, nec ullos Ministros Lutheranos, a Christo destinatos
esse Pastores Ecclesiae.

PRIMUM ARGUMENTUM: Post fundatam a Christo Domino, atque inter Gentes propagatam Ecclesiam, nullum Ministerium est verum, ac Divina vocatione subnixum, quod ab Apostolorum temporibus, continua sibi succedentium Ministrorum serie, non perennavit:

Atqui, ut Lutherus ipse transfuga, cordus fuit, sic Ministerii Lutherani corporatura, nupera est, nec succedaneis semper fulsit Pastoribus:

Ministerium itaque Lutheranum, nec verum, nec Divina vocatione subnixum est.

Propositio argumenti, charissimis sacræ Scripturæ verbis expressa legitur. Paulus enim Apostolus a Christo datos Ecclesiæ Eph. 4. v. 12. Doctores ac Pastores, inquit, in ædificationem corporis mystici, ad consummationem Sanctorum, donec omnes occurramus in virum perfectum Christo: et horum ministerio defendi fideles, ne turbine opinacionum humanarum in devia raptentur. Ubi Calvinus: *Vide-*
mus, ait, *omnes ad unum cogi in eum ordinem, ut mansveto ac docili spiritu regendos se doctoribus in hunc usum creatis, permittant.* Rom. 10. v. 15. Idem ipse Vas electionis, alio in loco palam edicit; Fidem non aliter ortum progressumque suum habere posse, quam si a Pastoribus divinitus missis, docendo propagetur.

Calv. lib. 4.
Instit c. 1.
num. 5.

Quod si igitur bonum semen fidei a Christo sparsum, defragatione fœturaque exinaniri non potest, sed crescere usque ad messem debet; si nullæ unquam inferorum vires robur lucidæ veritatis evertent, nullæ nubes radios eius flecteat, nullæ tenebra-
bunt; si nec imbris persecutionum, nec disputationum ardoribus vera fides abolescit; si Apostolico sanguine rigata Ecclesia, nec tempestatibus everti, nec allidi brevibus, nec infigi vadis hæresum potest: necesse est, nusquam intercisa serie, Pastoribus successisse Pastores, qui fidam navigantibus stationem ostenderent. Cum enim fides sine Pastoribus perpetim perennare, propagarique non possit: æque adynaton est, viduatum aliquando orbem Pastoribus fuisse, saltuatim ad nos Pastores adrepsisse, ac mundum veræ

Matth. 13. v. 30.
Col. 1. v. 6.

Rom. 10.

fidei penitus expertem quandoque fuisse. Recte igitur Calvinus docuit: *tenendum esse, Ecclesiam non aliter ædificari, quam externa prædicatione*, ideoque, *Pastoribus et Doctoribus nunquam carere posse Ecclesiam*. Quin et ipse, Protheo omni mutabilior Lutherus: *Apostoli, ait, immediate vocati sunt a Christo; hi vocarunt Episcopos; Episcopi successores. Ea Vocatio duravit usque ad nostra tempora, et durabit usque ad finem mundi, nec est mutanda, sed magni facienda*. Atque hoc argumento veteris Ecclesiæ Doctores, novellos in Ecclesiam irruptentium Pseudopastorum conatus eliserunt. *Ædant, inquit Tertullianus, origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit autorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæensus suos deferunt. Quocirca hunc in modum alibi alloquitur*

Tert. ibid. c. 37. Novatores: *Qui estis? quando, et unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo iure Marcion silvani meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est possessio, olim possideo, habeo origines firmas, ab ipsis autoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum. Quod si quos vero ad hæc pallore exanimatos, titubantesque, si ex se natos, si nemini succedentes deprehenderunt; ulteriori disquisitione seposita, illos extrarios esse, hybridas esse, hypobolimæos esse, lupos esse libera voce pronuntiaverunt. Adi, si lubet, Augustinum, epist. 165. Et lib. 11. contra Faustum, cap. 2. Optatum, lib. 2. contra Donatistas. Cyprianum, epist. 66. Et de Unitate Ecclesiæ, num. 34. Et cum his appendat aliquis in eadem lance, prætumidos vetustatis adrosores?*

Assumptio argumenti clarius est, quam ut probatione indigeat. Et reos confitentes habes in hac ipsa Solnensi Apologia, in qua ingenue fatentur Prædicantes: *Nulos veros et orthodoxos Episcopos, Lutheranos scilicet, juisse: Ideoque coactos se, et secessionem facere, et sinceros Episcopos creare*. Sed si negare audet clarissimam veritatem frons Prædicantica; extant monumenta Historiarum, extant acta Conciliorum, extant doctissimæ sanctissimorum Patrum lucubrationes, extat memoria antiquitatis, in templis, legibus, ritibus: Excutiant, eruderentque omnia diligenter, centuriatim retroacti temporis cursum remetiantur, decurrant per historias, ne quis latibuletur; nominentque nobis ab ipso usque Apostolorum

martyrio, Pastorem unum, Doctorem unum, Virum unum, qui ante consceleratos Monachi et Monachæ æstus, Lutheranum Ministerium, necdum defrutum satis, et pæne hornum, gesserit; qui complexionem omnium capitum, quæ ad fidem pertinere statuantur, sic docuerit, ut hodie docent Augustanæ Confessioni applaudentes, nullusdum enim nominatus legitur. Dicant illud quoque, Per quæ aquagia colluviaria, per quas inciles, ac catarrhactas, in luteres, lacunasque Lutheri, divite vena fluxit limpida Evangelicæ doctrinæ aqua? qua magistra manu inoculatus est Lutherus arbore, a minuto sinapi prosemnatæ? per quos scrobes, per quos mergos, vitis illius frugiferæ, ad Lutheri novellata, repastinataque pampinaria, traduces facti, ut vendemiæ labruscatæ retinaculis, Saxones primum post multos alios amentaret? Nominent bella, quæ contra Gentiles, contra hæreses gesserint Ministri ante Lutherum Lutherani? quas Urbes converterint? quæ Concilia celebrarint? quos errores extirparint? quas cryptas, quæ spelæa sanctificarint? quæ virtutum incitabula reliquerint? Forte latebrarum antris obumbratos, sæculisque prioribus ignotos fuisse dices Lutheranos Ministros? Male sit illis antris, quæ tantam lucem, ipsis Mille quingentis viginti annis occultarunt; quæ nobilissimas has reliquias, felici retectione nunc elicitas, tot sæculis merserunt. Sed, dic sodes, magne interpres Iovis, quæ Dia vates retexit hos Anonymos, ignotosque Lutheri Succenturiatores, se tamdiu illatebrantes? quis Trophonii antra, vestrorum antea Doctorum latibula, comonstravit? Nam nisi Lutherus antecessores suos nominet, nisi continua successione deducat ad Apostolos, sicque Apostolici seminis frutices, non spurios stolones esse Symmystas suos comprobet; somniantium delirationes, occulta illa latibula, risu, cachinnisque cordati viri explodent. Et certe, si invisi isti Ministri, latibula semper occuparunt, si lupis grassantibus non occurserunt, si lucis timidi, solis tenebris oculos habuerunt; si populos Verbo et Sacramentis non paverunt, si idololatricis cultibus assenserunt, si quas hodie colitis novales, situ durescere, pedoreque obsolescere passi sunt: manifesti proditores, non occulti Pastores fuerunt. Apte igitur illud de vobis dicimus, quod de quibusdam vestri similibus Scriptura: *Hi quæsiverunt scripturam genealogiæ suæ, et non inveni- 1. Esd. 2.v. 62.*
nerunt: et electi sunt de Sacerdotio. Vere enim de suo suxit Scor- 2. Esd 2.v. 61.
 pius ille sæculorum, virus, quo Apostolici sensus retorpescerent,
 quo fides Apostolorum hereditaria, lacinata evigoraretur.

Hic auruncum de mento pendulum contorquete, Prædicantes, hic bostrychis comatos vertices excutite, antias capronas pressando vellicate, crispulos labrorum pilos demulcete, et caperata fronte aliquid ex tripode demurmurate: Aliquem omnibus retroactis sæculis nominate, cuius librorum monumenta extent, cuius in veteribus Ecclesiæ Annalibus mentio habeatur, qui hanc integrum doctrinæ vestræ complexionem docuerit; qui ea omnia, ob quæ hodie Romanam Ecclesiam arroditis, vobiscum una damnaverit.

Ut fecit Illyricus in Catalogo testium.

Nam si eos nominatis, qui uni, alterive errori vestro patrocinantur; haud certe magis stemmatis vestri originem ad illos deducetis, quam ad Mahometem, qui et ipse, non una in re vobis adstipulatur. Quod si neminem omnium designare potestis, vestræ novitatis præsultorem; iure merito iisdem a me verbis compellamini, quibus Marcion a Tertulliano: Quinam estis? quibus orti maiores? quid pascua nostra depascitis? quid segetem metitis? quid silvam cæditis? quid fontes nostros avertitis? Nostra est possessio, habemus origines firmas. Maiores nostri heredes sunt Apostolorum, nos maiorum: Vos alieni estis ab hac hereditate: aut, si non alieni, quo iure illam vendicatis? Mille quingenti, et quod excurrit, sunt anni, ab Apostolorum ad vestram ætatem: tot annis quis possessionem vobis debitam occupavit? sub cuius tutelari manu stetit, heredibus transmittenda? ædite hos tutores, ædite maiores, per quorum ad vos manus hæc hereditas obvenit. Id si non potestis, ut non posse Sole clarus est, concedite quod vis argumenti invitis expressit, Vos nihil minus, quam divina vocatione subnixum ministerium habere.

SECUNDUM ARGUMENTUM: Si ex se nati, nec ulli succedentes, aborigines, allophyli Ministri Luthériani, a Deo sunt missi; vel igitur per homines, ordinaria via et ratione missi sunt, vel a Deo immediate, nullius hominis adhibito ministerio. Primum illud, dici de Luthero (a quo cetera abigeorum turba originem duxit, nec potiori iure quam ipse, Ecclesias invasit) non potest. Is enim, licet in Ecclesia Romana Sacerdos, in Academia Catholica Doctor renuntiatus fuerit; licet ad eam, quam Romana Ecclesia docet Veritatem, legitimam missionem habuerit: ubi tamen legationis suæ terminos transilivit, iisque ad quæ docenda missus erat, contraria docere coepit, legitimæ missionis privilegio excidit, non secus quam Arius, Macedonius, Sergius, Samosatenus, Dioscorus, Auxentius, qui post legitimam Episcopatus adeptionem, in hæreses

prolapsi fuerunt. Et hodie, si quis Ministrorum ad Arianos, ad Turcas profugiat, profanosque errores docere incipiat: Divinæ missionis, quam se habere Prædicantes iactant, prærogativa haud dubie excidet. Nec arbitror, hunc a Lutheranis honorem Romanæ Ecclesiæ haberí, ut Lutherum idcirco divinitus vocatum asserant, quod a Catholicis Sacerdotio fuerit insignitus, pari enim ratione, ceteros Sacerdotes Catholicos, DEI vocatione subnixos fateri deberent. Ad Magistratum vero sæcularem, agenealogiten Lutherum, vocationis suæ primordia reducentem, quis non rideat? Certe cum primum Lutherus doctrinæ sue semina iacere inciperet, obsordescentia vetustate (si DEO placet) recentaret: *Solum se fuisse initio, aliquotiens palam edicit. Sleidanus vero: Tenui fuit, inquit, et contemptum huius Religionis initium; et totius orbis odium, Unus tantum homo sustinuit.* Ipsemēt vero Thraso gloriosissimus aliubi de solitate sua, iactuosissime hunc in modum sese circumspicit: *Quis me sustentabat initio cuī solus essem? Solus in acie stabam. Solus Pontificis, et Cæsaris telis me obiiciebam.* Et sane, cum ante ipsius exortum, Saxones omnes Chatholici essent, prius illos inventum Christianos, novitatis suæ gratiositate percutere; prius a Romanæ sedis obedientia falcinatos seducere debuit, quam ab illis potestatem acciperet insectandi Romanam Ecclesiam, cuius iniurias, quoadusque Catholicī fuerunt, non sustinuerint. Adde, quod si sat est ad Divinam vocationem, ut, quos erroribus tuis imbuisti, libenter atque etiam avide te accipient; nullus Arianus, nullus Mahometanus erit, qui DEI missionem obtendere non possit. Horum enim quisque, a suis Magistratibus, obviis ulnis excipitur.

Quod si secundum illud in Argumento positum adlubescat, Lutherumque extra ordinem immediate a Deo vocatum dicas, ac eius deinde ministerio ceteros ad docendum adlectos: id vero difflari levissimæ plumæ instar potest. Nam, ut taceam, vobis autoribus nihil credendum esse quod clarissimis Scripturæ sacræ testimentiis comprobatum non sit: ideoque nisi locum, nisi verba proferatis, quibus Scriptura Lutherum a Deo missum fuisse adstruat, credere vobis non possumus. Ut illud quoque silentio involvam: Altos illos turgidæ mentis confluges, Conciones libidinum auctrices, deque sola scurrilitate, de lascivis et cruentis vocibus nobiles, Mæandros errorum spissos, blasphemii oris pestilitatem, Scripturæ expositiones per vim retortas, novitia paratura convestitas; mendacia stipata undique, summam doctrinæ dubitatim assumptæ nobilitatem,

Præf Tom
1. Anno 1545.
Sleid. Præfat.
histor. ad
Augustum.
Lutherus,
contr. Regem
Angl.

et vere campum venti; defibulatam carnem, ceteraque emicantia propudia Lutheri: quæ apud cordatos, ne suspicioni quidem locum reliquerunt, de Diviniore aliqua Lutheri vocatione, ad redanimandam novo spiritu doctrinam Apostolicam, neglectu, situque ignavescentem, et primordiali suo vigori restituendam. Ut et illud præteream: Credibile non esse, Lutherum aquilam fuisse, irretortos oculos in ipsos veritatis radios defixisse: Talpas fuisse, lusciosos præ illo fuisse, nihil in rebus fidei ac Religionis vidisse Augustinos, Cyprianos, Irenæos, Areopagitas, Basilios, Religionis nostræ lumina et columna: ex quorum locuplete horreo, abundantissima penu, instructo omni telorum genere armamentano, omnia Scripturarum abdita, omne Veritatis magisterum haurire possumus. Hæc, inquam, omnia, ut seponamus, Illud solum nunc urgeo: In humana politia, si quis se Ducem belli, Gubernatorem provinciæ, Regalium proveni-
tuum Questorem delegatum, si Reformatorem, si Legatum Regia autoritate creatum iactat; nemo fidem adhibet, nemo paret, nisi diploma Regum, nisi obsignatas tabulas deferat. Et has ipsas non temere accipimus, sed expendimus singula, vigilanter lustramus, examinamus et diplomata, ne quis imponat fraudibus credulitati nostræ. Et si quod vel tenuissimæ suspicionis argumentum de impostura suboriatur, diligentius discutienda res differtur, fides non adhibetur. Quæ (malum!) ergo dementia est, in animæ negotiis adeo obesos, et hebetes esse, ut in regno Ecclesiæ novos Legatos, ac (si Deo placet) Reformatores admittamus, idcirco solum, quod audacter et intrepide

2. Corint. 5.
v. 20. Pro-
Christo lega-
tione
fungimur.

Sleidam. 1. 5.
Histor.
Anno 1525.

ipsi se a Deo missos, se verum Scripturæ sensum adferentes iacent; licet interim nulla indicia, nullas suæ Legationis probationes adferant: contenti dixisse, Nihil a se, nisi rectum doceri. *Cum Muncerus Mulhusii concionaretur, scripsit Lutherus ad Senatum, ait Sleidanus,*
Recte facturum Senatum, si roget ex eo, Quis docendi munus ipsi commiserit? quis evocaverit? Et, si DEUM nominet autorem; tum iubeat hanc suam vocationem evidenti signo comprobare. Si repræsentare non poterit, repudietur. Hoc enim esse Deo familiare ac proprium, quoties formulam consuetam, vel rationem ordinariam velit immutare, ut tunc voluntatem suam aliquo signo declaret. Patiatur ipse hanc legem, qui ceteris eam tulit, Lutherus: nec nobis succenseat, si fidem nudæ asseverationi non accomodamus, sed signis, sed evidentibus argumentis, missionem suam testatam orbi reddi cupimus.

Fuit hoc semper omnibus hæresiarchis commune asylum, ut

se a Deo missos, ceteris ab officio deflectentibus, iactarent: et tamen nemo, cui sal in capite, ob hanc nudam asseverationem, eos accipit. Cur Lutherum accipiam, qui nulla maiora Missionis suæ argumenta adfert, quam Arius, quam Macedonius; qui et ipsi suo sibi iudicio Scripturam docere videbantur? Certe Calvinus, ac Ministri Calviniani, quos non deamant, sed depereunt Lutherani, atque in societatem laboris adsciscunt, quoties adversus Catholicam Veritatem explicanda sunt castra, simili præsidentia iactant, Extra ordinem se a Deo accitos. Idque ea prorsus ratione, qua Lutherani comprobant: nempe, quod purum Dei Verbum, a ceteris adulteratum, in libertatem asserant, ac perpurgatum propugnant. Cui ergo præ altero assentiar? e cujus manu Evangelium accipiam? Omnes eadem de suo testantur: A Deo esse: non aliud esse, quam quod Apostoli posteris consignarunt. Omnes eadem hæc mellis stillicidia de libacunculo venenato, eadem submellata dulcoris subtemine proponunt; licet adversa inter se fronte concurrant. Quid ego hic in tanta ad se pellicientium, reliquos damnantium Magistrorum contentione? quo proram huius Fidei cymbæ flectam? Quod iste pro stationis suæ securitate profert, idem ceteri. Cur igitur cursum ad hos potius, quam ad illos dirigam? Nam ad omnes non possum, nec eodem tempore anchoram in adversantibus firmare. Et tamen nihil Lutherus pro se adfert, quod non Calvinus, non Blandrata, non Menno. Singuli suam doctrinam, Apostolicam aiunt; Scripturæ ad amussim respondere aiunt; nec aliam, quam suam. Si ad veritatem affirmare satis est, vicerunt omnes. Quod si nuda asseveratio, validis probationum nervis destituta, in negotio potissimum æternæ salutis, infirma, ac nullius momenti censeri debet; vani sunt, ridiculi sunt omnes.

Et sane, cum tacitus mecum considero, projectam hominum ad quidvis credendum audaciam, mirari satis non possum, quo tandem fascino captæ sint mentes mortalium, ut uni homulo, sola carnalis libertatis delinimenta propinanti, tam facile aures animosque applicarint, cum se a Deo missum iactaret; licet non aliud missionis suæ argumentam adferret, quam quod summa audacia iactaret, se Scripturam, sensumque eius primigenium, a sanctis Patribus adulteratum, adferre. Certe cum Religio veteris Testamenti, apud Iudeos mutanda erat, etsi servator noster clarissimis Scripturæ sacræ testimoniis convinceret, mutationem illam fieri debere, ad eamque rem Messiam a Deo missum esse: id tamen

Ioan. 15. v. 24. maximis, testatissimisque miraculis ita confirmavit, ut nullam ter-
 1. Corint. 12. giversandi occasionem reliquam faceret. Et suo ipse edixit ore:
 v. 12.
 Marc. 16. v. 20. Iudeos peccatum non habituros, si patentibus hisce supra natu-
 Heb. 2. v. 4. ram signis, suam ipse doctrinam non adstruxisset. Apostoli deinde,
 signa Apostolatus sui ubique reliquerunt, Domino confirmante ser-
 monem, sequentibus signis. Ceteri hos secuti, qui densas illas
 Gentilitatis tenebras eruncarunt, qui ad Christianæ veritatis cla-
 rissimum lumen populos perduxerunt, signis ac virtutibus fidem
 doctrinæ præstruxerunt, ut omnes omnium Gentium Historiæ
 memoriæ prodiderunt. Quantis igitur opus erit miraculis, cum
 de Religione novi Testamenti immutanda; de tot sanctissimorum
 Martyrum sanguine rigata; tot doctissimorum Patrum lucubratio-
 nibus, admirandisque ac supra naturæ cursum operibus, confir-
 mata doctrina abiicenda, agebatur? Certe, si dena mortuorum
 millia redanimassent, si Apostolorum, si Christi Domini miracula
 omnia redauspicassent novi Magistelli; vix tamen fidem mereri
 potuissent, ut persuaderent, Religionem, cui portæ inferi prævalere
 non poterant, extinctam, ac penitus consepultam fuisse: orbem
 universum in idolatriam prolapsum fuisse: sanctissimos Mar-
 tyres, doctissimos Patres, in statu æternæ damnationis fuisse: ali-
 quid præter id, quod ab initio Evangelizatum est, credendum esse.
 Nunc vero, cum nullum Missionis suæ iudicium proferant Prædi-
 cantes, sed solam Scripturam, suo sensu, non iuxta communem
 Patrum intelligentiam explicatam, crepent; quis adeo retusus, ac
 plumbeus erit, ut se his verborum laqueis irretiri patiatur? Cui
 sic obbrutuit palatum ad saporem vetustatis, ut novella hæc a
 pegmate Lutheri scoria, ac putentes sub stillicidio canalicularum
 euripos, purissimis sanctorum Patrum, ac ad stuporem omnis
 ætatis litterosorum aureis fontibus conferre audeat?

TERTIUM ARGUMENTUM altissimo silentio obruissem, ne Luthe-
 ranis scilicet ægre facerem, nisi tenellus, implumisque e cavea
 Lutheri pullus, e torculari musteus, e cunis lacteus Rhetorculus,
 paedotriba Baniensis, fragile aliquod falsæ gloriæ choragium com-
 paraturus, hoc potissimum Catholicorum telum extorquendum sibi
 statuisse, in ea rerum disparatarum farragine, qua inaugurationem
 recens institutæ Superattendenticæ dignitatis maiestatem, novitus
 cosmeta, pigmentis, fucoque puerili picturata oratione claravit.
 Atque, ut nihil ad summam audaciam reliquum faceret, virum
 doctissimum Nicolaum Serarium, velut musca elephantem laces-

sendo, validis ingenii nervis contortam ab ipso probationem, prorsus sine iudicio pervertit, e triviali Magistello, repente Theologaster insulssissimus. Hoc igitur esto Tertium probationis nostræ Argumentum:

Fieri non potest, ut Divinam ille sortitus sit ad prædicandum Missionem, qui ab ipsissimo Cacodæmone, Avernali scientia gravidatus, deleterion illud doctrinæ, orbi publicavit, quod ab infami hauserat magistro:

Atqui Lutherus, cum antea Catholicus esset, phasma Phlegethonteum conspicatus, philtrum ab eo piaculare, quo dementaretur, accepit, phrenesin hausit, eiusque pellaci suadela inductus, ac flexanima oratione delinitus, ab avita Religione descivit, et quod in obscuro a Diabolo, materialio dogmatis sui didicerat, id orbi publicavit, suis etiam persuasit:

Ergo fieri non potest, ut Lutherus Divinam ad prædicandum sortitus sit Missionem. Quod si Primipilus, si parens ceterorum Prædicantium, qui deinceps ab ipso procreati sunt, Diabolica missione, non Spiritus Sancti unctione delectus a docendum fuit: in propatulo est, ne ceteram quidem passivorum discipulorum succedaneam turbam, Deo destinante excitam esse.

Propositio Syllogismi, adeo clare suo ipsius emicat splendore, ut probatione nulla egeat. Eleganter enim sanctus Athanasius, impedio doctus Pater, Diabolum, nec cum vera loquitur, fide dignum esse monet, † ideoque Christum, ideo Apostolos obturasse os Diaboli, vocem interclusisse, picati sermonis blanditias repres- sisse, etiam cum vera dicebat: *Quia noluit per os impurum veritatem enuntiari, ne per hanc occasionem admiscens Zizania sue malæ voluntatis, eo tempore superseminaret, quo homines in somnis essent.* Et certe, si Lacedæmonii, cuiusdam Demosthenis probrosi hominis sententiam idoneam ac salutarem, acceptare ob indignitatem autoris noluerunt: multo magis addebet, ut Patri mendaciorum, capitali humani generis hosti, et nil nisi exitium nostrum machinanti, fides nulla adhibeatur. Nam mendacibus, etiam vera loquentibus, credendum non esse monent Sapientes. Et inimicorum ipsa quoque munera suspecta, ac exitialia esse solent. Divina quoque oracula, resistendum esse Diabolo; societatem lucis cum tenebris, conventionem Christi cum Belial, esse non posse docent. Nec a Diabolo, sed a Spiritu Sancto, edocendos suos ministros Christus pronuntiavit. Indignum veritate Christiana, indignum Maiestate

[†]Marc. 1. v. 25.
Luc. 4. v. 41.
Actor. 16. v. 18.
Ath. orat. 1.
contra Aria.
^{f.} 118. Comel.
Plutarch. in
Polit. initio.

Iac. 4. v. 7.
²Cor. 6. v. 15.

Spiritus Sancti est, ut Diaboli ministerio, Veritas salutaris doceatur. Sed nolo in re clarissima longius immorari.

Assumptio Syllogismi, si a nobis excogitata, si alterius quam Lutheri testimonio subnixa esset, atroci haud dubie calumniæ accenseri posset: verum, ipse de se Lutherus testatur id, quod assumpsimus. Priusquam tamen Lutheri verba adferamus, memoria repetendum est, non hodie primum, tantum ac inauditum crimen, Lutherò exprobratum fuisse. Ut enim taceam Catholicos, Hosium, Lindanum, Prateolum, Surium, Ederum, Nasum, Perpinianum, Duræum, Copum, Ulenbergium, Bellarminum, Serarium, alias; ipsi Calvinistæ, et vivo, et mortuo Lutherò, quod Diabolo magistro

Confess. Tigur. profecerit, obiecerunt. Audi Tigurinam Helvetiorum Confessionem, Anno 1545.

ap. Christoph. Frosch. fol. 28. quæ postquam ex Lutheri scriptis, longam ipsius cum Diabolo confabulationem retulisset, eiusdemque contra Oecolampodium atque alios criminationem detersisset, hæc ipsa subnectit verba: *Lutherus hoc a nullo bono spiritu hausit, sed illius instinctu scripsit, qui tunc disputationem cum illo instituit: et quantum ex hoc ipsius facinore*

Vide Gretz. in Helleboro pro vinista, in historia Sacramentaria, Anno 1533. ita habet: In lucem emisit hoc anno Lutherus librum, de Missa privata: in quo describit colloquium, a se cum Diabolo habitum, intempesta nocte; in eoque se de multis abusibus Missæ, a Cacodæmone admonitum fatetur.

Et summa disputationis est: se a Diabolo edoctum esse, quod Missa privata, sit res mala; et rationibus Diaboli convictum, abolevisse eam.

Cuius meminisse debebant discipuli Lutheri, et desinere Zwinglio

Pareus 1. 5. de somnium suum obiicere. Obiicit et David Pareus, hanc Lutheri cum Euchar. cap. 7. Diabolo dissertationem, atque alios, nec paucos, nec minutulos Calvinistas recenset Lutheranus Superattendens Schlüsselburgius, lib. I. Theologiæ Calvinianæ, fol. 2. in procœmio, qui disertim dicunt, Lutherum instigante Cacodæmone, lites in negotiis Religions concitasse.

Sed quid alios testes quærimus? Ipsum de se Lutherum loquenter audiamus: *Credite illi, cum de se loquitur, qui mentienti creditis. Nemo ad suum dedecus mentitur, quin potius ad honorem.*

Luth. tom. 7. Lat. Vitemb. Anno 1557. ædito, per Thom. Klug fol. 228. Mali corvi, ma- lum ovum. *Magis prona est fides, in adversus semetipsos confitentes, quam pro seipsis negantes.* Ait igitur Lutherus in eo libro, quem Ambsdorffius miris modis deprædicat: *Contigit me semel sub medium noctem subito expergefieri; ibi Satan mecum cœpit eiusmodi disputationem.* Baniensis Rhetorculus, his Lutheri verbis addit illa: *Mecum in*

corde meo. Certe in Latinis Lutheri Tomis, quos vidi, illud; *in corde meo*, non habetur. Et ut maxime haberetur: nihil interest, externa specie conspicue, an interius in corde occulte, docenti Diabolo adhæserit Lutherus. Quemadmodum nec illud refert, an concubia nocte, primove conticinio, vel nocte intempesta, aut gallinacino, seu potius anteluculo allapsus Dæmon, Acherontica facula Lutheru alluxerit, lucarque prodactæ per scelera vitæ, errores instillarit: Nox illunis, an radiata Triviæ fulgoribus fuerit: iuxtim assederit, an pone steterit monomachus Avernalnis, sat est, si constet Lutherum, qui antea Catholicus erat, convictum argumentis Diaboli, a Catholica fide descivisse; idque docere cœpisse, quod Diabolus summa contentione perurgebat. Nam, tametsi a Diabolo tentari, allectari, argumentis urgeri, si relucteris, si obaudias, Diaboli discipulum non faciet: si tamen dicentis rationibus assentiare, idque quod antea non credebas, non docebas, convictus sermone Diaboli, credere, docere incipias; dubio procul Diabolo magistro te profecisse, Minervalque ipsi dependere debere, fateri cogeris.

Duo igitur ex ipsis Lutheri verbis comprobemus: Primo; Quo tempore in arenam cum Diabolo, privatam Missam oppugnante Lutherus descendit, Lutherum Romanæ Ecclesiæ non inobsequenter filium fuisse. Secundum: Post hunc Diabolicum congressum, descivisse a castris Catholicis Lutherum, idque ipsum docere cœpisse, quod Diabolus magna contentione suaserat. Hæc si evicero, apodictice demonstratum erit, Lutherum ipsissimo Cacodæmonis magisterio, ea quam propagavit doctrina imbutum fuisse.

PRIMUM illud, ex ipsis Disputationis a Luthero descriptæ verbis, luce clarius ostendi potest. Nam postquam in ipso vestibulo, scopum ac finem Disputationis, Diabolus his verbis proposuisset: *Audi Luthere, Doctor perdocte.* Viden ut oratorio lenocinio, in ipso dictionis ingressu callide prenset? *Nosti, te quindecim annis celebbrasse Missas privatas pæne quotidie?* *Quid, si tales Missæ horrendæ essent idolatriæ?* *Quid si non adfuisset ibi corpus Christi?* Lutherus ad hæc quid? *Sum, inquit, unctus Sacerdos, accepi unctionem, et consecrationem ab Episcopo: quare non consecrassem?* Itane, Luthere? Si iam Papam, et Episcopos, Antichristi mancipia esse noveras, ut postea blasphemò ore ructasti; si iam Unctionem Episcopalem, risu ac cachinnis exploseras; privatas Missas eiuraveras, ut postea fecisti: quid necesse erat ad hoc asylum contra

conscientiam configere? Sed perge porro, audiemus attentissime: Diabolus igitur ad hæc replicat: *Quid, si tua Ordinatio, et Consecratio etiam falsa essei?* Certe, si persuasus ante Lutherus fuissest, Ordinationem Catholicam deridiculam esse, nihil ista dixisse attinebat. Ubi vero Diabolus argumenta omnino quinque attulisset, straminea, nullo veritatis fuco tincta, mera sophismata, quæ vix sanæ mentis hominem, nedum Doctorem movere debuerant, ut vel suspicaretur id quod Diabolus concludebat, Missas scilicet privatas idololatricas esse; corpus Christi illis non adesse; Ordinationem Episcoporum frivolam esse: Tandem, ut ostendat Diabolus, Lutherum ad eam usque disputationem id non credidisse, quod ipse suadebat, saepius ipsi verbis præsentis temporis, Catholicum sensum attribuit, atque ita Magister compellat Discipulum: *Nunc de tua Missa, reliqua piorum Ecclesia nihil novit, nihil a te accipit: tu solus in angulo comedis, solus bibis, nemini communicas.* Quid audio? Lutherus adhuc Missas privatas celebrabat? solus comedebat? nemini communicabat? Nec id diffitetur Lutherus: *Etiamsi, inquit, aliis non porrigan: ipse mihi porrigo.* Quæ disertim ostendunt, de idolatria Missæ privatae Lutherum nondum assensisse. Atque ut clarius constaret, Catholicum fuisse Lutherum ipse huius disputationis exordio; postquam Satam enumerasset septem Ecclesiæ Sacraenta: *Hæc sunt, inquit, vestra septem Sacraenta. Quod si nullum ex Sacramentis vestris, aliquis pro seipso facere potest, qui fit, ut tibi hoc Sacmentum facere velis?* Evidem non Lutheri, sed Catholicorum Sacraenta sunt, quæ septenario numero clauduntur: et tamen huius disputationis tempore, Luthero quoque septem fuisse Sacraenta Magister docet. Tandem, ad umbilicum disputationis decurrens Lutherus, hæc annectit: *In his angustiis, volebam retundere hostem, armis quibus assuetus eram sub Papatu, obiiciebamque intentionem, et fidem Ecclesiæ.* Dic sodes Lutere: si eo tempore, quo cum Infernati gladiatore compositus fuisti, Missas privatas, ordinationesque ac unctiones Episcoporum consuebas; si luce Evangelii collistratus, Papistica omnia non sine detestatione exsufflabas: quæ caussa fuit, cur retundere hostem, cur eludere conareris, vera tibi ac placentia suadentem? cur nova, quæ novus ipse Vulcanus tibi fabricaras arma, non arripuisti? cur ad ea, quibus sub Papatu assueveras, configisti? Certe, postquam docenti Diabolo aures animumque advertisti, et Ecclesia, et Patres, et usus sæculorum, et consensio populorum, contempta tibi arma,

plumbei enses, mūri iuncei contra catapultas visa fuerunt. Sed quid in re manifesta hæreo? Si Lutherus ea omnia ante hunc congressum credidit, quæ ipse postea, quæ hodieque Lutherani credunt, nempe, Privatam Missam idololatriam esse, Corpus Christi in ea non esse, Consecrationem et unctionem Episcoporum vanas ludificationes esse; quid causæ fuit Dæmoni, cur rem, antea Luthero exploratissimam, tanta contentione, tantis clamoribus, tot amplificationibus perurgeret confirmaretque? cur verbulo Tartareum Magistrum non expedit? cur non respondet, actum apud se agere; hæc sibi iam antea explorata esse?

VII.

Audio mussitantem Rhetorculum nescio quem, aliena certe scrinia compilantem: *Recordatione veteris idolomanice, ad extremum desperationis barathrum, hoc tanto verborum apparatu, præcipitem agi Lutherum, cogitasse Diabolum.* O vos felices Magistellos, qui velut Diabolicorum consiliorum participes, cogitata ipsa Satanæ penetratis! Sed ne te multis morer, quisquis es, qui te in has latebras abdis, pudendamque parentis turpitudinem his foliorum tegminibus velare cogitas, hoc ego te Argumento premam: Vel, quo tempore hæc Lutheri cum Diabolo disputatio peracta est, fidem avitam eiuraverat Lutherus, novitiamque Prædicantibus hodie amatam procuderat; vel nondum. Si primum dicas: tentare igitur ad desperationem Diabolus Lutherum non potuit, nam ob desertam falsam Religionem, rectamque adeptam, non desperare, non angustiis premi, sed lætitias diffluere Lutherus debuit; ac tanto magis hilarescere, quanto diligentius Dæmone suggestente pericula respectabat, ex quibus Dei munere evaserat. Quod si secundum adlubescat: quicquid igitur Dæmon hac sua disputatione voluerit, seu restem seu ensem Lutheru porrexerit; fateri tamen necesse est, Lutherum post hanc cum Dæmone luctam, ea omnia docuisse credidisseque, quæ Dæmon docuerat, ideoque ipsius Discipulum, in fidei ac Religionis negotio obsequentissimum fuisse. Et certe, Dæmon ipse quid velit, minime ambagiosis verbis prodit: *Ergo, inquiens, nunc hoc urgeo, te non consecrasse in tua Misa, sed obtulisse et adorasse nudum panem.* Deinde adiuncta disputationis, ac circumstantiæ evincunt, non aliud fuisse Diaboli propositum, quam ut persuaderet Lutheru, privatas Missas, et Episcoporum ordinationes, idololatrica labe respersas fuisse, et quod huic consequens est, sine legitimo ministerio fuisse Catholicos: ideoque nudum panem et vinum in Missa proposuisse. Accedit, quod

I.

II.

III.

IV.

de quo nullum verbum, nulla vel aperta, vel occulta insinuatio in aliqua disputatione habetur; id ea disputatione suaderi dicere, delirare est: Atqui in hac Dæmonis cum Lutheru disputatione, nullum verbum, nec quoad vocem, nec quod rem est de desperatione; nam non solum vocabulum Desparandi, sed nec signum ullum, quo res ipsa insinuetur, aut suadeatur, in ea disputatione continetur: et tamen ita usu comparatum est, ita omnes ratiocinandi leges suadent, ut in argumentatione practica, qua scilicet aliquid faciendum suadetur, illud exprimatur, quod quis persuadere conatur. Cum igitur nihil aliud exprimat, nihil concludat Dæmon, quam idololatricam esse Missam Papisticam, vanam esse unctionem et consecrationem Episcoporum, etc., Desperationis vero mentionem nullam faciat: quæ hæc est tanta fingendi libido, ut ea comminiscaris, quorum nulla in disputatione recordatio?

v. Certe, si Prædicans quispiam illis me Argumentis perurgeret, quibus Lutherus scribit se a Dæmone impeditum; quis dubitaret, id agere, ut veteri, quam sequor, eiurata Religione, novitiæ Lutheri sectæ adhærescam? Adhæc, si cuiquam, quod agit, perperam fieri commonstrem, non id suadeo, ut de salute sua conclamat existimet, cannabum collo induat, culleo se inclusum submergat, sed potius enormitate facti ob oculos proposita, desistendum a flagitiis, vitæ rationes honeste instituendas, suadere intelligor. Et, si bibere volenti, lethifero veneno imbutum poculatum clamem, cum natura ipsa dictante, notum sit, malum fugiendum esse; suadere intelligor, ne scyphum ori admoveat. Simili itaque ratione, quando Diabolus magno molimine ostendit Lutheru, falsam esse ordinationem Catholicam, Idololatricam privatam Missam, quem frequentabat, licet expresse verba hæc non adiiciat, *Desere Missas, damnata ordinationes, et unctiones Episcopales*:

vi. involute tamen, et implicate hoc suadet. Tale quidpiam dici de Desperatione non potest; qui enim alteri persuadet, longo errore ipsum a veritatis orbita deviasse; blasphemum, idololatrum fuisse: is certe ad desperationem hoc ipso non invitat, sed ad resipiscenciam. Nam et Apostolo Paulo persuaserat Spiritus Sanctus, istum antea blasphemum fuisse: Ecclesiæ persecutorem, Apostolico cœtu indignum fuisse: nec tamen desperationem suasit, sed hac cogitatione stimulus ad omne virtutis incrementum subiecit.

1. Timoth. 1.
v. 13.

SECUNDUM, quod initio proposueramus, longa probatione non indiget. Constat siquidem, Lutherum post familiarem Diaboli con-

gressum, privatas Missas aspernatum; Ordinationes, quæ per unctionem Episcopalem in Ecclesia fiunt, toto libro quem ad Bohemos de Ministrorum ordinatione scripsit, conspuisse; uno verbo, ea omnia, quæ Dæmon probavit, quæque in hac disputatione suasit, Lutherum deinceps toto vitæ tempore docuisse, atque etiam ad posteros propagasse. Si igitur constat, Evam a Dæmone inductum, vetitum fructum degustasse, eo quod etsi initio reluctari ac abnuere cœpit, postea tamen id, quod suaserat Dæmon, fecit, fructum decerpserit, comedit: quis dubitare audebit, Lutherum quoque a Dæmone edoctum, id credidisse de Missa privata, deque Ordinationibus, quod postea docuit? per omnia siquidem consona sunt iis, quæ obnitenti Luthero tot verborum ampullis suasit Diabolus.

Verum Lutherus, Wormaciæ, *Piam precatiunculam* ad *DEUM fudit*, ait Baniensis paedagogus, *quam eructare non potuit Diaboli discipulus*. O te comedicu[m], ac dilutum hyperaspisten! o ignarum linteonem, qui ad tantum dedecus obvelandum, tam levidensa stracula, lodigulasque conficit! Sed nullum tantæ turpitudini detergendæ velandæque mantelum, nullæ tegetes sufficiunt. Nescis, rerum omnium imperitissime, ac virgidemia vel taurea digne Pædotriba, Nullum esse tam infelicem agrum, in quo multis mista vepribus aut loliis, herbula salutaris non nascatur; nescis, nullius esse tam profligatam vivendi rationem, in qua non aliquid interdum bonæ frugis conspiaciatur? Confer Mensalia Lutheri Colloquia, cum unica hac Precatiuncula; confer tot forias, tot Diabolos, tanta latinarum recrementa; et fallor, vel ipse verum esse dices, quod fratres tui, Helvetici Sacramentarii scribunt, *Neminem unquam mortalium, Luthero vel fædius, vel incivilius, vel dishonestius, idque præter Confessio Ti- omnis Christianæ modestiæ, et sobrietatis terminos, in negotiis Reli- gionis scripsisse.*

Quia porro duæ rationes priores, æque Lutheranos, ac Calvinistas Prædicantes, legitimo Ministerio exutos, ad stivam ligonesque retrudunt: ne se neglectos Calvinistæ arbitrentur, iugati et hic esse debent. Verum ne mihi succenseant, nihil verbis meis dicam; Lutheranorum verba consignabo, cum quibus facile Calvinistæ concorporantur, et velut congregibus corriuantibusque adhærescant.

Prodiit igitur superiore anno Hamburgi, liber Philippi Nicolai, quem *Fundamentorum Calvinianæ sectæ, cum veteribus Arianis, et Nestorianis communium detectionem*, inscribit. Quo libro probare

se velle profitetur: *Quod, quemadmodum ab Arianiis et Nestorianis procreatus est Mahometismus: ita eundem a Sacramentariis, occulta hæreseon cognitione foveri.* Decanus porro, et facultas Theologica Academiæ Tubingensis, Præfationem libello præfixit, in qua hæc ipsa verba leguntur: *Alter Spiritus est ille monitor, qui Zwinglio in somnio fundamentum erroris fuit, de verbis testamenti Christi revelavit:* Hoc est, postquam vomitu nauseantis cæli expunctus est Zwinglius, accurrit qui linguam calamumque venenaret Diabolus, et alumnus nactus gestientem, tartareis ipsum dogmatibus imbuit. Sed quia hæc Philippus obiter: grandiori cothurno Raceburgensis Superintendentens Schlüsselburgius intonat. Postquam enim verba Zwinglii, ex libro, quem Eucharistiæ subsidium inscripsit,

Schlüsselb. lib. 1. Theol. Calv. f. 3. Et art. 20. f. 84. Et lib. 2. art. 9. fol. 79. *hæc ipsa retulisset: Vera narro, adeoque vera, ut celare volentem, conscientia cogat effundere. Visus sum mihi in somno contendere cum adversario Scriba, sicque obmutuisse, ut proloqui non possem. Ibi ex machina visus est monitor adesse (ater fuerit an albus, nihil memini) qui diceret: Quin ignave, respondes ei, quod Exod. 12. scribitur, est enim Phase, hoc est, transitus Domini. Hoc igitur, inquam, ubi ex Zwinglio et Luthero fuisse desultorem, ac gymnasten, ita devenustat Superintendentens Zwinglium: Notetur, quam vacillante, ac trepidante conscientia Zwinglius causam Sacramentariam agit: qui ignorare se ait, ater an albus Spiritus, hoc est, num bonus, an malus Angelus, vel ipse Diabolus fuerit, qui per somnum ei hæresin de Sacramento suggessit. Certissimum autem est, non album, sed atrum spiritum fuisse, qui Zwinglio in somno dogma Sacramentarium, eiusque incrustationem revelavit. Causæ huius assertionis nostræ, sunt gravissimæ, et permultæ. Sed libet iam paucas commemorare: Prima: Quotiescumque legitur in Sacris literis, vel Dominum, vel Angelos bonos, credentibus apparuisse, iisque obsequium præstisset: tunc semper DEUS, et Angeli boni, eiusmodi forma se conspiciendos præbuerunt, ut potuerint ab hominibus piis cognosci, non Diabolum, sed Dominum, vel bonos Angelos iis apparuisse; ut exempla passim occurrunt: 1. Regum 3. Gen. 19. Exodi 12. Esai. 12. et 37. Apocal. 1. et 7. Lucæ 1. et 12. et 22. Matth. 12. Actorum 1. et 9. et 23. Hic vero Zwinglius fatetur se ignorasse, num bonus, vel malus Angelus, id est, an DEUS, an Diabolus sibi apparuerit. Secundo: Hoc inter omnes pie eruditos, ex verbi Divini testimonii constat; Angelos Domini, nunquam atra, sed semper alba forma apparuisse, ut in Resurrectione, in Ascensione,*

*candida veste amicti conspiciuntur: Zwinglii vero Angelus, non alba, sed nigra veste indutus, more spiritus tenebrarum, comparuit: et tamen cum in Angelum lucis sese commutare conatus sit, Zwinglium decepit, ut ater an albus fuerit, ipse dubitaret. Sed eventus docuit, Cacodaemonem fuisse Zwinglii monitorem, et præceptorem. Tertia: Angeli boni sunt Nuntii et Legati DEI, qui nihil loquuntur, nisi quod cum verbo DEI per omnia congruere norunt: Sed Zwinglii Angelus, in somno apparens, contra Filii DEI veracis et omnipotentis ultimam voluntatem, in testamento suo sanctissimo expressam, verba Filii DEI falsavit, et loco verbi substantivi (Est) verbum (Significat) substituit. Quarta: Ex fructibus etiam Zwinglianorum, quos passim adferunt in omnibus regnis et regionibus, in quas errores suos transplantaverunt, patet, ipsum atro spiritu actum, novum errorem proposuisse. Quam tetros enim errores de plerisque doctrinæ capitibus spargant, et quantas turbas passim Rebuspub: in quas admissi sunt, adferant, notius est, quam ut hic referre libeat. Poteram equidem pluribus, ac validioribus argumentis hoc ipsum comprobare: sed, ne quid novellarem, malui Lutheranorum testimentiis uti, quos ut fratres, Helvetici Zwingiani seu Calvinistæ venerantur. Ut nempe hinc elucescat, Lutheranorum iudicio, parentem sectæ Calvinisticæ, a Diabolo prima fidei suæ rudimenta hausisse. Sicut econtra probatum est, Calvinistarum iudicio, Lutherum instinctu Diaboli, sectæ initium dedit. *Facilius est enim,* inquit Lactantius, *de alienis iudicare, quam de suis, dum aliorum præcipitum vident, non perspiciunt quid ante pedes suos sit.* Sed quid ego inter hos epibatas mirmillionesque, qui non rudibus, sed cala ac cæstibus datatim battuunt, sequi vicissim infamant? Si alterutrum mentitum dixero; odium invidiamque incurram. Neutro inclinabo, autor sum, ut de isto alter alteri concedat: ego utrosque verum dixisse assentiar: utrosque victores, triumphatores dico; heredes ex asse tam nobilis Preceptoris pronuntio: erciscundæ possessionis legem submoveo, vivant læti, vivant felices, quos de eadem fidelia idem dealbavit artifex.*

His ita constitutis, non modo insolubile conficitur Argumentum, ad comprobandum, Lutheranam ac Calvinianam fidem veram esse non posse, eo quod legitimis Ministris destituatur, sine quibus vera fides cohærere non potest: verum etiam illud comprobatur; Recte ab Illustriss. Cardinali dictum fuisse, nullum ex iis Sacramentis, quorum administratio Sacerdotalem ordinatio-

Lact. lib. 2.
de origine
Erroris, c. 3.

nem requirit, legitime administrari a Ministris Lutheranis. Nec ulla maiori potestate præditos esse Prædicantes, ad Absolutionem sacramentalem et conficiendam Eucharistiam, quam unum quempiam e communi plebe. Siquidem, ut ex Scriptura sacra, ex antiquis Patribus, ex usu perpetuo Ecclesiæ, imo et ex ipsa Bellar. I. 1. de Novatorum consuetudine, (quæ Ministros sine Superattendentibus Clericis cap. 3. ordinari non patitur) diffuse ac nervose comprobat Bellarminus: Veri Sacerdotes creari ab aliis non possunt, quam ab Episcopis. Fas sit igitur mihi, iisdem propemodum verbis Prædicantes compellare, quibus Hilarium quendam Hieronymus oppugnavit. *Hilarius*, Lutherus, *cum Diaconus*, Sacerdos, *de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam confidere potest, Episcopos et Presbyteros non habens*: *Et cum iam mortuus sit, cum homine pariter interiit et secta, quia post se nullum Clericum Diaconus, Sacerdos, potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotem.* Sed memor prop̄ositæ brevitatis, hic finio. Atque ut hoc apophoretum ab amica manu, benigna fronte suscipiant Prædicantes, radiatamque veritatis lucem aspiciant, domuitionem parent, desertos lares repeatant, oro atque obtestor.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

Alexander Macedo, solus ille sine cœmulo clarus adeo, ut nemo eius audeat vel sperare virtutem, vel optare fortunam, imaginem suam, quo certior posteris proderetur, noluit vulgo ab artificibus commaculari: sed edixit, Ne quis suam effigiem, præter Polycletum, ære duceret; præter Apellem, coloribus delinearet; præter Pyrgotelem, cœlamine excuderet. Parem ego propemodum felicitatem Lutheranis opinamentis opto. Atque ut nativa sectæ facies posteris innotescat, Oracula illa, non e Dodonæa, sed Wittembergica queru; non e tripode Delphica, sed e pathera zytho spumante profecta: ne quis præter Tubalcain, eiusque Laterones ac Symmystas, vel asserenda, vel vindicanda suscipiat, Senatusconsulto cautum voveo. Sic vanitas sectæ, sic fraudes Prædicantice inclarescent. Quas ut solis radiis commonstremus, retexam ordine, quas Tubalcain Syrmate hystrionis, et choragio Tragico exornatus, de composito texit fabellas.

Mall. fol. 30.

§. 1. Fallitur Tubalcain, eo me nunc propugnaculo niti, cum legitimi Ministerii honorem Prædicantibus eruptum eo: quia non

sunt ab Episcopis Catholicis consecrati. Telum ego istud initio Capitis tertii vibravi? Mirum, nisi inconnivæ vigilie pupillas excubantes adduxerint, cum hæc scriberes. Summatim præcedentis Capitis argumentum retexui, et ex ipsis Confusionis vestræ Decretis evanidam ordinationem vestram evici, ad quod tu, ut antea, ita nunc, obstinato silentio respondes.

Fallitur: ex falsis Præmissis a me deductam ordinationis Lutheranæ vanitatem. Nam hæc sunt principia quæ posui: Augustana Confessio tantum novos, et Canonibus contrarios abusus reiici vult. Ordinationes, quæ ab Episcopis non fiunt, irritas esse, nec novum est, nec adversum Canonibus. Hæc sunt firmata a me principia. Utrum horum falsum est, Prædicans? Cogita; et dices postea.

Miratur Solnensis *Apologia*, et percontatur: Si in Baptismo Ministerium ipsorum efficax est, cur non in Cœna Domini? Diserte responderam: Disparem esse Baptismi, ceterorumque Sacramentorum rationem, nec quibus Tingendi facultas data, iis cetera etiam Sacra menta ministrandi ius attributum. Probavi consensu orbis Christiani, Baptismum cuiusvis e promiscua plebe approbantis; si concepta verba, si nativus latex, animo Christi institutum exequendi, adhibeantur.

Apolog.
Solnensis.
pag. 7. 8.

Tubalcain hic ut sedentariam fatigationem incessus vegetatione discutiat, risu nec inscito, nec inurbano se reficit: En, inquit, oracula, a tertio usque cælo delapsa. Pro literarum sacrarum testimo niis, oggerit consensionem orbis, ac si omnis consensio pia sit. Certe consensu omnis propemodum orbis in usuras ruit, quas Scriptura velat. Argute, sicut cetera: sed Prædicantica hoc est, Bœotica argutia.

Nihil attinebat longis Scripturarum testimo niis approbare, quod Lutheranos non inficiari sciebam: imo quod ¹tu ipse, ob summam Baptismi necessitatem, et admittis, et ex tertio Capite D. Johannis probas. Sed heus, Consensum orbis Christiani elevas, aut etiam

Mall. fol. 31.

rides? Meministi, quid S. Antistes scribat? ²Disputare contra ea, quæ universa tenet Ecclesia, insolentissimæ insaniae est. ³Tunc enim Scripturarum tenetur veritas, cum id facimus, quod universæ

¹ Mal. f. 34.

placuit Ecclesiæ. Quo tu, peritura, hinc abis? Navim ad hunc portum flecte, ubi Securitas, ubi Pax habitat; in quo perfugium asylumque ab erroribus. In omnibus vitæ labyrinthis tutus es ab errore, si Theseum filum Ecclesiæ sequaris. Nam, ut fluvii quidam

² Aug. Epist.

118.

per media maria transire feruntur, nec salsedinem trahere, sed suam servare undam: sic Ecclesiastici depositi fluenta, per circum-

fusos tumultuantium hæresum fluctus illæsa pervadunt ac permeant.

³ Lib. 1. cont.

Cresc. ca 33.

Et amabo: si consensus orbis Christiani nihil apud te ponderis habet; unde mihi suadebis, fuisse Apostolos, prædicasse Christum, Evangelistas aliquid conscripsisse?

Falleris ergo: cum orbis Christiani consensionem, cœlo delapsum testimonium negas. Nisi enim a DEO sit, nisi extra periculum erroris versetur Christiani orbis consensio; nihil de Christo, nihil de Canone ac integritate Librorum sacrorum liquet.

Falleris: cum ad omnem consensionem extendis, quod ego adstricte, de consensione orbis Christiani protuleram.

Falleris: cum usuras, orbis consensione probari memoras. Nam de vobis quidem nihil habeo dicere: nos certe nunquam approbavimus, nec porro deinceps probabimus. Sed Deformati Evangelii Stentores, Usuras reputant, quoties commodum percipitur præstitæ alteri pecuniae, quasi et Census liciti, et Contractus societatis, et Lucra cessantia, et complures alii tituli, fructum aliquem datæ pecuniae reddere non possent.

Inscienter tumultuaris, opportunosque fugæ anfractus circumspicis, dum ex me sciscitaris: An hæreticorum, et laicorum Baptismus, Christi ordinatione sit efficax? Deque intentione Baptizantis disseris, quæ ignoras. Quis enim Divinæ institutioni acceptum non ferat energiam Baptismi, quocunque administro in nos derivatam? Nec

Mall. fol. 32. *ego eam, quam tu memoras, devotionem, ad Baptismum requisivi; sed id solum, quod et tu fateris, necessarium dixi, ut qui rite baptizat, id agere velit, quæ Christus instituit. Frustra ergo flexus quæreris, per quos alio me deducas, filumque institutæ disputationis abrumpas.*

Ut suam Apologetæ hebetudinem tangerent, retorseram illam a Prædicantium Baptimate desumptam probationem. Nam, quos DEO gignunt, vel Sacerdotes Catholici, vel in extremo discrimine Laici, tingere rursus Anabaptistica impietate non audent Prædicantes. Neque tamen Eucharistiae, Absolutionisque legitimæ potestatem vel Laicis, vel nostris Sacerdotibus permittunt. Multos et hic sonos, sed sine mente, ut mos est Malleo, fundit Tubalcain: Si, inquit, Romani, iuxta Christi institutionem baptizant, efficax est eorum Ministerium.

Mall. fol. 33. *Rursum: At hoc est, o bone, Petere principium; dum pro concesso sumis, que in controversiam venit, nondum enim evicisti, Ministros Ecclesiæ Lutheranæ a Laicis nihil differe. En solidam tuitionem! en aheneum murum! Si hoc refutare est, quid tandem erit delirare? Ex animi sententia dico, sæpe mihi venit in mentem dubitare; Anne dedita opera cum ratione insanire velit Tubalcain, coactus aliena*

importunitate, ad respondendum, ubi quod responderet non habebat? nihil enim unquam ad id quod agitur respondet: pro rebus verba, pro thesauro carbones ubique venditat, nec negare audet quæ assumpsi, nec videri vult annuere. Dic clare, Prædicans, Rebaptizas quos tinximus? .tingis periclitantes, quos Laici baptizarunt? Nec hypotheses volo; sed de ea baptizandi formula sciscitor, quam Catholica sequitur Ecclesia. Hæc si valida est, cur miratur Apologia, seiungi Ministerium Baptismatis, a ceterorum administratione Sacramentorum? Nulla porro inest Argumentationi meæ Tautologia vel Battologia; neque enim aliud hoc loco egi, quam exemplo laicorum, Baptisma quandoque administrantium, evici, mirari Apologiam non debuisse, si quibus baptizandi potestatem non prorsus adimimus, iis ceterorum Sacramentorum administrationem interdictam iudicemus.

Falleris demum, cum a nobis, Impœnitentes absolví, nec in solius Christi nomine absolví, criminaris. Mirum, ni te Creta civem suum effecerit, adeo Cretensi thesauro tuæ omnes chartæ exuberant. Quid ab hoc homine expectes in obscurioribus, qui Pontice adeo mentitur in rebus testatissimis? Nec obstinatos, vitaque melioris studio privos relaxamus: nec in alterius, quam Christi nomine absolvinus. Nam licet precibus, quibus bene precamur iam expiatis, Sanctos quoque nominemus: solius tamen Christi autoritate veniam pœnitentibus elargimur.

Stupidam Lutheri Argumentationem riseram, qui illis Christi verbis; *Hoc FACITE; Christianos æque omnes Sacerdotes creatos disputavit.* Nec negare audet Tubalcain, totam illam orationis colluviem, obtusum Lutheri sinciput exhalasse: nec patrocinum vesanæ disputationis assumit. Quid igitur? calcem obvertit, et agit quod solet, hoc est, probrorum imbre me adsperrgit. alque ita bacchatur, ut furiosum orestem videatur velle in scenam dare. Exclamat igitur, non Tragice, sed Taurice: Quid prius mirer? Studiumne calumniandi Satanicum, an propudosam hominis impudentiam, qui non unicum ex Luthero locum integre allegat? Non video, quid sit dementire, si quod agis est sapere. Nega, Tubalcain, singula quæ adnumeravi verba Lutheri esse, nega stultam, ac taberna, non templo dignam esse Lutheri collectionem, nega risu commiseratione misto, agrestem hanc scripturæ depravationem dignissimam. At cetera Lutheri verba longo ordine non exscripsi: fateor. Et quæ ratio suadet omnia ad longum recensere? Strictim, sed bona fide retuli, quæ instituto satis erant. Si detorsi, finxi? Lutherus annexit,

Mall. f. 34.

Mall. f. 34. *ais: Omnes æque Christianos, Sacerdotes esse: Nulli tamen licere prodire in medium autoritate propria; sed eligi debere, qui nomine omnium exsequantur officia Sacerdotalia. Hæc enotare non attinebat; sicut nec argumenta ex Psalmo, ac D. Petro distortim flexa refellere, neque enim ego, rectene an secus Sacerdotio passim omnes utriusque sexus insigniverit Lutherus, disputavi, sed probationem*

^{Luth.deCaptiv.} *risi. Quanquam, si ex æquo omnes; vel, ut alibi loquitur, Omnes Babyl. Cap. de ordine. æqualiter Sacerdotes sumus: tu scilicet, tuaque illa vel filo liberali sororcula, quæ decimo iam partus stipendio familiam tuam fundavit, vel anus stupri sequestra, et adulteriorum luorum internuntia, vel quem simu toleras pupulus. Si mandato Christi, HOC FACITE; omnes Sacerdotalis functionis partes, omnibus demandatæ: unde hæc Tribunitia Lutheri potestas, ut quo præcepto DEI vocamur, ire vetet? ut concessam a Deo dignitatem circumscribat? Violatæ Divinæ legis dicam nobis scribit, quod altera Sacramenti specie contenti, mandatum, HOC FACIE, sui capitï sensu, refigimus: ipse concessam iisdem verbis Sacerdotalium munerum functionem impune constrainat, ac in arctum cogat?*

^{NOTA bene.} *Hic rursus notatum volo, tergiversari multa Tubalcain, et in meam tandem pedibus ire sententiam. Propositum mihi fuerat ostendere, Inepte ab Apologia concludi, Prædicantes cetera Sacra- menta rite administrare, propterea quod Baptismatis administratio- nem illis non denegemus. Id his ipsis verbis comprobat Tubalcain:*

Mall. fol. 34. *Non est par Baptismi et Cœnæ necessitas: Igitur, quod licebit fieri de uno, non statim licebit fieri de altero. Hoc volui, quid necesse fuit tam operose tricari in iis, quæ nec ipse diffiteris? Sed frustra sum. Æthiops non albescit, nec ut ad rem dicat, sed ut dicat, propositum est Prædicanti.*

§. 2. Primum Argumentum Vanitatis Lutherani Ministerii.

^{Horat.} *Inter Argumenta triaria, primipilare hoc fuerat: Nullum ministerium, quod ab Apostolorum temporibus continua sibi suc- cedentium serie non perennavit, verum ac Divina vocatione subnixum est. Sed Lutheranorum, ac ceterorum a Romana Ecclesia dissiden- tium Ministerium, nuperum est, nec succedaneis semper fulsit Pastoribus; seu, quod idem est, ea, qua diximus ratione, non peren- navit. Lutherus enim, Libera per vacuum posuit vestigia, Princeps, Non aliena suo pressit pede.*

Hic Tubalcain, adamantinæ argumentationis nexibus constrictus, vix quo se vertat reperit. Et ut cetera felicius pertexat, orditur a mendacio: Pressimus, inquit, hactenus Adversarium, quod mandatum DEI, et Vocatio, faciant legitimum Ministerium. Ubi vero? quibus verbis pressisti? ullane inter nos ea de re concertatio? Nemo qui sanus est abnuit, mandato, ac vocatione DEI legitimos Magistratus Ecclesiæ renuntiari. De Vocationis ratione, forma, ac modo, idque ex Augustanæ Confessionis placitis hactenus disceptavimus. Illud quoque falso adiicis: Chrismatis, ac Characteris probationem me desperasse. Mirum, ni tu in ipso mei penetrali sedem fixeris, adeo etiam cogitatus perves. Grandis peritia! Credo ego, te et hircos mulgere, et vulpes iungere nosse, qui ad ipsa etiam cordis abdita, acie mentis iacularis. Heus Prædicans, non abduces me alio, etsi millies mentiaris. Nostra ego tibi, cum voles comprobabo, tua nunc res agitur.

Mall. fol. 35.

Mall. Ibid.

Ad propositam a nobis Argumentationem his ipsis verbis, non tam respondet quam convulsis sanæ mentis repagulis furit: Nego Maiorem: Eos videlicet omnes, et solos, veros atque divinitus vocatos esse Ministros, qui seriem suæ successionis ad ipsos Apostolos numerare possunt. Ubi mens vestra, ubi ratio, togati vulturii, qui Malleo confiendo insudastis? Abutuntur Prædicantes simplicitate Lectorum, et sic omnes qui Malleum lectitabunt Brutos putant, ut cum ea sibi proponant quæ non obieci; ea diluant quæ non accusavi; patere tamen suas fraudes oculis legentium non arbitrentur. Egone Maiorem illam posui? egone affirmate dixi, Omnes, et solos, etc.? Negantem propositionem, validis Argumentorum viribus a me affirmatam negare ausus non est Tubalcain: Suam igitur affirmantem, in qua diluenda lusitaret, ipse substituit. Fateris esse: DEUM in Ecclesia semper excitasse salutares Doctores, ad propagandam et conservandam Fidem. Et Divinæ promissionis vigore, fuisse semper aliquos Ministros, Fidei propagatores in Ecclesia. Revenisti tandem postliminio ad mentem? o salve, hospes. Sat est, nihil ultra peto. Si enim fuere semper in Ecclesia Ministri, succenturiati prœeuntibus: manifestum est, eorum Ministerium legitimum non esse, quorum auteambulones aliquo temporis decursu, nulli fuerunt. Et hæc erat Argumentationis nostræ Maior propositio, quam tu non attigeras.

Mall. fol. 36

NOTA bene.

Mall. fol. 37.

Ea igitur omnia, quibus furioso rictu Romanæ Ecclesiæ successionem depretias, verosque Pastores raptoribus, Ephesi, Antiochiæ, alibi, locum dedisse memoras, non moror, quippe, quæ negantem

mei Syllogismi propositionem nullatenus tangunt. Quamvis enim (quod plane memineris, et penita semper mente conditum tenebis), non abnuo, ad perfectam Successionem, duo illa requiri: Sensibilem nempe sibi vicissim in munere succenturiantium nexum; et Fidei

Iren. lib. 4. ac doctrinæ consensum, seu, ut Magni Irenæi verbis utar, ut cum c. 43. n. 4. Episcopatus successione, charisma veritatis certum, secundum

Mall. fol. 40. placitum Patris accipiatur, quo etiam spectat recitata a te Nazianzeni sententia. *Hic tamen de altera illa tantum externæ successionis ratione disceptamus: de Fidei consensione alibi inquiremus. Nam, tametsi fieri potuisse demus, ut externa successio absque charismate veritatis perennarit: testatissimum tamen est, charisma veritatis, ac legitimi Ministerii dignitatem illic non esse, ubi succendentium*

Mall. fol. 37. *Pastorum continuata series obruta, ac sepulta iacet. Nec lusus tuos moror, quibus derasum Sacerdotum verticem, admutilasque barbas vellicas. Mirarer, si et hic familiarem cohibere quivisses insolentiam. Securus esto; crines vestros, prævulsis antiis, et promulsis caproneis propendulos, deformiaque laborum cornua, haud equidem vobis invidemus: nec improbamus tamen, quod comæ illæ anteventulæ, frontem Prædicantium verecundiæ domicilium tegant, ne dum mentiuntur, pudorem prodat.*

Assumptionem argumentationis nostræ, docte ac feliciter, ut

Mall. fol. 32. *cetera, exasciat dedolatque Faber Malleator: Si de tempore, inquit, Evangelicæ reformationis, et institutæ apud nos Ordinationis loquitur, largior: Si di Religionis, ac Fidei novitate, solide pernego. Egregii Chirones, et malorum omnium averrunci, qui fœdo scilicet adulterio turpatam Christi sponsam, male a marito custoditam, ad novam suæ dignitatis puritatem revocarunt. Sed Deformationem vestram, missam modo faciamus. Abunde sufficit, de instituta apud Lutheranos Ordinatione, diserte concedi ab Adversario, quod assumpseram. Verbum ego nullum de Fidei novitate feci: de sola Ministrorum sibi succendentium serie disputavi, atque illud unum contendi, Non esse eiusmodi ordinationem apud Adversarios, quæ serie continuata præcedentibus connexa sit Ministrorum ordinationibus. Id vero pro sua in nos liberalitate largitur Tubalcain. Cum igitur Maiorem, et NOTA. Minorem legitimi syllogismi admiseris; quid restitas ultra? quid salo mentis inter hoc cogitationum æstus fluctuas? quid inter summa æthera et infimas terras pendes, nec pedem figis? quod micum superest, legitimam probationis nostræ illationem amplectere, teque ac tuos, Ministerio Divino nudatos agnosce.*

Ut creperis, et afflictis rebus opportune succurrat Prædicans, Mall. fol. 31.
39.
ostendat e Romanæ Ecclesiæ penu mutuata quædam sui cætus
placita; eoque nomine Lutheranam congeriem novam esse pernegat,
quod vetera quædam approbet. Falcem alio, quam quo cœpi, non
mittam; nec an in omnibus quæ percenset iste, recte Lutherani
sentiant, anquiram. Illud dico: hæc talia, sibi succedentium Pastorum
seriem, quam quærimus, non evincere; et plenum Fidei consensum
cum veteri Ecclesia, paucorum capitum recensione non demonstrari.
Nam et Calviniani hæc ipsa, ac multo etiam plura ad pompam
ostentant: quibus, ne tu quidem ipse veteris Ecclesiæ consensionem
permittis.

Unum mihi ab excessu Apostolorum nominari petieram, qui ante
Mall. fol. 39.
40.
infaustos Lutheri cum vota DEO Virgine complexus, ea Doctrinæ
capita docuerit, quibus lasciviant hodie Prædicantes: Esto, inquit
Tubalcain, habes Christum, Prophetarum, Patriarcharum, Evangelistarum,
Apostolorum chorum. Fuerunt sex Diaconi: Agabus, Titus,
Sylvanus, et quos Epistola ad Romanos salutat Paulus. Plures
nominare, qui hisce successerint, nihil opus est, siquidem successio
Doctorum homopsephon, non semper in Ecclesia reperitur. Ut ut
ergo sincerorum Doctorum seriem concatenatam exhibere non
possimus: satis est, nos Doctrinæ Apostolicæ successionem habere.
Foliis Sybillæ veriora ista putas, adeo intrepide loquitur Tubalcain.
Sed et hoc idem, nec minore, quam iste audacia vel colore, iactant
sectæ omnes: quæ omnes, haud scio quo decantato carmine, mentes
incautorum detinent, veloque Scripturæ sacræ, sensum suum erroribus
dementatum occidentes, sub Apostolici nominis tegete ac mantello
delitescunt. Nec animus mili, longam de controversis Articulis
ingredi disputationem, novitatemque Lutheranam Apostolicæ vetustati
obluctantem comprobare. Alibi hoc, DEO duce, præstabitur. Quocirca,
disertim in Peniculo petieram, ut ab Apostolorum usque Martyrio,
præsultorem et choragum aliquem furoris Prædicantici nominares.
Hoc age, si potes. Ego vero tua confessione amplius nihil requiro.
Nam, non solum hominem unum, Apostolorum ætate posteriorem,
nominare non potes, qui tuas tecum decantarit nærias: verum etiam,
præter consuetudinis tuæ rationem, ingenue ac libere pronuntias,
exhibere vos non posse concatenatam Doctorum vestrorum seriem;
hoc est, meæ Argumentationis assumptionem tuo calculo comprobas.
Et sane, cum nullum ex tanta annorum serie laudatum, nullum
probatum nominare potueris, qui ab Apostolorum martyrio, vestræ

novitati præluxerit: fateri mihi tacita tuæ mentis cogitatione videris, Ire vos per vestigia non calcata Patribus, tot annorum Centuriis in tenebris palpitantibus, ad vos solos, radium fulgoris Apostolici pertigisse, ceteris nebulas adfusas: florem omnis ætatis, meliorem Sanctissimorum virorum cætum, victrices Martyrum exercitus, a veritate excidisse, longa catena pendentem ab Apostolis veritatem, quam primi Christiani liberis, hi nepotibus, isti demum seræ soboli transmittere debuerant; Veritatem, inquam, illam, quam non intermisso ordine ac successu Pastorum, nec interruptis nuntiis, ad ultimos usque labentis ævi terminos derivandam fuisse, Divinis testimoniis Peniculus evicerat, gravi ac noxio deliquio intercidisse. Sexcenta his similia, quæ tuis sociali nexu vincta sunt placitis, si concoquis, valido ac plane sis stomacho necesse est.

Sed, in nos iam tela retorquet Malleator. Nominari petit, quis
 Mall. fol. 41. *post 500. a Christo nato annos, Papam visibilem DEUM, Ecumenicum Episcopum, Caput Ecclesiæ nominarit? quis de stolidissimis Supererogationis operibus verbum fecerit? quis Scripturam Sphingis ænigmata, folia Sibyllæ dixerit? quis Coniugium Sacerdotum in reprehensionem vocarit, etc.? Ad asperum et arduum callem vocas. Et quamvis a vestræ causæ iugulo invitus recedo, cum non nostra hic pugnare, sed vistra oppugnare cœperim: sequare tamen, nutumque meum precibus tuis accommodabo, ne hæc quæ tu nescis, ignorare me arbitrere.*

Principio igitur: Eo sensu, quo rerum moderatores Deos vocat Scriptura, Psal. 81. v. 6. Exod. 7. v. I. cap. 22. v. 8. et 28. Episcopos universe omnes, Deos appellavit Magnus Constantinus, Nicæna

Ruff. lib. 1 c. 2. *Synodo non absentiente:* Vos, *inquit*, non potestis ab hominibus Niceph. lib. 12. *iudicari*, vos etenim a Deo nobis dati estis Dii, et conveniens cap. 9. *non est*, ut homo iudicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est: Acta Nicæna Pisani lib. 2. *DEUS stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit.* fol. 87. *Si tu alio sensu Deos a nobis dici putas Pontifices, necdum sapis.*

Tert. Apol. *Nam quod Tertullianus de Imperatoribus, id nos libera voce de Pontificibus profitemur:* Non ego DEUM Pontificem dicam, vel quia cap. 33. *mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se DEUM volet dici, si homo est. Satis habet appellari Papa.*

Grande et hoc nomen est, quod a Deo traditur. Negat illum Papam, qui DEUM dicit; nisi homo sit, non est Papa. Et gratius est nomen pietatis, quam potestatis, etiam familiæ magis Patres, quam Domini vocantur. Universalem Episcopum, Caputque Sacer-

dotum esse Romanum Antistitem, Chalcedonensis Synodi, ac Magni Gregorii attestatione iam docui. Iustinianus vero Imperator, Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesince, Chalcedonensis Synodi fide prius comprobata subiungit: Sancimus, secundum earum definitiones Sanctissimis senioris Romæ Papam, primum esse Omnium Sacerdotum.

¹Sanctissimo senioris Romæ Papæ similia scripsimus, neque enim sustinemus quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum statum spectant, non referri etiam ad eius Beatitudinem: utpote, quæ caput est Omnium piissimorum Dei Sacerdotum, et quia quotiescumque in hisce partibus Hæretici repullularunt, sententia et recto iudicio illius venerabilis sedis coerciti sunt.

Opera Supererogationis, hoc est, quæ Lege DEI præscripta non sunt, sed studio pietatis sponte suscipiuntur, et nominat et laudat Magnus Augustinus: Neque enim, inquit, sicut Non mœchaberis, Non occides, ita dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur; nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem, si quid amplius supererogaveritis, in redeundo reddet vobis. Sanctus vero Paulinus, vir multiscius, et synchronus Augustini; et sanctitate sua, et præconio ²Ambrosii ac Augustini clarissimus, ad Severum ita scribit:

²Ambr. Ep. 36.
³Ille, inquit, Samaritanus, qui propter nos huius etiam nominis suscepit iniuriam, redditurus beatæ Virginitati innumerabiles coro-
³Paulin. Ep. 4. sub initium.

Scripturam in rebus maximis, intellectu difficilem esse, eaque 2. Petr. 3. v. 16. distortim flexa, pernitiabili errore abuti quamplurimos, et Petrus Apostolus, et Patrum chorus docet. Id vero vitio Scripturæ fieri, non abutentium malignitate, nec veteres docent, nec nos contendimus.

Coniugia post Sacerdotium inita, veteris Ecclesiae Traditione Supra f. 49. damnat ex consilio Paphnutii Nicæna Synodus; ut iam memoravimus. Atque ut ceteros taceam, post datam Deo fidem nubere non licere, Synodus ⁴Chalcedonensis definivit. Quæ post votum nubit, Christi adulteram fieri, crebro ac constanter docet Augustinus, Tom. 4. de Bono Viduit. cap. 11. Tom. 6. de Adult. Coniug. cap. 15. 24. Tom. 8. in tit. Psal. 83. Quod ipsum Cyprianus, Chrysostomus, Cyrus, Ambrosius, ac ceteri Sanctissimi æque ac doctissimi Patres sensere. Eandem hanc doctrinæ vetustatem, in ceteris, quæ tu memoras, capitibus, nullo tibi negotio, cum voles, comprobabo. Nunc, quoniam aliud agimus, ab implicito hoc flexu redeo ad veterem et apertam viam, ac, ut institui, proficiscar ad

¹Lib. 1. Codic.
^{tit. 1. L. 7. et 9.}

^{Aug. tom. 6. de}
^{sancta Virgin.}
^{cap. 30.}

^{Aug. 1. de Ci-}
^{vit. c. 10.}

³Paulin. Ep. 4.

sub initium.

²Petr. 3. v. 16.

³Paulin. Ep. 4.

sub initium.

⁴Actione 14.

Canon. 16.

cetera Malleatoris deliramenta, nec in alios disputationum campos excurrat. Unum illud te, Lector, moneo; ut ad id, quod agitur, cogitationes tuas flectas, nec oculos obvelari præstigiarum fumis patiare. Ad Maiorem Syllogismi nostri, validis Scripturarum testimoniis roboratam, ne gry quidem, aut my mussavit Adversarius: sed astu ac fraude memorabili, suam substituit quam eluderet propositionem. Minorem vero ultro approbavit; hoc est, etsi verbis et ianua, quod dicitur, Conclusionem exclusit: re tamen et postico admisit.

§. 3. Secundum Argumentum Lutherani Ministerii.

Alterum, quo Ministerii Lutherani evanidam paraturam subruimus Argumentum, vinciri sic potest: Vocatio legitimo Ministerio necessaria, vel ordinaria et mediata, hoc est, per homines facta est: vel præter ordinem, DEUM solum autorem habet. Neutra Lutheru competit.

Ut fabulosus ille Buridani asellus, utrinque pabulum æque suo ventri familiarem conspicatus, anceps hæsit, et cunctabundus fame periit: Sic Malleator, utram Lutheranæ vocationis viam insisteret ignarus, dum utramque prensat, neutram carpit, sed ut Æsopicus ille aquis innatans, dum umbram mordet, et carnes perdit: sic noster, binos assectans lepores, utroque caret. Fieri enim nequit, ut et per homines ordinaria via, immediate a DEO, nullo intercurrente humano ministerio, excitus sit Lutherus; quæ tamen utraque neciere vult Tubalcain.

*Principio igitur, Lutheri Vocationem per Homines factam innuit, tunc, cum sacris initiaretur, Doctoralique epomide exornatur: Nec quidquam postea præter vocationem fecit. Non enim in placita semidei vestri, et doctrinas dæmoniorum iuravit, sed in DEI verbum. Ad illa vero Peniculi argumenta, quibus hanc Lutheri vocationem expugnatum ivimus, ne pauxillum quidem hiscit Tubalcain. Quocirca, nec ego illa itero: sed relegisse Lectorem ne pigeat, moneo. Fallitur vero Tubalcain, dum putat Lutherum laurea Doctorali decoratum, *in Romani Pontificis fidem, ac eam Scripturæ interpretationem, quam Romana Ecclesia sequitur, sacramento se non devovisse. Frustra est, cum ea defensione tutum se arbitratur Lutherus, quam vel Arius, vel Carolostadius, ac cetera deviantium colluvies, pari prorsus quo ipse iure obtrudunt.*

* Patet ex formulis iuramenti Doctoralis.

Vidisti, Lector, flamمام stipula exortam, claro crepitum, largo fulgore, cito incremento; sed enim materia levi, caduco incendio, nullis reliquiis. En tibi accusationem, iurgiis initam, verbis auctam, argumentis defectam: Illuminatissime Iemici, inquit meus Tubalcain, ignosce simplicitati meae, etiam stupori, i modo pede fausto. Libera me hoc scrupulo, aestum turbidæ cogitationis quæ te iactat effare, vacivas do et perattentas aures ambas: et si ulcus, quo hiat pectus, retegis, en medicam manum. Cum Ordinatio vestra tot scateat mysteriis quot canis pulicibus, Character Bestiæ (Vah! quam vinnulum, quam lene dictum Cynici Prædicantis!) Cuculligeris vestris in Ordine impressus, potestne per hæresin amitti? Limphatus es, tamquam veræ sapientiæ vacuus, quam silex laticis. Paucis te absolvo, nec meis, sed Augustini verbis: ¹ Sacramentum Chrismatis permanet etiam in pessimis. ² Et licet quis ob culpam ab officio removeatur: Sacramento tamen Domini semel imposito non carebit. Responsum habes. Quid porro deinceps? Nihil dicens. Nec Edipus ego, ut extra omnem rectæ rationis ductum longius evagantes cogitationes tuas assequar. Forte quia Chrismatis Sacramentum in Lutheru tuo mansit, ideo missum a DEO Lutherum reris. Erras. Removeri ab officio posse indignos, tametsi Sacramento non careant, docuit te Augustinus.

Ubi primi conatus non successere, alio impetum flectit Tubalcain: Lutherumque ³ Immediate vocatum a DEO asserit. Verum in os tibi Lutherus tuus resistit. Loquentem audi: ⁴ Vocatio Divina duplex est: Mediata, et Immediata. DEUS vocat Nos omnes hodie vocatione Mediata, hoc est, quæ sit per hominem medium. Apostoli enim Immediate vocati sunt ab ipso; hi vocaverunt discipulos, qui deinde Episcopos, Episcopi successores. Ea vocatio duravit usque ad nostra tempora, et durabit usque ad finem mundi, nec est mutanda.

Scripturæ testimonia petebam de Divina Lutheri vocatione: et ab iis petebam, qui credi vetant quicquid Divinis tabulis consignatum non legunt. Tubalcain ⁵ Lutherum fuisse ait Angelum illum, ⁵ Mall. f. 45. per medium cœli volantem, habentem testamentum aeternum. Probationem desideras? Sat est dixisse. Geminus labor est, si quod vane effutivit, inepte comprobet. Sed erras, Tubalcain, non per cœli medium volans, sed per cœni medium sese volutans Angelus est Lutherus. Angelus, inquam, quia ita vis, illa fortassis, ⁶ Hebraice ⁶ Apoc. 9. v. 11. Abbadon, Graece Apollyon, Latine Exterminans: cuius Evangelium,

Mall. fol. 44.

¹ Aug. lib. 2.
contra Lit. Pe-
tit. c. 104.

² Tom. 6. de
Bono Coniug.
cap. 24.

³ Mall. f. 45.

⁴ Luth. to. 5.
Lat. Vitt. 1554.
per Lufft. in c.
1.ad Gal.f.376.

⁵ Mall. f. 45.

Apoc. 14. v. 6.

⁶ Apoc. 9. v. 11.

*quam æternum, quam stabile ac constans fuerit, ea quæ de Ver-
tumni vestri ad omnem Romani Pontificis nutum fingere se volentis*

¹ Infra, hoc eo-
dem cap. §. 5. *Tubalcain, Luthero ex Apocalypsi patrocinium? Nescis, dubitatum
aliquando de autore ac maiestate eius libri, eaque de causa fidem*

² Lut. in pro-
logo Apoc.
German. adit.
Vittem. 1588.
Zach. Lehman. *illius libri a Luthero ²in dubium revocatam? De Hussi, aliorum
que, quæ tu memoras, præsagiis, dicere aliud non habeo, quam a
Luthero Thrasonice iactari, Cygnum se ab incinerando Husso nomi-
natum. Legere tamen Luthero antiquiorem non memini eius fabulæ*

Vide Pistorium, narratorem. Et prædixerit Huss adventum Cygni, sæculo secuturo,
Epist. 3. ad Lutherumne an Zwinglium, an Servetum, an Mennonem hæc amba-
Pappum. Grets.
lib. de duob. ges signarint, Problema esto.

Nummis. *Obiter attigeram, varium ac mutabile Lutheri ingenium, men-*

*daciis distortimque flexis Scripturæ oraculis confertim stipatum,
testimonium dicere; non DEI, sed Satanæ spiritu, vertiginem homi-*

Mall. fol 45. *nis circumactam. Nihil ad hæc aliud Malleator, quam, nos et
Christo oblocuturos si viveret, impudentissime ariolatur. Et de*

*Luther, Roterodami (Philippo Roterodamum substitui arbitror) sensum deprædicat. Ego vero diras, ac Satana dignas convitiones
Lutheri, mendacia, antilogiasque denso agmine conflictantes, fæda
mutilatione circumcisæ Scripturæ verba, et sexcenta alia probrosi
hominis dedecora, ex ipsiusmet voluminibus cum voles percensebo.*

*Hic illud memorare sat est, quod ipsius mox Lutheri verbis audies,
Quadriennio ipso post excitata certamina, paratum fuisse ad omnem
controversiam sepeliendam, si tuto ipsi ab adversariis esse licuisset.
Hæc ego ab eo profecta credam, qui DEO vocante excitus ad fæda
Papatus detergenda? Fidem superare memorabam, quod tam sancta,*

tam docta Antiquitas exoculata fuerit: Unus Lutherus, præ illis,

et contra illos, cælesti rerum divinarum notitia fuerit collistratus.

Mall. f. 45. *Nimium incredibile videtur adversariis, inquit Tubalcain, Patrum
autoritate fascinatis, ut Lutherus in rebus Fidei plus viderit, quam
isti. Sed non est propterea impossibile. Si enim semper valeret in
negotio Religionis, multos plus videre quam unum: obtinuissent
contra Eliam Sacerdotes, contra Ieremiam falsi Prophetæ, contra
Christum Sadducæi. Mihi in mentem non venit, plures semper præ-
ferre in rebus Fidei uni theodidacto; nec vim argumentationis in
eo fixi: hoc dixi; Eos, qui Lumina, ac Columna fuere Christiani-
tatis, qui doctrinam Christi ac sacros libros posteritati transmisere,
qui vitæ sanctitate, doctrinæ præstantia, martyriis, miraculis Eccle-*

siam Christi collustravere, qui Sanctitatis nomen apud omnes orbis Christiani nationes obtinuere, hos, inquam, Apostatae Monacho, ac ceteris, qui nuper ab Ecclesia segreges facti compositos, et cæcos, et idololatras, et hostes veritatis censendos, sano homini non persuasuros Prædicantes. Et dic tu diserte: Augustinus, qui D. Virginis opem imploravit, qui mortuæ matris animam sacrificio expiandam curavit, qui sexenta Luthero adversantia credidit, idololatra fuit? præ Luthero caudex fuit? Audebisne excussi sacratioris iurati cuculli sacrilegio infames, cum Ecclesiæ luminibus conferre?

Miraculis comprobandum Missionem, quæ ordinariae vocationis cancellis cohiberi se non patitur, Luthero teste asserueram. Hic primum Tubalcain¹ negat opus esse Miraculis, cum nihil novi¹ Mall. fol. 46.
Lutherus docuerit. Iisdem pœne verbis eadem² Calvinus. Utrique^{47.}
Veteris Scripturæ verba recitant: novam tamen, et a veterum consensu dissentientem verborum sensum cudunt; quod et omnes, qui sub nomine Christiano deerrarunt, factitasse palam est. Et, si nova non sunt Lutheri placita, cur nullum ab ævo Apostolico nominare ausus es, qui Lutheri somnia, sacrarum literarum maiestate fucata, ante hanc effætam mundi ætatem propugnarit, propagarit?

²Calv. præfat.
Instit.

Falleris vero, Tubalcain, Divinæ virtutis sigillis assertam non esse Ioannis Baptistæ legationem. Quo enim spectant, patrata illa in conceptu ac partu prodigia? quo per tantam vitæ asperitudinem supra naturæ leges ab incunabilis ætas peracta?

Falleris: grande portentum esse,³ Exiguo tempore tam late³ Mall. fol. 47.
propagatum Lutheri ministerio Evangelium. Magno apud te pretio

⁴Roterodamum esse video: eius ego tibi verbis respondebo. Is igitur,⁴ Mall. fol. 45.
⁵nihil hic mirandum disputat, vel quod latius quondam Arius, longe⁵ Eras. Epist.
longeque latius Maometes sectam suam extenderint quam Lutherus:^{ad Frat. infer.}
vel quod Christianæ libertatis velo, ad pileum carnalis licentiæ,
ultra a natura vitiata expetitæ, convocent Lutherana mysteria:

Germ.

⁶Saltatur, inquit, estur, bibitur, et subatur; et libertas Evangelica⁶ Eras. lib. 20.
dilaudatur. Si (ut sacra Religionis Catholicæ, hodieque latius quam^{Epist. fol. 715.}
Sectæ omnes simul diffusa) gentes barbaras ab immani feritate,
profanoque ritu, ad suave Christi iugum succollandum flexisset
Lutherus; si desertis semen Evangelii intulisset terris; si ferias
esuriales Quadragesimales quaternas anno peragi sanxisset; si
magnificæ familicæ opes Ecclesiis erigendis erogare, si carni fibulam
iniicere, si cetera, nativo flexu ad malum præcipiti carni adver-
santia, persuasisset: admirationem haberet, invaluisse Doctrinam,

quæ ferocientem carnis petulantiam arctioribus lupatis sponte induit. Nunc vero, quod opimis Ecclesiarum latifundiis Nobilitatem prolectet; quod incisis disciplinæ nervis, delinificis suadelis circumveniat Nuptialibus pedicis colligandos Clericos, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis ludentes, strepentes; quod Monasticam professis feralium Nuptiarum choragum apparet, lupulam lupis offerat popinalis luxuriae Apostata, validoque cuneo rigentem cunctionem prorsus diffringat, spe scilicet nuptiarum. qua, ut ille ait, etiam fore adamantinæ perfringi solent; quod popellum custodia Divinæ legis, quippe factu impossibilis exsolutum, solius fidei prolectibili pellacia circumveniat: haud equidem magis miror, quam quod gravia (quæ, ubi commota sunt, suo pondere ruunt) levi nisu præcipitentur. Et bona tua venia, Malleator, id a me responsum Lutherus tuus feret, quod nobile scortum a Socrate. Superbe illa sese circumspiciebat, quod Socratis Discipulos ipsa impudicis amoribus irretiret, nec ullum tamen a sinu complexuque suo Philosophus avellere posset. Cui, Tu enim, inquit Socrates, ad variæ histor. declivem tramitem rapis: ad arduum ego Veritatis ascensum cogo. Certe Calvini lolium, sementem vestram multis partibus superavit, pœne opprescit: nec ideo tamen secundos fortunæ flatus, quibus vela Helvetica tument, DEI favorem, sed irati Numinis vindictam recte auguramini. Ideni de vobis nostrum esto iudicium.

§. 4. Tragica Lutheri cum Diabolo Monomachia.

Thales Milesius, Geometriæ penes, Graios primus repertor, iam proclivi senectute, divinam rationem de Sole commentus est, quoties magnitudine sua circulum quem permeat metiatur. Rem hanc edocuit Mandraytum Prienensem, qui inopinata cognitione impendio delectatus, optare iussit mercedem quam rependeret. Satis, inquit Thales, mihi fuerit mercedis, si quod a me didicisti, cum apud alios protuleris, tibi non adsciveris, sed eius inventi repertorem me prædicaveris. Hoc Minerval magni Veteratoris perficitissimus Discipulus, Diabolo materiario erroris sui, dependit pro disciplina, quam Mendaciorum Patris satoris sartorisque congressu, uno medianoctio nactus est Daemonodidactus Lutherus. Rem, ut gesta est, totidem quibus ipse perscripsit verbis, accipe.

Disputatio Diabolica.

¹Ego coram vobis Reverendis et sanctis Patribus Confessionem faciam, date mihi absolutionem bonam. Contigit me semel sub medianam noctem expergefieri; ubi Satan mecum cœpit eiusmodi disputationem: Audi, inquit, Luthere, Doctor perdocte. Nosti etiam, te QUINDECIM annos celebrasse Missas privatas, pene quotidie? ¹Luth. to. 7.
²Quid si tales Missæ privatæ, essent horrenda idolatria? quid si ibi non adfuisset Corpus et Sanguis Christi, sed tantum panem et vinum adorasses, et aliis adorandum proposuisses? Cui ego respondi: ²Propositio.
³Sum unctionus Sacerdos, accepi unctionem et consecrationem ab Episcopo, et hæc omnia feci ex mandato et obedientia Maiorum, quare non consecrassem, cum Verba Christi serio pronuntiarim, et magno serio Missas celebrarim? Hoc totum, inquit, est verum: sed Turcæ, et Gentiles etiam faciunt in suis templis omnia ex Obedientia, et serio sua Sacra faciunt. Sacerdotes Hieroboam faciebant etiam omnia certo zelo, et studio, contra veros Sacerdotes in Hierusalem. Quid si tua ordinatio et consecratio falsa esset, sicut Turcarum et Samaritanorum falsi Sacerdotes, falsus et impius cultus est?

¹Lat. Vit. per Thom. Klug. ann. 1557. fol 228. Lib. de Missa privata et Unctione Sacerdotum. In Latinum translata a Iusto Iona, 1534.

²Propositio.
³Unctionem Episcopalem in pretio habet adhuc.

Primum: Nosti, inquit, Nullam tunc habuisti cognitionem Christi, nec veram fidem. Et quod ad Fidem attinet, nihil melior fuisti Turca. Nam Turcæ, adeoque omnes Diaboli etiam credunt historiam de Christo, ipsum esse natum, crucifixum, mortuum: sed Turca, et nos Spiritus reiecti, non fidimus illius misericordiæ, neque habemus illum pro Mediatore ac Salvatore, sed exhorrescimus ut sævum iudicem. Eiusmodi fidem, non aliam, et tu habebas, cum ab Episcopo unctionem acciperes; et omnes alii, ungentes simul, et uncti, sic sentiebant, et non aliter, de Christo. Ideo a Christo, tanquam crudeli iudice, configiebatis ad S. Mariam, et Sanctos: illi erant mediatores inter vos et Christum. Sic erepta est gloria Christo. Hoc neque tu, neque alius Papista poterit inficiari. Ergo uncti estis, consecrati, rasi; et sacrificastis in Missa ut Gentiles, Ethnici, non ut Christiani. Quomodo ergo potuistis in Missa consecrare, aut veram Missam celebrare? Ibi deficit (quod secundum vestram propriam doctrinam vitiat) persona, habens potestatem consecrandi.

Mendacia Diabolica.

Secundo: Uctus es tunc in Sacerdotem, et Missa abusus es, contra institutionem, contra mentem et sententiam Christi instituentis. Nam Christus voluit Sacramentum inter pios communicantes distribui,

ad edendum et bibendum Ecclesiae porrigi. Sacerdos enim verus est minister Ecclesiae, constitutus ad prædicandum Verbum, et porrigenda Sacra menta; sicut hoc habent verba Christi in Cœna, et sicut Paulus 1. Corinth. 11. de Cœna Domini loquitur. Unde et a Veteribus Communio appellata est, quod non solus Sacerdos debeat uti Sacramento iuxta institutionem Christi, sed reliqui Christiani fratres una cum ipso. Nunc annos QUINDECIM totos, semper solus, privatim pro te in Missa usus es Sacramento, et non communicasti alii. Adeoque interdictum tibi erat, ne porrigeres totum Sacramentum alii: cuiusmodi nunc hoc est Sacerdotium? cuiusmodi Unctio? cuiusmodi Missa et Consecratio? cuiusmodi tu es Sacerdos, qui non pro Ecclesia, sed pro teipso ordinatus es? De hoc Sacerdotio, de hac unctione, certum est, Christus nihil novit, nec eam agnoscit.

Tertio: Mens et sententia Christi est, sicut clara verba habent; ut tractantes Sacramentum, mortem eius annuntiemus, et confiteamur: Hoc facite, inquit, in meam commemorationem. Et, sicut Paulus inquit, Donec veniat. Tu vero Missator privatus, in omnibus Missis tuis ne semel quidem prædicasti, aut confessus es Christum, Tu solus usus Sacramento. Et apud te ipsum demurmurasti sibilo quodam, tibi soli, verba Cœnæ. Hæccine est institutio Christi? cum hisne tuis factis profitebere te Sacerdotem Christi? an hoc Christianum est, et pium agere Sacerdotem? ad hocne ordinatus es?

Quarto: Mens et sententia, et clara institutio Christi est: ut Sacramento communicent et alii Christiani. Verum tu unctus es, non ad distribuendum Sacramentum, sed ad sacrificandum, et contra institutionem Christi Missa usus es pro sacrificio. Sic enim verba ungentis Suffraganei clare sonant. Cum enim iuxta traditam cæremoniā, Calicem in manus dat iam uncto, Accipe, inquit, potestatem consecrandi pro vivis et mortuis. Quæ, malum! hæc est prorsus sinistra et perversa Unctio, et ordinatio, quod Christus instituit ad edendum et bibendum pro tota Ecclesia, et porrigidum a Sacerdote una communicantibus, et hoc tu facias Sacrificium propitiatorium coram DEO? o abominatio, super omnem abominationem!

Quinto: mens et sententia Christi est, ut diximus; ut Sacramentum distribuatur Ecclesiae, et communicantibus, ad erigendam et confirmandam ipsorum fidem, in quovis agone variarum tentationum peccati, Diaboli, ad subinde renovandum et prædicandum beneficium Christi. Tu autem ex hoc fecisti proprium opus, quod

tu facias sine aliis, quod possis impartiri gratis, vel pro pecunia aliis. Cedo, quid hic potes inficiari? In eiusmodi nunc tu unctus es Sacerdotem, qui sine Christo, sine fide vera fuisti. Ad hæc, contra mentem et institutionem Christi unctus et ordinatus es, non ad communicandum aliis, sed ad sacrificandum pro vivis et mortuis. Non ordinatus es in ministrum Ecclesiæ. Item, qui nunquam distribuisti Sacramentum aliis, non prædicasti in Missa Christum, adeoque nihil eorum fecisti quæ Christus instituit. Numquid igitur plane unctus et ordinatus es, contra Christum, et institutionem eius, ad facienda omnia quæ sunt contra ipsum? Si autem unctus et ordinatus es a Suffraganeis et Episcopis contra Christum; haud dubie Unctio et Ordinatio tua impia et falsa est et Antichristiana. Ergo nunc hoc urgeo, te non consecrasse in tua Missa, sed obtulisse, et adorasse tantum Panem et Vinum, et aliis adorandum proposuisse. Hic video, in TUA Missa primum deesse personam, quæ consecrare possit, nempe Christianum hominem. Secundo: deesse personam, cui consecrari et porrigi debeat, nempe Ecclesiam, reliquos pios, et populos. Sed tu impius, et ignarus Christi, STAS ibi solus, et PUTAS Christum propter te instituisse Sacramentum, et protinus in TUA privata Missa te CONFICERE Copus et Sanguinem Domini, cum TU non sis membrum, sed hostis Christi. Tertio: desunt ibi mens, sententia, fructus, usus Sacraeuti, ad quem Christus hoc instituit. Christus enim instituit Sacramentum pro Ecclesia, ad edendum, et bibendum, ad corroborandum piorum fidem, ad prædicandum et extollendum in Missa beneficium Christi. NUNC reliqua Ecclesia piorum, de TUA Missa, nihil novit, nihil ex te audit, nihil a TE ACCIPIT; sed TU SOLUS, in angulo tuo tacens et mutus, COMEDIS SOLUS, BIBIS SOLUS: qui tamen es rudis verbi Christi, incredulus, indignus, nemini TECUM COMMUNICAS. Et, ut in more vobis fuit, tanquam bonum opus, pro pecunia VENDIS. Cum igitur tu NON SIS persona, quæ consecrare possit aut debeat; et persona etiam desit quæ Sacramentum accipiat; tertio, cum invertas, ac porsus evertas institutionem Christi: cum sic ad omnia facienda contra Christum et institutionem Christi unctus sis, quid tum Unctio tua, dein Missa, et Consecratio tua aliud sunt, quam blasphemia et tentatio DEI? sic ut tu, nec sis verus Sacerdos, nec panis verum Corpus Christi. Ponam similitudinem: Si quis Baptismo uteretur, ubi non esset persona baptizanda: ut si Suffraganeus aliquis (quemadmodum ridiculus mos apud Papistas fuit) baptizaret campanam, aut tintinnabulum, quod non

Scopus
disputationis.

potest esse persona baptizanda, vel baptizabilis: quæso te, dicas, essetne hic verus Baptismus? Hic cogeris fateri, neutiquam esse. Nam, quid potest hoc baptizare, quod non est persona baptizabilis? cuiusmodi hic esset Baptismus, si in ventum pronuntiarem hæc verba: Baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; effundere inque aquam? Quis ibi acciperet Remissionem peccatorum, aut Spiritum Sanctum; aërne, an campana? Hic vel palpare potes. Nullum esse Baptismum, etiamsi verba Baptismi pronuntientur, et aqua superfundatur, deest enim persona, quæ baptismum accipiat. Quid si idem accideret tibi in TUA Missa, ut verba PRONUNTIES, PUTESQUE te accipere Sacramentum: et tamen non ACCIPIAS, nisi panem et vinum? Nam persona accipiens, Ecclesia non est ibi: et TU impius, et INCREDOULUS, nihilo capacior ES Sacramenti sumendi, quam compana est Baptismi, adeoque plane nihil es ad Sacramentum.

Hic forsitan dices: Etiamsi aliis non PORRIGAM Sacramentum: tamen IPSE SUMO, IPSE MIHI PORRIGO. Et multi in cœtu etiam Sacramentum, aut etiam Baptismum accipiunt, qui tamen increduli sunt; et tamen ibi est verus Baptismus, et verum Sacramentum: Quare tunc in MEA MISSA non esset verum Sacramentum? Sed hoc non est simile, quia in Baptismo, (etiamsi baptismus fiat in casu subitæ necessitatis) ut minimum duœ personæ, baptizans et baptizandus, et sæpe multi alii sunt de Ecclesia. Et baptizantis officium est eiusmodi, quod aliis de Ecclesia quid communicat, ut membris, non aliis subtrahens sibi soli sumit, sicut TU FACIS in Missa. Et omnia alia quæ ibi geruntur, cum opus ipsum sit secundum iussum et modum institutionis Christi, TUA autem Missa contra institutionem Christi. Secundo: Quare non docetis, quod quis possit baptizare seipsum? quare eiusmodi Baptismum improbatis? quare reiicitis Confirmationem, si quis more VESTRO confirmaret seipsum? quare non valet Consecratio si quis consecraret seipsum in Sacerdotem? quare non est Absolutio, si quis absolveret seipsum? quare non est Unctio, si quis in extremis, IUSTA RITUM VESTRUM, ungeret seipsum? quare non est Coniugium, si quis nuberet sibi ipsi? vel velit opprimere puellam, et dicere; hoc etiam invita puella debere esse Coniugium? Hæc enim sunt VESTRA SEPTEM Sacraenta. Si nunc ullum ex Sacramentis VESTRIS aliquis ipse pro seipso facere potest, aut tractare: qui fit, ut tibi soli hoc summum Sacramentum facere VELIS?

Hoc quidem verum est, quod Christus seipsum sumpsit in Sacramento, ut quilibet Minister aliis porrigens, etiam pro se sumit: sed

ipse non consecrat Sacramentum pro se, sed sumit una cum aliis, et Ecclesia. Et hæc omnia fiunt Verbo DEI, secundum iussum, et ordinationem Christi. Iam loquor de Consecratione, an quis possit consecrare, et confidere sibi? Quia satis scio, quod iam consecrato, singuli cum aliis possint uti, nam est Communio, et mensa Domini multis communis. Sicut movi quæstionem, An quis possit ungere, et vocare seipsum; Satis scio, quod vocatus, et unctionis, postea vocatione uti possit. Item, quando quis puellam stupravit, an satis sit, quod ipse stuprator vocet hanc coniunctionem Coniugium? Nam bene scio, quando puella in coniugium pessimum consentit, quod postea coniunctio sequens thori, est Coniugium.

*In his angustiis, in hoc agone contra Diabolum, volebam retun-
dere hostem, armis quibus assuetus eram sub Papatu, obiciebamque
intentionem, et fidem Ecclesiæ; scilicet, quod Missas privatas, in fide
et intentione Ecclesiæ celebrassem: Etiam si ego, inquam, non recte
creddi, aut sensi; tamen IN HOC RECTE CREDIDIT et sensit Ecclesia.
Verum Satan, contra vehementius et fortius instans: Age, inquit,
prome, UBI SCRIPTUM, quod homo impius, incredulus, possit assistere
Altari Christi, et consecrare, atque confidere in fide Ecclesiæ? ubi
iussit aut præcepit hoc DEUS? quomodo probabis, quod Ecclesia
intentionem tibi impartiatur, ad hanc tuam Missam privatam?
Si nunc Verbum DEI non habes, sed homines hoc docuerunt sine
verbo, tunc tota hæc doctrina est mendacium. En audicam VESTRAM!
in tenebris GERITIS hæc, et ABUTIMINI nomine Ecclesiæ, ac deinde
omnes abominationes VULTIS defensas, prætextu intentionis Ecclesiæ.
Deinde, non est ut tu doceas me intentionem Ecclesiæ. Ecclesia nihil
credit, nec sentit extra verbum et institutionem Christi, multo minus
contra ipsius mentem et institutionem, de qua supra dixi. Paulus
enim dicit; 1. Corinth. 3. de Ecclesia, et cœtu piorum, Nos mentem
Christi tenemus. Unde autem disces, aliquid esse mentem et inten-
tionem Christi et Ecclesiæ, quam ex Verbo Christi, doctrina, et con-
sensione Ecclesiæ? unde scis, intentionem et mentem esse Ecclesiæ,
quod homicidium, adulterium, incredulitas, sint peccata damnabilia,
quam ex verbo Domini? Si nunc intentio Ecclesiæ, de operibus, de
recte aut secus factis, est colligenda ex verbo et iusu DEI: quanto
magis intentio de doctrina est colligenda ex verbo DEI. Quare ergo
in Missa privata blasphemie CONTRAVENIS claris verbis, et ordina-
tioni Christi; et postea tuo mendacio, tue impietati prætexis nomen,
et intentionem Ecclesiæ, ut misero hoc fuco TUUM ornes commentum,*

Lutheri
Responsio.

NOTA.

quasi intentio Ecclesiae sit contra clara verba, et intentionem Christi? quæ hæc est audacia prodigiosa, ut per tam impudens mendacium, nomen Ecclesie conspurces? Cum igitur MISSARIUS ad nihil unctus sis ab Episcopo, quam ad faciendum per Missam privatam, contra verba clara et intentionem Christi, contra mentem, fidem, et Confessionem Ecclesie; tunc profanissima est, et nihil sancti nec sacri habet hæc unctio. Deinde vanior, inanior, et tam ridicula est hæc unctio, quam baptizatio saxy, aut mutæ campanæ. Atque ultra ursit Satan: ERGO non consecrasti; sed solum panem et vinum, ut Ethnici, obtulisti. Et per quæstum turpissimum, ac blasphemum, Christianis opus tuum vendidisti; serviens, non DEO, non Christo, sed tuo ventri. Quæ est hæc inaudita abominatio in cœlo, et in terra? Hæc fere erat Disputationis summa.

In hac Lutheri Dæmonologia, notata velim Doctrinæ capita interspersa: 1. Missas privatas, horrendas esse idololatrias. 2. Panem et vinum adorari in Sacramento, cum ibi (extra usum scilicet) Corpus et Sanguis Christi non adsit. 3. Ordinationem Episcoporum, et Unctionem, falsam, vanam, inanem, ridiculam esse. 4. Papistas non habere Christum pro Mediatore, nec fidere (fide scilicet illa speciali de propria salute) misericordiæ ipsius. 5. Ad Mariam fugere, est Christi gloriam erectum ire. 6. A Papistis (unam scilicet Sacramenti speciem administrantibus) totum Sacramentum non porrigi. 7. Et Concionem, et plurium Communionem intervenire debere, quoties Missa peragitur. 8. Missam non esse Sacrificium. 9. Missam, tanquam bonum quoddam opus, applicari aliis non posse. 10. Quod scriptum non est, credi non debere. Habet pæne omnes Doctrinæ Lutheranæ fontes, unius noctis compendio propositas.

*Cic. pro Mu-
ræna.
Galen. 1.
Meth. cap. 1.* *Et quamvis Marcus Tullius, triduo sibi opus esse dicat, ut Iurisconsultum se profiteatur; Thessalus vero, qui brevissimo se tempore Medicinam doctrinam pollicebatur, Menses sex requirebat: Lutherus tamen, vel ingenii bonitate, vel methodo Professoris adiutus, nocte una, lectulo affixus, Dæmonothologicæ fontes, ac secuturæ Professionis venas omnes exhaustit. Sed pressius, age, Argumentationis tertice laqueos, quos sibi ipse Lutherus induit, adstringamus.*

§. 5. Tertium Argumentum Vanitatis Lutherani Ministerii.

Tertium igitur firmamentum, quo novelleta pseudoministeria Luiherana convulsimus, ex hac Lutheri testificatione hunc in modum

construximus: Qui Avernalem orco doctrinam hausit, ut ea ceteros dementaret, frustra Christi legatione gloriatur. Atqui egeries illa ordinis Ecclesiastici Lutherus, Acherontici monitoris sibilo taminatus, eam doctrinæ viam præivit, multorumque sequacum calcatu stravit, quam ille monstraverat. Ergo, etc.

Lector optime, scito te Tragœdiam deinceps legere, et a socco ad cothurnum ascendere. Alte hic mucro cor Prædicantis penetravit, tenediam enim securim Lutheri cervici infixam sensit. Hic igitur, si usquam alibi, et in Dæmonodidacti sui laudes, plenis buccarum velis fertur, et de composito maledictis in me grassatur, nec tamen crimina iudicio, quam obiectamenta iurgio profundit: Verum, nihil in accusando sublimiter compositum, nihil verisimiliter commentum, sed furor infelix acerbi animi, et misera insaniae crudæ ignorantia, inhumana rabie efferatur, scurrilibusque velitatur sociis; quasi Fides ipsa maledicendi libertate conciliari possit.

Principio, Propositionem Argumentationis nostræ negat Tubal- Mall. fol. 49. *cain, qui enim quandoque Diabolo assensit, capessere saniora potest. Hoc scilicet ignorasset orbis, nisi inconnives oculi Malleatoris ad inaccessæ istius veritatis radiatos splendores penetrassent. Nimis fabrili est hic faber acumine, ingeniumque in manibus ac lacertis habet, si non assequitur, sermonem nostrum non esse de eo qui circumventus aliquando resipuit, malique Doctoris venena quæ suxerat, exspuit: sed de eo, qui lucifugam teterrimum, ipsarum Principem tenebrarum audivit attente, et hausta ab illo doctrinæ pestilitate, obfirmate alios attaminavit. Hunc igitur, placita Diaboli disseminantem, composito (quod Dialectici aiunt) sensu, a DEO missum non esse, non minus recte dicimus, quam si cæcos non videre asseramus; tametsi cælesti favore, et hic visus, et ille doctrinæ sanitatem recipere possint. Hæc nostræ argumentationis propositio, testatissima est: quam tamen validissimis rationum momentis Peniculus comprobarat. Cetera firmamenta tacitus præterit. Negat confirmandæ Propositioni deservire quod assumpseram, Dia-* Mall. fol. 49. *bolo scilicet, nec vera dicenti credendum esse. Ignosce, Tubalcain, puerum te non cogitaveram, qui nisi minute præmansum cibum concoquere nequeas. Capesis plene diductam, quæ involuta fuerat, Argumentationem: Qui doctrinam ab eo hausit, cui nec vera dicenti credendum est, ad hanc propagandam legatione DEI certa et falli nescia instructus, credi non debet. At is, quem Cacodæmon instituit, ad eam quam ab ipso hausit doctrinam evulgandam DEI legatione*

instructus esse non potest. Vides, Tubalcain, quam recle institutæ probationi aptari possint quæ tu disparata arbitrabaris.

Assumptionem Argumentationis nostræ eorum testimonio compro-

baram, quos cum Lutheranis committere me velle querebatur Tubal-

Mall. fol. 2. *cain: Futile hoc, apertumque odium reddens testimonium aspernatur*

Mall. fol. 49. *Tubalcain, Verum prævalebunt apud cordatos tantorum testimonia*

Malleatoris inficiationi; præsertim cum, ut est vulgo tritum, Fur
furem norit, et lupus lupum. Accedit, quod in eadem Avernali
schola erudit Zwingiani, haud ægre leonem ex ungue, Magistrum
e styli sermonisque simili nexu deprehendunt. Sed ut cetera missa
faciamus, Duo comprobanda receperam, quibus Assumptæ propo-
sitionis veritas testata redderetur: I. Lutherum ad hanc usque
disputationem, Romanæ Ecclesiae non inobsequentem fuisse: Catho-
licum fuisse: vel quoad omnia, vel quoad plurima quæ et Diabolus
magno nisu oppugnatum ivit, et post hoc duellum Lutherus pro-
pugnavit. Hoc enim sensu capis dicta in Peniculo. II. Post hanc
monomachiam, in iis pernegandis quæ Dæmon improbabat, totum
se ad nutum docentis conformasse Lutherum.

Verum, antequam probationis nostræ firmamenta, suffugiis

Adversariorum constabilita non eversa comprobemus, inanes stupparit

Mallei ictus, quibus aciem rationum nostrarum hebetat, elidamus.

DIVERTICU- *Principio igitur, Illud toti controversiæ facem præferre, inquit,*

LUM I. *quod non externum fuerit hoc Lutheri cum Diabolo colloquium,*

Mall. fol. 61. *sed occulta conscientiæ lucta. Quocirca, ampio in me boatu sordium*
eluviem vomit, quod Familiarem Lutheri cum Dæmone congressum
alicubi nominarim. Hoc quanquam dissimulare potui: provocare
tamen, veritati detegendæ opportunum existimavi. Multo ante præ-
monueram in Peniculo, nihil ad institutam disputationem attinere,
seu externa ac aspectabili forma, seu intimo afflatu nocturni Lemu-
res, perennibus tenebris horrendi specu exciti, Lutherum informarint.
Nam utut ista se habuerint, Duo illa quæ proposui si evincimus,
salvæ sunt vires probationis nostræ, Tartareæ vocationis Lutheri
fraudes patent: Sive enim per aurium fenestras in cor Lutheri Satan
permearit, seu interno allapsu novitii dogmatis fætu animum gravi-
darit, nihil referre existimo. Quanquam nec ipse Malleator diffitetur,
id quod in Peniculo dixeram, in Latina Iusti Ionæ versione illud.

Mall. fol. 50. *In CORDE MEO, desiderari: in æditione tamen Germanica reperiri.*

Latini ac Germanici tomi dissidium, fraudem prodit. Certe Ionas
causam non habuit, cur verba faventia dispungeret: habuere ceteri,

cur impendio curarent, ne scena propudosæ scholæ patefieret, sed trium vocularum assumpto dedecorata Lutheri cum Dæmone consuetudo, excusationem centonibus velaretur.

Superciliose et cum contumelia me nominas, quod Familiarem Lutheri cum Dæmone congressum memorarim. Ne ringere: sed vacivas mihi aures præbe, audies de nocturni Gymnasiarchæ sociabili cum Luthero convictu, quod frontem vestram serena venustate lætabit. Fidus ille meribibili vestri Achates, potulentus Aurifaber, mensæ Lutheri decidua, ne perirent, collegit accurate. Et quamvis dictorum, ac factorum occasiones omnes ab eo recitatas non esse tute mones: fidem tamen hominis elevare non audeo. *Hunc igitur, quid ex ore Lutheri, nocturna occursacula, bustorumque formidamina non exhorrescentis manserit, ipsius verbis in Latinum conversis accipe:*

¹ In cubiculo ubi dormio, semper inambulat mecum Diabolus, comitatus aliis duobus Diabolis, qui visibiliter apparent insidiantes. ² Singulis noctibus cum excitor, Diabolus vult mecum disputare, expertus sum, quod si illud Argumentum non valet, quod Christianus est supra legem, et sine lege; tunc Diabolum ventris crepitum abigendum esse. ³ Si me tentat Dæmon propter mea peccata; respondeo: mi Diabole, implevi caligam, nunquid et hoc ad cumulum meorum peccatorum adnumerias? ⁴ Cum nocte ad me venit Diabolus, respondeo: apage te: dormiendi nunc tempus est. Sin instat, respondeo: mi Diabole, audivi catalogum peccatorum, adhuc habeo, quod nondum posuisti, cacavi in caligas, hoc etiam refer in numerum peccatorum. Si adhuc non cessat, respondeo; sancte Satana, ora pro me. ⁵ Cum Diabolus nos tentat, respondendum est illi: mi Satana, quare tentas nos? tamen nihil contra te peccavimus. ⁶ Cum nocte expurgiscor, statim adest Diabolus, et disputat, variasque cogitationes parit: tandem dico illi; Osculare posteriora mea, non est enim, ut tu blatteras, Deus ixatus mihi. *Habes pura et domestica Lutheri cum Dæmone colloquia, habes arma militiae Lutherance. Litaniae, et nullo unquam violata dissidio Dæmonis fædera, habes.. Ego quod animo hoc clausum gero, libens promam. Si Lutheranus essem, illamque Lutheri cum Dæmone disputationem, hos congressus quotidianos legerem; omnia quæ Dæmon suasit longa illa disputatione, probari Ministris animadverterem: nullæ me machinæ, nulli Prædicantium insidiosi sermones retinerent, quin sequius de fide Lutherana opinarer, damnatoque una cum auctore Lutheranismo, ad castra Catholica convolarem.*

¹ Coll. Mensal. fol. 63.² Isleb 1566.³ Gaubisch. cap.⁴ 25. de Dæmo-⁵ ne. fol 304.⁶ Ibid. f. 280.⁷ Fol. 286.⁸ Cap. 27. de⁹ Tentat. f. 313.⁵ Fol. 316.⁶ Cap. 25. cita-⁷ to f. 302.

- DIVERTICU- *Leves ratinuculas, velut ingentes columnas excitat deinceps*
LUM II. *Tubalcain, quibus rupeam molem defensionis Lutheri imponat:*
- Mall. fol. 51. Crebra, *inquit*, docentis consuetudo metum adimit, et quo doctore utimur, eum non repellimus. At Luthero, et sudor erupit, et cor palpitavit in hac concertatione, et Satanam repellere nisus est.
- ¹ Hebr. 12. ^{v. 22.} *Moyses, cum a Deo informatur, tremit. Paulus Apostolus, dum eruditur, horret: Et miraris, si quolibet caminoverra tetriorem monstrifica specie Diabolum Luther conspicatus, palpitat? Si erectus horret crinis, impulsus adhuc, Stat terror animis, et cor attonitum salit, pavidumque trepidis palpitat venis iecur? Julianum audies,*
- Infra. c. 4. Alo- ^{giæ. §. 1.} *ultro Dæmonis consuetudinem expetivisse: et viso tamen horribili spectro, percussum trepidasse: Magos ac Lemures hoc metu liberos, Scriptores negant, nec Averni accolæ. et si assiduus illis cum Dæmone convictus, horroris expertes degunt. Erras, Tubalcain, si Magistrum Tartareum non atrocerum Tyranum, sed lenem ac placidum doctorem cogitas. Et forte an Diabolus in eam domesticæ consuetudinis societatem, quam ex Colloquiis Mensalibus audivimus, ne cum se insinuaverat, cum frigidus erupit sudor, et verbere cor palpavit?*
- Aug. Tomo 10. *Restitis vero initio Lutherum non abnuo, ut et Eva obluctata serpenti: quia vero uterque victas tandem dedere manus, Diabolo sese informandos tradidere, recte etenim Magnus Antistes: Quem vicisti, si durus non est, docuisti.*
- QUO TEMPO- *Saxum hic immanni magnitudine procerum, et inaccessa sale-*
RE DÆMON *britate lubricum obicit Tubalcain, quo cursum Argumentationum*
disputat cum *mearum remoretur. Contendit, ante monomachiam Diabolicam, eorum*
Luther? *quæ Dæmon dissertavit scientem fuisse Lutherum, et longum Ecclesiæ Romance vale dixisse. Idque potenter comprobaturum se recipit*
ex Epochæ Annorum, quibus Lutherus Missas peregit: Quindecim
- Mall. fol. 55. *annis Missas celebravit Lutherus. Prima igitur eius Missa fuerit,*
57. 61. *quam anno ordinationis suæ, hoc est, 1507. habuit. Quintusdecimus annus incidet in annum 1522. quo certe Lutherus Romanæ Ecclesiæ discipulus non fuit. Tucetum ariolabar ex verborum pompa,*
sed tu mihi Hecales anus cœnam apponis. Gratas tamen tibi gratias supplicue persolvo, quod huc me vocas. Videbis, quam verecunde ac pudenter frontem hic in me desideres. Audisis, amabo, incrementa erroris vestri: Casu, non voluntate, nec studio in hunc confusionis labyrinthum sese Lutherus dedit, odio ac invidia exæstuans, quod sui ordinis hominibus Indulgenciarum publicatio commissa non esset.
- Luth. Praefat. *Primum omnium, Anno 1517. pridie festi omnium Sanctorum,*
Tom. 1.

Theses contra Indulgentias affixit, nihil adhuc somnians de mutatione rituum. Promisit enim Cardinali Cajetano silentium, si adversariis etiam silentium indiceretur. Qua ex re intelligi potest, tunc nondum eum decrevisse alia movere certamina. *Postquam egregium egregii turbonis exemplum dederat Lutherus temeraria hac disceptatione, Principum ac plebecculæ aures opplere cœpit sordibus, quas in Ecclesiastico ordine, vel vere, vel false exundare disputabat: nimias opes, licentiæ incitabula, Sacerdotibus adimendas; popellum, legibus ad emungendam pecuniam excogitatis, exsolvendum; non sine plausu, et secunda admurmuratione iactabat. Fautores, ac fotores nactus, ita Indulgentias insectabatur, ut et cucullum retineret, et Missas ac cetera solenti more obiret.* Quocirca, Anno 1518. die S. Trinitatis, literas ad Leonem Papam dedit, ¹ quibus Beatissimi Patris pedibus advolutus, occidi se et vivificari, approbari et reprobari sinit, vocem Pontificis, vocem Christi in eo præsidentis agnoscit. In sequenti anno 1519. Altenburgo rursus, *tertia Martii, hunc in modum scribit:* ² Beatissime Pater, coram DEO, et tota creatura testor, me neque voluisse, neque hodie velle Ecclesiæ Romanæ et Beatitud: vestræ potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri, etc. quod unum facere possum, Promitto Beatitud: vestræ, istam de Indulgentiis materiam, me deinceps relicturum, penitusque taciturnum: modo et Adversarii mei suas ampullas contineant. *Postmodum anno 1520. die 6. Aprilis,* ³ eandem Pontifici cantilenam occinit, perpetuoque se damnat silentio, ³ dum ipsi quiescere per Adversarios liceat. Verum, ubi proterve cœptam de Indulgentia disputationem urget, bullasque Pontificis ustulat, demum ⁴ Anno 1521. die 8. Maii, Cæsar publico Edicto Lutherum proscripsit. Fridericus Saxonie Princeps, in locum secretiorem, vitandi periculi causa Lutherum deduci iubet. In hac solitudine, de abroganda Missa privata, librum suis Fratribus Augustinianis inscritbit. Cœperant Augustiniani tunc omnium primi intermittere ritum Missarum. *Habes, Tubalcain, Lutherum usque ad hunc 1521. annum, Romano Pontifici obsequentem, cucullatum, Missas peragentem, habes, hoc primum anno, quo de abroganda Missa scripsit; intermitti cœptum ritum Missarum Catholicum. Ordire iam ab Anno 1507. quo primum sacris operatum scribis Lutherum, eum ipsum annum primo loco numera, (ut moris esse, vel ipsa Christi Domini triduana mors te docebit) reliquos deinceps attexe: videbis rotundo numero, ad annum 1521. quindecim ipsos decurrisse, quibus*

Melanch.
Praefat. Tomi 2
Luth. ædit.
1546

¹ Luth. Tom. 1.
Lat. Vitt. 1545.
f. 101.
Sleidan. lib. 1.
Ann. 1518.

² Lut ibid.
fol. 235.
Sleidan. lib. 1.
Ann. 1519.

³ Luth. Tom. 2.
Vol. 1546.
fol. 2. Epist.
ad Leon.
Sleidan. lib. 2.
anno 1520.

⁴ Sleidan. lib. 3.
ann. 1521.

Lutherus Missas peregerit, annos; quos et Dæmon pertinaciter obiectat, et Lutherus silentio conprobavit. Quæ omnia, non obscuris indiciis, sed intento quasi digito mostrant, eo ipso Anno hunc Lutheri cum Diabolo congressum fuisse, quo Missæ intermissæ, tertio a Lutheri inauguratione lustro. Sed ad Spartam nostram redeamus.

Ex ipso Diabolice disputationis decursu valide comprobaram, eorum, quæ Diabolus urserat, ¹nihil dum credidisse Lutherum cum in arenam descenderet. Quam a veritate instructæ probationes nostræ fuerint, clarius cognoscet, si, quibus Tubalcain nervos probationum incidere molitur, languida et exsucca conspiceris. Et ut summatim colligam, ad mutillas Adversarii tergiversationes, Tria respondet:

² Mall. fol. 52.
⁵³ ad 1. et
2. Arg.

I. *2Lutherum, cum ad excusandam Missæ idololatriam Scriptura destitutus esset, non invenisse quid opponeret, idcirco argumenta Papistica arripuisse. Quia ergo imiti visus Lutherus suæ Ordinationi, hoc ipsum telum extorquere intendit. Diabolus. At hoc est, o bone, quod quærebam. Quid necesse fuit, Missam excusare, si et tu spurco ore ructas, Missam idololatriam existimavit? cur inniti ordinationi, cur se opponere Satanae vera loquenti? cur manibus Episcopi delibutum se dicere oportuit? cur Ordinationem hanc falsam esse tanto orationis lenocinio disputavit Satanæ, apud eum, cui hoc iam exploratum intelligebat? Arma tu contra illum arripis, qui tecum facit, et quod tu probas, contendit? Tela ab hostibus cum adversantur, peti, suo, inimicum ense iugulari posse, non abnuo: at vero est nihil ad limam consilii agere. Hostis aderat Luthero, et hostis omnium immanissimus: iugulum, imo animam petebat is, et se tueri, et hostem ferire parat: sed quibus tandem armis? Si Tubalcaino credimus, iis ipsis, quæ et inutilia, et prorsus ridicula cognoscebat. In tam serio, tanti discriminis prælio, cur aliis quæ suppeditabant, novis, propriis, utilissimis armis non decertat? quis in atroci certamine, cum aliter possit, pessime se tuetur? quis pro casside mitellam, pro hasta iuncum, pro gladio stipulas eligat? Goliathum David petebat, Regia illi Saulis arma oblata: sed quia iis non assueverat, ignobiliora maluit, propter usum tamen certiora, et Lutherus Papistica arma arripit, hoc est, oneri potius quam tegimini apta? Hic igitur Rhodus, hic saltus erat, Prædicans: ut explicares, et cur repugnarit, et cur Papisticis argumentis decertarit Lutherus, si certa ac explorata illa credebat, quæ a Dæmone afferebantur. Verum tu hic, ut et alibi, attonitus et mutus hæres.*

Mall. fol. 53. ad
3. et 4. Argum.

II. *Criminatur, A Patre mendacii mutuari me argumenta;*

cui tamen, nec vera dicenti credendum, ipse dispergo. Et ne investita responsio frigesceret, probris undique convestit, plenisque in me catarrhactis sycophantice scurratur. Verum, ne te clam sit Praedicans, non ego robur Argumentationis in eo nude fixi, quod Dæmon affirmet Lutherum, circa illud ipsum disputationis præsens tempus, solum in angulo comedisse, nemini communicasse: sed in eo, quod cum hæc in os ac faciem Luthero dicantur, inficiari non audet, sed ingenuo silentio comprobat. Quin et exserte ipsius personam Præoccupatione Rhetorica induitus Dæmon profitetur, Seipsum sumere, aliis non porrigit Sacramentum. Et, si septenarium Sacramentorum numerum iam tum Lutherus exploserat, cur tacet? cur non apertum Diaboli mendacium generose aspellit? cur sepiem illa Sacra, sua non esse dicit? Coniecturam ex te capias, Tubalcain: Si idem ille Doctoris tui Doctor, nocte concubia te adoriatur, exagitetur, et, si ita vis, ex arce spei deturbatum eat, propterea quod Catholica sacra, quæ pridem eiurasti, variosque quos damna errores, te propugnare dicat: an ad alia quidem interlocutus, ad hæc sola reticeres? an quos aspernaris, propugnares errores? Quod tu homulus in re simili facturus non esses, cavesis Lutherum tuum adeo delirum putas, ut facturum ipsum arbitrere.

Verum, Verba quoque præteriti temporis illo certamine usurpavit Diabolus: Non recte credidisti, contra ordinem Christi consecrasti, solus sumpsisti, nemini porrexisti. Ex quibus concludi vult Tubalcain, iam tunc Missas angulares, missas fecisse Lutherum. Edentulum vertiginosi capitum morsum! adeo hospes est in rebus humanis Tubalcain, ut ignoret, ea in re, quam annis pluribus factitasti, et etiamnum frequentas, verbis præteriti temporis uti licere? Ore maledico multa Tubalcain in avitam fidem bacchatum dico, num idcirco furere iam desiisse dico? Vixisse te quadraginta annos dico, vivere desiisse non dico. Recte igitur ego conclusi, non reluctantate Luthero obiecisse Dæmonem præsentis etiam temporis vocibus, quod solus Missas peragat: nondum igitur supremum Catholicæ veritati vale dixerat. Invalide tu verba præteriti temporis aucuparis, falsitati tue asserendæ.

III. Denium: Idcirco ait Tartareum Magistrum a Lutheru non exclusum, licet vera, nec ignota Lutheru caneret: Quod et in tantis augustiis præ horrore toto corpore sudarit: et quæ suggerebat vera Diabolus, suspecta facere niteretur. Vah, quam belle, quam terse! Mirum, si has Lutheri vindicias, et Colossi, et Pyramides, et

erecta Tubalcaino trophæa non sequantur. Adeste millia cachinnorum, favete sannis. Lutherus pallore buxeo anhelans, et sudore pertitus, imoque e pectore cruciabilem suspiritum ducens, tertiata verba semianimi voce substrepere non potest, cum pro se, pro agnita Veritate dicendum est: at vero adversantium hyperaspisten agere, Sacrificii Papistici, et Unctionis Episcopalis vindicem se exhibere potest? Metus interclusit fauces, singultuque crebro sermonem interficere, ac verba devorari coëgit, ne quod animo clausum habebat, ore promeret: at vero, ut fingeret, et quæ improbabat propugnaret, linguatus est, loqui audet? Metuit ne circumveniatur: eapropter, quod animitus improbat, ore approbat; quod damnat, vindicat, notæque Veritati reluctatur? Abi, inconsidératae Faber, et ad aram aliquam depudentiae anathemata ignorantiæ tue suspende.

DESPERA-
TIONEM ne
Lutheru dæ-
mon suasit?

Verene Lutheru restem suaserit, laqueumque nexuerit Diabolus; idne egerit verbosa illa disputatione, ut Lutherus spe salutis abiecta, ultimæ desperationis barathro se demerget, disputare incipit Tubalcain: ita tamen, ut quod de spei Lutheranæ naufragio mordicus tuetur, ne levissimo quidem indicio probandum sibi existimet. Ego tametsi referre magnopere non existimem hoc pressius urgere, cum ad infractum argumentationis nostræ robur sufficiat, Lutherum, cum in arenam descenderet, secius de rebus in disceptationem adductis sensisse, quam postea: tamen multis, ac magnis indiciis testatum feceram, conclamatæ salutis opinionem hac disputatione Lutheru non obiectam. Sed et hic truncata, exdorsata, elumbata, fœdoque dictionis lurore perfusa repræsentat Tubalcain nostra firma- menta. Primi argumenti illationem, velut alteram probationem, iugulat. Quintum, sextum, septimum argumentum, verecundi silentii tacita confessione comprobat. Tu Lector, suo succo ac sanguine plenas probationes, Peniculo vide. Ego carptim difflabo, quibus eludit non elidit nostrorum telorum iactum.

1. Argum.

Argumentum anceps initio proposui, quod imperite divellit Tubalcain, geminasque in partes findit. Si iugum Catholicæ veritatis excusserat Lutherus ante hunc conflictum, fideque illa speciali ditatus, tam de sua salute certus erat, quam Christum pro se oppetiisse persuasum habebat: certe, recordatione errorum e quibus emerserat, hilarari mens potuit, desponderi non potuit. Si vero necdum Papisticas tenebras depulerat: certum porro, ne latum quidem unguem, postmodum a Diaboli sermibus recessisse; faten- dum est, minerval a Lutheru exsolvendum Diabolo. Respondet

Tubalcain: Eadem omnia ante hanc luctam credidisse Lutherum, Mall. fol. 57. æditus anno 1521. liber, de abroganda Missa privata testatur. Ut ergo Christum Diaboli discipulum nemo nominat, tametsi DEI filium non semel fassus est Diabolus, ita nec Lutherum. *Pro comperto sumis, luctam hanc post annum 1521. accidisse, quod ne levissimo quidem indicio asseris.* Ego contra, non obscuris coniecturis approbavi, eodem ipso anno, quo et Missæ intermitti cœptæ, et scriptus liber quem memoras, hanc Diabolicam disputationem contigisse; *Siquidem, is ipse annus est Quintusdecimus, ex quo Lutherus Missas facere consueverat.* Si porro ante arenæ huius ingressum nota erat Luthero Catholicorum idolomania, cur in huius unius probationem Dæmon incumbit? cur anchoram spei non quatit? nonne ridendum ac pudendum, si aliquo sermone, quod ab altero iam creditum magno conatu probes, quod a reluctante approbari cupis, id ne verbulo quidem memorare? Et quæ, malum! est supina hæc tua hebetudo, ut parem Christi et Lutheri causam facias? an obluctatus Salvator veritati quam Dæmon dixit? Silere Satanam vera dicentem iussit: prolatam ab eo veritatem oppugnatum non ivit. Lutherus contra, longissime fabulantem patulis auribus excipit, contra disputat, ac armis quibus potest sermones illius retundit, post singula quæ audit, probat.

Annectit Tubalcain: Ideo ad desperationem tentatum Lutherum, Quod missa falsa Religione, rectum Fidei callem ingressus sit. Nam ad servitium DEI accedentes, temptationibus exercendos Scriptura docet. Verum, alio mea Argumenta spectant, quam quo tu trahis. Non nego, telis igneis inimici expositos qui resipiscunt, illud urgeo, commemoratione veteris delicti, de quo emersisti, cuius tibi veniam factam Fide illa speciali Lutheristica certo tibi persuasisti, nullam desperandi ansulam porrigi. Dic enim Tubalcain, desperationis laqueos nexuit Apostolus, cum Romanis fidelibus, vel inanissimorum Numinum venerationem, vel informes peccatorum formas, quibus antea mersi erant, et fœda, et devota Diti flagitia esse comprobavit? dic, quem imquam lethifera ista desperatione aggressus Dæmon, ob agnita et obiectam impietatem? Alia longe fuere, quibus sœpicule Lutherus peculio Proserpinæ, et orci familiæ pæne annumeratus. Ipsum audi, statim a Diabolica hac disputatione suos angores propalantem: Quoties mihi palpitavit tremulum cor, et reprehendens obiecit: Tu solus sapi? totne errant universi? tanta sœcula ignorarunt? quid si tu erres, et tot tecum in errorem trahas damnan-

Luth. tom. 2.
Lat. Vitte.
1546. de ab-
roganda Missa
privata, f. 257.

dos æternaliter? Vides, quæ cura coxit Lutheri præcordia? Quod Catholica Sacra extirbarit, turbatur, ac pæne obrutus mærore barathro mergitur.

II. Argum.
Urseram illud pedeppressim: *Dæmonem ipsum, quid laciniæ disputationis anfractibus voluerit, quem ad scopum collimarit, declarare: Ut enim in ingressu disputationis, propositionem orationis suæ verbis illis figit, Quid si Missæ privatæ essent horrenda idolatria? ita in Argumentorum conclusione, in qua potissimum explicare solent, qui suadent aut disputant, quo spectent: Ego, inquit Diabolus, nunc hoc urgeo, te non consecrasse; nulla spei, nulla desperationis mentio; Fidei capita oppugnare se profitetur. Punctim Mall. fol. 57. me hic Tubalcain perurget: Ubi conclusio? an inter dentes et labra? cur reticet? cur occultat? Ah, contine dexteram, cædibus fessam, telaque sanguine rubiginosa iam conde Victor. Dicacule: te ego sani capitis hominem iudicem? Disputamus, Idne quod tu somnias urserit Diabolus; nimirum, res Lutheri in acie novaculae esse: an contra, illud presserit; Lutherum, utut se ordinatione fideque Ecclesiæ tueatur, revera non consecrasse, ordinationem Episcopalem evanidam esse. Disputator ipse scopum in hoc postremo figit, ad quem omnia tela iaculetur, quam tu a me aliam Conclusionem quæris? Quod si Dæmon ipse diserte dixisset, Ego nunc hoc urgeo, ut desperes; dubitares de scopo disputationis? etiamne argumenta corraderes, quibus Luthero desperationem non suasisse contenderes? Aperte profitetur Diabolus, id se apud Lutherum urgere, ut intelligat, ordinationes, Consecrationes, Missas Catholicas, improbandas esse: et tu necdum assequeris, quid Dæmon velit?*

III. Argum.
Adiuncta quoque ac annexa disputationis, suspicionem omnem excogitatæ ob veterem Idolomaniam desperationis eluere dixeram. Multa hic sycophantice cavillatur Tubalcain. Summa est: Nulla se Mall. fol. 58. adiuncta videre, quæ aliud quam Lutheri desperationem Dæmoni propositum ostendant. *Iam bardos Prædicantes non arbitrabar, ut nihil per se videre possint. Ex Adiunctis, ut tibi gratum faciam, paucula percensebo: I. Qui scelerum recordatione spem venie abrumpit: Iudicis clementiam non memorat, nec temere conceptam de illius crudelitate sententiam damnat; quin totis ingenii nervis, lenitatem illius extenuat, iras exaggerat, ut implacabilem et inexorabilem illum credas, ut omnes Divinæ misericordiæ fontes tuis fœditatibus obstructas intelligas, adlaborat. Ex his enim sensa illa desperantis Genes. 4. v. 13. extunduntur: Maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear.*

Nam si clementem memoras quem læsi, bene sperare, non, abiecta spe, fluctuare iubes. Atqui Dæmon, in huius ingressu disputationis, Christi misericordiam memorat; et, quod Papistæ severum ipsum ac crudelem Iudicem arbitrentur, damnat. Hoc igitur adiunctum, figura desperationis vestræ submovet quam longissime. II. Qui spei anchoram erectum it, non ea commemorare solet, quæ passim a plurimis ut sancta et bona approbantur, quæque sanctitate, doctrina, multitudine sequacium, vel dubia adhuc, vel etiam excusabilia haberi possunt: sed ex omni vita insignia deligit flagitia, quibus nulla excusatio possit obtendi, tum demum, ea quæ scelus minuere possent, elevat ac dissipat universa. Atqui horum nihil a Dæmone factum videmus. III. Adnumera verbatim singula Diaboli dicta, Nullum in his omnibus indicium, ex quo fiduciam divinæ misericordiæ concuti existimes. Tu me rideas, si Dæmonem id egisse dixero, ut Lutherus Episcopum, a quo ordinatus; Papam, cui subiectus fuerat; ut Carolum Cæsarem, ac ceteros Catholicos, privatas Missas audire solitos, qua vi, qua dolo perimat. Et tamen nullum tu disputationis verbulum profers, ex quo desperationem rectius colligas, quam ego perduellionem. Habet e multis paucula adiuncta, quæ lincei tui oculi pervidere non potuerunt.

Illud demum presseram: Nullam vel apertam, vel occultam insinuationem desperationis haberi, in tota Dæmonis cum Luthero disputatione. Hic Tubalcain velut externatus bacchatur, contortisque superciliis, exitiabile et amarum renidens, totis in me convitiorum cornibus incursat: Ostendis, inquit, oculos tibi aut frontem deesse: Mal. fol. 58. sed falso, ut os tuum incircumcisum dedoletur. Eho! quid adeo feroci? Siste paulisper rabiosum impetum, et petulcam probrorum falsissimorum libidinem comprise. Dolabram profer, quam examussimos meum dolabrabis. Non legisti, noctua, verbum Desperationis ter in historia expressum? Salivosa labia, temulenta dehonestamenta vomentia! non te tot calumniarum tandem dispuduit Tubalcain? An dum hæc scribebas, non quicquid usquam est Lemurum, quicquid larvarum, observabatur? O cæcum et ebrium seculum, quod et tam probrosis calumniarum portentis saginatur! Audi Tubalcain, quid tornato jam et examussato ore proferam. Dixi antea, et nunc itero, nullam, prorsus nullam, nullam omnino in tota Diaboli cum Luthero disputatione, nec quoad vocabulum, nec quoad rem, Desperationis fieri mentionem. Satin' clare? Sed aures obseratas nec quicquam obtundo. Si percitus furor aures hebetavit,

IV. Argum.
quod in duo
dividit Tubal-
cain.

oculis crede, Tubalcain. Lege, perlege, relege, Disputationem hanc totam, a vertice ad calcem, si ulla ibi de Desperatione vocula, in honesti Calumniatoris probro solutus esto. En fraudes tue hiant, Tubalcain, detersum est mendacium, veritas interversa se effert, et velut alto barathro calumnias emergit. Recitata enim superius fideliter Dæmoniaca disputatio, testimonium pro me dicit, nullam illic Desperationis mentionem esse. Non diffiteor, recitata disputatione, submurmurare aliquid Lutherum de Desperatione: neque tamen verbum a Diabolo factum de spe abiicienda, pec se ad animum despondendum incitatum narrat, verum, mihi sermo de ipsa Diaboli disputatione fuerat, non de tui Caci fumo ac caligine, quo Scholarum suum occultare molitur.

Vidisti, Lector optime, et miratus es, in re tanta ac tali, frigidas blenni istius evasiunculas. Audisti criminationes, quibus me prægravat, quod in congressu ac lucta Diabolica factam desperationis mentionem negaveram. Et tamen pauculis interiectis, idipsum fatetur ipse; Diabolumque Rhetorico artificio occultasse dicit quod volebat:

Mai. fol. 59. *Nam, et cum Christum tentavit, Desperationis non meminit, nihi lominus eum sibi scopum præfixum habuit. Et quis hoc neget, cum in Evangelio secundum Lutherum, conceptis verbis expressum legatur? Nullam videtur Tubalcain nosse temptationem, nisi quæ ad desperationem prolectet. Forte an, quia Prædicantes sibi concii, quod*

Rom. 1. v. 23. *Veritatem DEI commutent in mendacium, creberrime hoc ariete pulsentur? Nimium porro te peritum esse oportet Rheticæ, qui ab Oratore, tacito silentio dissimulari vis, quod persuadere conatur: ita nempe tu, si bellum suadere aggrediaris, nec ullam tamen vel apertam, vel occultam belli insinuationem facias, officio tuo probe perfunctus iudicabere a viris sapientibus.*

Mall. fol. 63. *Cetera quæ subnectis, eiusmodi non sunt, ut novis ad ea retundenda machinis opus habeamus. Nam quod ex Hasenmullero, Divam Virginem a nobis ut lenam et lavernam haberi dementis, artem tuam factitas, obesamque pseudologiam scurrili Blasphemiae consocias.*

Mall. fol. 62. *Pontifices quosdam, Dæmonis consuetudine infames iactas. Non dispergo, falsane sint quibus in hoc genere subsellia vestra perstrepunt. Nosti cœcam et prorsus exoculatam esse fortunam, quæ contrarias nobis opiniones non raro attribuit, ut et malus boni viri fama glorietur, et innocentissimus contra, noxiorum ore plectatur. Et de Gregorio quidem septimo, seu Hildebrando, mentiri Prædicantes*

accurate probat Bellarminus; de Sylvestro secundo, Baronius: de Alessandro, Benedicto, et Paulo, quos tu memoras, autorum, qui fidem mererentur, silentium. Illud ego hic unicum dico, si qui forte infami se Cacodæmonum societati addixerunt, Doctrinæ nostræ primi Inventores non fuere: nec ea quæ publice docuerunt, e Dæmonis pellaci suadela suxerunt, ut Prædicantium Parens Lutherus.

Bellar. li. 4.
de Pontif.
cap. 13.
Baron. tom. 10.
anno 999.

Postremo, sola obloquendi prurigine stimulatus, improbas quod dixeram, Lutherum post congressum Avernalem, ea omnia et comprobasse, et ad posteros propagasse, quæ disputando mendax Magister urserat, et improperas mihi nescio quos mendaciorum ructus. Ego, si recte meministi, in eius rei comprobatione, quam secundo loco evincendam sumpseram, nihil aliud dixi, quam, Lutherum post hunc sermonem credidisse, docuisse, ad pedissequos suos propagasse, quæcunque Diabolus de Missa, de Uctione Episcoporum, de rebus ceteris disputarat. Id tu adeo non negas, ut (quod falsum esse iam comprobavimus) etiam ante monomachiam ea omnia credidisse Lutherum contendas. Verum tu cæco ubique raptaris impetu; nec quid ego dixerim, sed quid calumniis tuis opportunum affricare mihi valeas, circumspicis. Interim tu Lector, notabis, Prædicantium adversus Veritatem connexus, aliud non esse, quam ad solidam rupem allisos fluctus, nec elui, sed firmari frigidis Malleatorum cavillis Dæmonodidacti Apostatae dedecora, evanidamque Lutherani Ministerii paraturam.

Mall. fol. 60.

PENICULI CAP. IV.

Rectissime ab Illustriss. Cardinali dictum, spisis Erroribus doceñdis adstringi Superattendentes.

Iam antea diximus, illud quoque Solnensi Conventui placuisse, ut Omnes qui Ministerio initiantur, libri Concordiæ placitis, animas suas æternum devoveant. Quia igitur amorphus ille liber, manifestis Mendaciis, turpissimis Antilogiis, ab omni humanitatis, nedum Christianitatis sensu alienissimis scatet erroribus: iure meritoque Bonus Pastor Synodo reclamat, cuius autoritate, deflendi omnibus lacrymis Prædicantes, ad errores Concordiæ propagandos adstringuntur, magnitudinemque Christianæ dignitatis ignorantibus, servili vitio, Mendacio se addicunt.

MENDACIA
Concordiæ.

Ne quis vero hæc temere dicta existimet, exempla dabo:

Mendacium igitur clarissimum est: I. Quod liber Concordiæ ait, ¹*Non prohiberi apud suos, orationes pro defunctis*, et quod paulo post iterum subnectit: *Aërio, qui orationes pro mortuis inutiles dixit, non patrocinari Lutheranos.* II. Pingue et illud, obesumque mendacium est: ²*Catholicos fingere Christum duriorem esse, et Sanctos placabiliores; et fugientes Christum, quererere Sanctos.* Ut enim Apostolus Paulus, dum fideles rogat, ut pro se exorent Dœum, placabiliores fideles Christo non censuit: sic nec nos, dum regnantes cum Christo Sanctos, ut pro nobis exorent, deposcimus.

³Fol. 311. 312. III. Crassum est et illud: ³*Papam vendicare sibi potestatem mutandi Sacra menta et doctrinam: suamque potestatem vult præferri sacris literis, mandatis Dei.* IV. Crassius quod annexitur? ⁴*Papam gloriari; iustum esse, quidquid ipse iubet, etiamsi supra, et contra Scripturam aliquid statuat.* Scatet aliis mendaciorum portentis Concordia illa: Et tamen sacramenti religione capita sua hisce exquisitis mendaciorum pulpamentis devovent Prædicantes. Et, quod caput rei est, si quid uspiam boni latitat in Libro Concordiæ, id isti pro sua Prædicantica conscientia negligunt, et æterno silentio obvolvunt. Quotusquisque enim est Prædicantium, qui ex Libro Concordiæ suis præscribat, ⁵*ut mane, ac vespere, signo sanctæ Crucis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, se muniant?*

Quis Dominicam orationem ita dicendam, ut Concordia non semel docet; ⁶*nimirum, ut clausula illa, Quia tuum est regnum, potentia, et gloria intermittatur?* Hæc, aliaque quamplurima, recte, et ex usu Catholico in Concordia tradita, insalutata abire sinunt Prædicantes; et ut scarabæi fimetis, sic ipsi mendaciis incubant, amurcam et analecta colligunt.

ANTILOGIÆ. Antilogias Concordiæ, summa a seipsa diaphonia dissidentis, quis recenseat universas? Unum, alterumve exemplum accipe, ex quo de ceteris innumerabilibus coniecturam facito: I. Audivimus non ita pridem, orationes pro defunctis non prohibere, nec inutiles dicere, Concordiam: Et tamen alibi, ⁷*Purgatorium, meram Diaboli larvam esse, clamitat.* II. Missam religiose retineri apud suos, ⁸fatetur Concordia: Et tamen alibi, ⁹*Missam horrendam abominationem, Draconis caudam, multiplicis idolatriæ parentem, vociferatur.* III. Mentitur, Catholicos docere, ¹⁰*Frigidis observationibus ab hominibus excogitatis, mortem aboleri:* Et tamen alibi; ¹¹*Fatentur, inquit, adversarii, quod satisfactiones non prosint ad remissionem*

¹Libr. Conc.
ædit. Lipsiæ
anno 1580.
fol. 247.

²Fol. 202. *obesumque mendacium est: ²Catholicos fingere Christum duriorem esse, et Sanctos placabiliores; et fugientes Christum, quererere Sanctos.*

Ut enim Apostolus Paulus, dum fideles rogat, ut pro se exorent Dœum, placabiliores fideles Christo non censuit: sic nec nos, dum regnantes cum Christo Sanctos, ut pro nobis exorent, deposcimus.

³Fol. 311. 312. III. Crassum est et illud: ³*Papam vendicare sibi potestatem mutandi Sacra menta et doctrinam: suamque potestatem vult præferri sacris literis, mandatis Dei.* IV. Crassius quod annexitur? ⁴*Papam gloriari; iustum esse, quidquid ipse iubet, etiamsi supra, et contra Scripturam aliquid statuat.* Scatet aliis mendaciorum portentis Concordia illa: Et tamen sacramenti religione capita sua hisce exquisitis mendaciorum pulpamentis devovent Prædicantes. Et, quod caput rei est, si quid uspiam boni latitat in Libro Concordiæ, id isti pro sua Prædicantica conscientia negligunt, et æterno silentio obvolvunt. Quotusquisque enim est Prædicantium, qui ex Libro Concordiæ suis præscribat, ⁵*ut mane, ac vespere, signo sanctæ Crucis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, se muniant?*

Quis Dominicam orationem ita dicendam, ut Concordia non semel docet; ⁶*nimirum, ut clausula illa, Quia tuum est regnum, potentia, et gloria intermittatur?* Hæc, aliaque quamplurima, recte, et ex usu Catholico in Concordia tradita, insalutata abire sinunt Prædicantes; et ut scarabæi fimetis, sic ipsi mendaciis incubant, amurcam et analecta colligunt.

ANTILOGIÆ. Antilogias Concordiæ, summa a seipsa diaphonia dissidentis, quis recenseat universas? Unum, alterumve exemplum accipe, ex quo de ceteris innumerabilibus coniecturam facito: I. Audivimus non ita pridem, orationes pro defunctis non prohibere, nec inutiles dicere, Concordiam: Et tamen alibi, ⁷*Purgatorium, meram Diaboli larvam esse, clamitat.* II. Missam religiose retineri apud suos, ⁸fatetur Concordia: Et tamen alibi, ⁹*Missam horrendam abominationem, Draconis caudam, multiplicis idolatriæ parentem, vociferatur.* III. Mentitur, Catholicos docere, ¹⁰*Frigidis observationibus ab hominibus excogitatis, mortem aboleri:* Et tamen alibi; ¹¹*Fatentur, inquit, adversarii, quod satisfactiones non prosint ad remissionem*

*culpæ. IV. Docet alicubi; ¹ Scholasticos Theologos tribuere naturæ humanae integras vires ad diligendum Deum super omnia: Et tamen alibi; ² Ipsi Theologi, ait, in Scholis tradunt, fiduciam erga DEUM, timorem, et amorem DEI, non effici sine certis donis, et auxilio gratiæ. V. Docet creberrime Catholicos docere, ³ Per bona opera mereri nos remissionem peccatorum: Et tamen alibi, in faciem seipsa verberat discordans a se Concordia, veramque ac germanam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam explicat his ipsis verbis: ⁴ Semper Ecclesia Christi sensit, remissionem peccatorum gratis contingere, imo Pelagiani damnati sunt, qui gratiam propter opera nostra dari contendebant. VI. Denique, ut quamplurima alia tacitus prætermittam, docet alicubi Concordia, ⁵ Evangelium non cogere hos ad Coniugium, qui volunt continere; modo vere contineant: Alibi vero, vitam Monasticam professos, ad castitatem observandam, idcirco non obligari docet, ⁶ Quod nulla vota possunt tollere ius naturæ, neque abolere mandatum Spiritus Sancti: Et tamen, belli nostri Prædicantes iurant, se omnes Concordiæ apices propugnaturos; librum hunc, *Sacrosanctum, Divinum librum*, Apologetæ nominant!*

Errores tametsi plures habeat Liber Concordiæ, quam pilos bene barbati Prædicantis aruncus: ceteros tamen missos nunc faciamus. Tres illos, quos obiter attigit Illustrissimus Cardinalis Strigoniensis, expendamus.

Primus Error Concordiæ.

Primus igitur Error, cuius Illustrissimus Cardinalis meminit, his verbis continetur: *Reiicimus ut falsum et perniciosum dogma, cum asseritur, quod Evangelion proprie sit concio pœnitentiae, arguens, accusans, et damnans peccata; quodque non sit tantummodo concio de gratia DEI. Hac enim ratione, piis mentibus, vera et solida consolatio cripitur, et Pontificis superstitionibus fenestra aperiuntur. Et rursum: ⁸ Evangelion non est concio de pœnitentia, arguens peccata: sed proprie nihil aliud est, quam lætissimum quoddam nuntium, et plena consolationis, non arguens, aut terrens. Huius porro dogmatis, ut et verum sensum, et absurditatem manifestam cognoscamus, quibus ex fundamentis, quem in usum excogitatum fuerit, perpendamus.*

Tria Pronuntiata, iurisiurandi religione interposita, recepta sunt a Ministris Lutheranis. PRIMUM est: *Nullam omnino partem*

¹ Fol. 55.² Fol. 57.³ Fol. 105.
187. 192.⁴ Fol. 200.⁵ Fol. 222.⁶ Fol. 259.⁷ Lib. Conc.
Art. 5. Negat.
fol. 566.⁸ Ibidem, in
Affirm. Asser.
6. fol. 565.

Divinæ legis adimpleri posse ab homine etiam renato, qui tamen Spiritu DEI agitur, et gratiæ Divinæ adminiculis fulcitur. Hanc esse Concordiæ publicam fidem, in Secundi erroris detectione probabimus. Et vel ex eo liquet, quod omnes, etiam optimas renatorum actiones, peccatis contaminatas ac inquinatas, seu (quod idem est) Legis prævaricationes esse docent; ut paulo post ¹audiemus.

¹ In secundo errore vide.
² Art. 4. in
 Negat. asser. 1. fol. 563.

*SECUNDUM effatum, his ipsis verbis prodit Concordia: ²Reiici-
 mus, et damnamus subsequentia dicta: Bona opera necessaria esse
 ad salutem. Impossibile esse, sine bonis operibus salvari.* Quæ plane consequenter reiiciunt, si enim Bona Opera omnia peccatis tamata sunt, haud sane magis opera bona, quam flagitia, ad salutem necessaria.

TERTIUM effatum tale est: Ne Pontificiis superstitionibus irretiri, aut legis Divinæ observationi anxie servire cogatur exspes Lutheri soboles; quin ubi legem transgressa est, metum damnationis (quem in Catholicis desperationem vocat) excutere, secure degere possit. Et licet in omnibus quæ actitat, peccare se, legem DEI violare sentiat, credat; certo nihilominus præsumat, se dilectam DEO, cælestisque beatitatis heredem esse. Ut, inquam, hæc omnia, nullo inter se nexus coherentia, penitus repugnantia connectat: necesse est, truncatis non una securi DEI legibus, Lutheranos illeges, iniugesque ita omnibus solutos esse legibus, ut nec terrere, nec accusare illos lex ulla possit, sed læta libertate securi, ad solam Evangelii consolationem, animum advertant, quam solam ad se pertinere putant. Hinc aurea illa Lutheri poppysmata, quibus cicu-

³ Lut. tom. 5. rat, ac novi Evangelii helcio armos induit mortalium: ³Christianus Lat. Vittemb. Anno 1554. per Lufft. in c. 4. ad Galat. a fol. 396. fide apprehendens beneficium CHRISTI, nullam prorsus legem habet, sed tota lex est illi abrogata. Cum igitur voles de abrogatione Legis loqui, complectere totam simul legem, nihil distinguens inter Iudiciale, Cærimoniale, et Moralem. Nam cum Paulus ait, Nos a maledicto Legis liberatos esse; certe de tota lege loquitur, et præcipue de morali. Quare dicimus, legem decalogi nullum habere ius accusandi, perterrefaciendi conscientias, quia Christus illud antiquavit. Clarius etiam pro sua facundia hanc rem explicat Calvinus:

⁴ Cal. lib. 3. c. 19. n. 2. ⁴Christiana libertas in eo consistit, ut fidelium conscientiæ se supra Legem erigant, totamque legis iustitiam obliviscantur. Aut enim omni spe iustificationis excludimur; aut ab illa nos solvi oportet, et sic quidem, ut Nulla prorsus Operum ratio habeatur. Sublata igitur Omni legis mentione, et Omni operum cogitatione seposita, Unam

DEI misericordiam amplecti convenit. Lex quidem ad bonum docere, extimulare, non desinit fideles, tametsi apud DEI tribunal, in eorum conscientiis locum non habet. Vides Autonomiam plus quam Libertinam; vides vitulantium Magistrorum illecebras, prolectibilis libertatis, sed ementitæ, quibus inescant simplices animas: ut, quemadmodum Scriptura loquitur, excussis lupatis, velut Lalisiones,¹ liberos se natos putent, nec se DEI leporario concludi patientur,^{1 Iob. 11. v. 12} sed Liberalia semper agant, præterpropter honestatem vivant, mancipia sint ventris, et quæ illi proxima fœda proluvie natura recondidit; ab egestis, qua via venerant poculentis, a bibitis et exesis noctibus, crudo nauscantique stomacho palleant; remensoque per os vino, eadem via qua redduntur, invitîs ingestâ visceribus, pestilentes veteris crapulæ ructus perpetuo vomant. Eia, hæc ad cælos tuta est via: Hæc trama sanctiori stamini vitæ adaptanda. Et adhuc dubitabimus mendacioquos dicere, qui Lutheranam, Calvinianamque doctrinam liberam esse inficiantur?

Hoc est igitur, quod Concordia verbis iam citatis docet. In Evangelio quidem, prout totam quæ a Christo est tradita, doctrinam complectitur, ² et iram DEI revelari, et leges præscribi: At³ Rom. 1. v. 19. hanc, ³ non Evangelii, sed Moysis doctrinam esse, et quasi alienum opus Christi: nec quidquam ex Evangelio ad renatos pertinere, nisi consolationem, et concionem de gratia DEI. Metus enim quem lex incutit, ad eos pertinere non potest, quorum fides hoc primum de se unicuique persuadet; Certum se esse de sua salute, et iustitia coram Deo.

Hanc porro esse mentem Concordiæ, probari facile potest: Vel, quia hæc doctrina, necessario connexa est cum iis, quæ alibi docet, et passim in ore Lutheranorum versantur; nempe, Opera Omnia nostra Peccata esse, Legem DEI servari non posse, et tamen certos nos esse debere de salute ac Iustitia nostra: Vel, quia verbis, quibus Concordia docet *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia DEI*, respondetur ad propositam initio quinti Articuli quæstionem, qua quæri dixit, *An Evangelium proprie sit tantummodo concio de remissione peccatorum; an vero etiam sit concio paenitentiæ, arguens peccatum?* hæc enim est una ex illis quæstionibus, quas Concordia inter Theologos Augustanæ Confessionis controversos esse ait. Atqui, cum constet omnibus, multa in Evangelio de paenitentia, et peccatorum detestatione contineri; inter sana capita non potuit hæc quæstio alio sensu in controversiam

^{Apoc. 14. v. 7.}
^{Matth. 7. v. 22.}
³ Concord. ib.
affirm.
assert. 8.

deduci, quam eo, quod quidam ad Christianos etiam spectare iudicabant ea, quæ de pœnitentia, et peccatorum turpitudine dicebantur: alii vero, hoc totum, alienum opus, ac prorsus Mosaicum existimantes, solas consolationes Evangelicas ad Christianos spectare censebant, et postremam hanc sententiam Concordia approbavit, Lutherum ducem secuta. Iam vero ex hac plane Libertina Concordiæ doctrina, evidenter sequitur quod Illustrissimus Cardinalis deduxit, Frustra scilicet satagere eos, qui hæc credunt, in sanctitate et iustitia ambulare, hunc in modum concludendo:

Frustra et inutiliter satagimus iis occupari, quæ ad nos non pertinere dignoscimus:

Atqui leges Evangelicæ, quæ pœnitentiam præscribunt, peccata arguunt, ad nos non pertinent, quin potius Evangelium, quod nos concernit, est tantummodo concio de gratia Christi:

Ergo frustra et inutiliter satagimus operibus pœnitentiæ, peccatorumque fuga, nos coquere.

Quid hic Apologetæ Prædicantes? Nec sensum verborum Concordiæ investigant, ut enodare hunc nodum possint, nec scopum quærunt, sublestum illud adferunt, quod Concordia alio loco dixe-

Artic. 5. in affir. rat: Evangelium accipi posse, vel pro tota doctrina Christi et assér. 5. 6. Apostolorum; et hac ratione Evangelium complectitur concionem de pœnitentia: Vel ut confertur Legi; atque ea ratione est duntaxat lætissimum nuntium, non arguens aut terrens.

Quid tum postea, Prædicantes, quod alibi Concordia hoc dixerit? An idcirco alibi non dixit, *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia DEI?* Et novumne est, Concordiam eodem ore calidum, et frigidum flare? affirmare, et negare? Sed tamen, si locum illum a vobis nominatum, ad huius, quem Illustrissimus Cardinalis attulerat, explicationem spectare iudicastis, cur pro iunioribus huic loco non aptastis? Ego hebetudinem meam ingenue confiteor. Assequi non possum, qua veri specie, scopæ hæ dissolutæ coniungantur, locusque a vobis recitatus, alteri quem Illustrissimus Cardinalis adduxerat, lucem adferat. Imo labyrinthum inextricabilem illis verbis inesse video. Nam posteriori illa Evangelii significatione, *Quatenus videlicet Evangelium Legi opponitur*, Si nomine Legis, Lex Mosaica intelligatur, ut ex usu Scripturæ perpetuo, intelligi debet, cum Lex absolute nominatur: eadem erit posterior Evangelii acceptio cum priori, et contra leges Divisionis, prius membrum posteriori claudetur, siquidem, complexio doctrinæ per Christum et Apostolos

tradita, libris Evangelicis Apostolicisque contenta, et conferri, et suo modo opponi Mosaicæ legi potest, atque etiam solet. Si vero Legis nomine non solas Mosaicæ, sed et illas, quæ in Christi et Apostolorum scriptis continentur, Præceptiones complecti velimus: præterquam quod omnino nova, inusitata, a Scripturæ et Patrum usu aliena est hæc Legis et Evangelii collatio, Illud clarissime consequitur; controversiam Theologorum Augustanorum, quam censoria virgula decidere Concordia eo loco voluit, hanc fuisse: An Evangelium, seu potius consolationes Evangelicæ quatenus legibus et præceptis in doctrina Christi et Apostolorum contentis confertur, seu (ut rectius dicam) quatenus ab iis secernitur et distinguitur, pœnitentiam præscribat, fugam peccatorum iniungat? Quæ sane quæstio, non inter Theologos, sed inter mente destitutos controversiam habere potest, cum ex ipsa vocium notione clarissime constet, Evangelium, ea præcisa ratione qua consolationes continet, nec metum incutere, nec severa legum præceptione gravare homines. Ne igitur Theologos Augustanos tam diro stigmate inuramus, ut de re clarissima, non intellectis vocium notionibus, pueriliter, ac stulte inter se digladiatos existimemus; fatendum est controversiam inter eos fuisse, de Evangelio priori sensu accepto, et illud quæsitum, An hoc Evangelium sit tantum concio de misericordia DEI, non de pœnitentia, vel de fuga peccatorum, Librumque Concordiæ ad hanc quæstionem respondisse, cum ait: *Evangelium esse tantummodo concionem de gratia DEI*, quia scilicet cetera, quæ præter mellita solatia continet Evangelium, nihil quidquam ad Libertinos Concordistas pertinent. Ad Orcum hi sensus, unde nati.

Secundus Concordiæ Error.

Secundum Concordiæ Errorem, omnes honestatis et pietatis fibras ex animis mortalium evellementem, illum dixerat Illustriss. Cardinalis: *Quod Passio Christi proponit iram DEI adversus peccata, ut agnoscant homines, quanta Dominus in lege sua a nobis exigit: quorum tamen NIHIL nos præstare possumus.* Ex quo intulerat Illustriss. Cardinalis: *Si nihil ex Divinæ legis præscripto agere possumus, Quid adhuc satagimus, in sanctitate et iustitia ambulare?* Cuius argumentationis vis erat eiusmodi:

Stultum, et ab omni ratione alienum est, magno nisu id agere, quod fieri non posse certo cognoscimus. Quis enim non

Conc. Art. 5. in
affir. assert. 8.
fol. 566.

rideat, serio et ex animo conantem montem Fateram, aut loco movere, aut uno oris rictu absumere?

Atqui, si credimus Concordiæ, Nihil nos ex multis et magnis, quæ Deus præscribit, præstare possumus: Ergo stultum est niti, ac adlaborare, ut legi Dei conformiter vivamus, hoc est, ut in sanctitate et iustitia ambulemus.

Tria hic Prædicantes: PRIMO quærunt: *An negemus, Passionem Christi, iram Dei adversus peccata nobis proponere?* Absit, Prædicantes, absit, ut hoc negemus. Imo maxime proponit iram Dei adversus peccata, Christi passio. Ostendit enim, creaturam puram non potuisse iram Dei, quam adversus peccata gerebat, mitigare. Ostendit fideiussorem, et quidem Deum ipsum, tam acerbo supplicio eluisse aliena peccata; ut cogitemus, quam illos acerbi cruciatus maneant, qui propriis sceleribus a Deo avertuntur. Illud solum in allato Concordiæ dicto reprehendimus, quod asserit, *Nihil a nobis ex legis Dei præscripto fieri posse.*

SECUNDO, aiunt Prædicantes: *Nihil ex propriis naturæ corruptæ viribus, nihil sine Christo, sine eius gratia et ope, fieri a nobis ex Dei præscripto posse; quod ipsum* (aiunt Prædicantes) *ita ipse Dominus Cardinalis canit: Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.* Hæc quoque, mei Prædicantes, vera sunt,

Conc. Trid. Catholicorum sunt; qui uno ore fatentur id, quod Tridentinum Sess. 6. can. 3. Concilium his verbis definit: Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem sperare, credere, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit. Sed vident Prædicantes Apologetæ, non hanc esse mentem Concordiæ, neque enim de reprobis, aut qui a gratia exciderunt, loquitur, sed de Prædicantibus, qui se Spiritu Dei agi, filios Dei esse, certo credunt atque ideo, in prima persona dicit, Quorum tamen nihil nos præstare possumus.

¹ Fol. 94. 157. ^{65.} Et alibi rursum: ¹ Lex semper accusat, cum Legi nunquam satisfaciamus. ² Fol. 157. Et iterum: ² Semper accusabit nos lex, quia Nunquam Legi Dei satisfacimus.

TERTIO addunt: *Etiam auxilio gratiæ adiuti, nihil eorum, quæ Dominus in Lege requirit, perfecte præstare possumus, ut nimirum opera nostra pure bona et peccatis incontaminata proveniant.*

³ Rom. 7. ³ Volentibus enim facere bonum, adiacet malum, hoc est, peccatum,

⁴ Isa. 64. ⁴ omnes illorum iustitiae, panno mensuratae similes pronuntientur.

Hic demum

vere mentem ac sententiam Concordiae assecuti sunt Prædicantes. Hæc enim sunt ipsissima Concordiae verba: ¹ *Nostra impletio legis est immunda.* Iterum: ² *Cum nullum opus satis mundum inveniatur, semper accusat lex, et parit iram.* Rursum: ³ *Non debemus confidere nostræ dilectioni, cum sit immunda,* sermo autem de ea dilectione erat, qua DEUM diligimus.

Verum si hæc ita se habent, vestram ego fidem appello, Prædicantes, ut si cetera surda aure præterire placeat, his tamen alteribus lacertos admoveare non dedignemini; quasque secum trahant consequias dogmata vestra, contortis conferta nugis, conspicilio adhibito dispicie. PRIMO: Vos ipsi fatemini, et Apostolus propalam docet; ⁴ *Cum bonum agimus Deum esse, qui operatur in nobis yelle, et perficere:* ⁵ *Spiritu Dei impelli iustos:* ⁶ *Deum, ipso iubente fieri,* ⁷ *incipere, ac perficere in nobis bonum opus:* ipso iubente fieri, ⁸ *Philip. 1. v. 6.* quæ per gratiam operatur in fidelibus. Atqui vestro sensu, quodlibet opus bonum sordidum est ac cœno peccati oblitum. DEUS ergo vester est, qui peccatum in vobis incipit, ac peragit; quo iubente, quo agitante, polluta peccati sordibus opera perpetratis. Certe Deus noster, ⁹ *non vult iniquitatem, peccatum odit, ad scelus non impellit, ut ater ille Lutheri Didascalus.* Cetera vobis cogitanda relinqu. SECUNDO: Si Omnia renatorum bona opera peccata sunt: Ergo ad salutem perniciosa sunt. Quid enim perniciem creat saluti, si non peccata? Et ingenue id profitentur haud obscuri Lutherani, nec Concordia simpliciter abnuit, sed nude et aperte doceri ob summam dogmatis turpitudinem vetat: ¹⁰ *Damnamus, inquiens, cum nude docetur, Bona opera perniciosa esse ad salutem.* Tegite, ut lubet, pudendam hanc nuditatem: nunquam tamen dedecus obvelabitis. TERTIO: Si Bona Omnia, peccatorum maculis fœda, si immunda sunt: Igitur, qui sciens et volens bonum operatur, is profecto sciens et volens peccatum admittit. Vel ergo Lutherani scientes et volentes, bonum quandoque faciunt, vel nunquam: Quodcumque eligas, iureiurando adstruunt Prædicantes, Nullum Lutheranum habere fidem. Nam Concordia, cui sacramento se addixerunt, definit: ¹¹ *Damnum dogma esse illud, quod Fides in Christum non amittatur, etiam si sciens volensque quis peccet.* Et sæpe repetit: ¹² *Non posse in iis fidem stare qui peccant, cupiditatibusque obtemperant.* Alibi vero, ¹³ *veram Fidem non esse,* sed nudam hypocrisin, ubi Bona opera non sequuntur. Sive igitur bona Opera quandoque faciant, sive nulla unquam faciant Luthe-

¹ Fol. 93.² Fol. 98.³ Fol. 123.

NOTA.

⁴ Philip. 2. v. 31.⁵ Rom. 8. v. 14.⁶ Philip. 1. v. 6.⁷ Ps. 5 v. 5.⁸ Sap. 14. v. 9.⁹ Ps. 44. v. 8.¹⁰ Iac. 1. v. 13.¹¹ Ar. 4. Ass. 2. negat.

NOTA.

¹² Ar. 4 Ass. 3. negat.¹³ Fol. 87. 88.¹⁴ Fol. 123. 308.

561.

rani, iurant Prædicantes, fidem ipsos in Christum non habere. Amentatum, mihi credite, est hoc telum: et nisi de obdurata cordis Prædicantici hebetudine conclamatum esset, colophonem victoriæ hæc unica Demonstratio imponeret. QUARTO: Si Opera bona Mala sunt, cur ea Bona vocatis? an simul bona et mala esse possunt? nescitis, bonum ex integra causa, malum ex quovis defectu con-

¹ Heb. 13. 16. surgere? Et, si actiones omnes sordidæ sunt, cur Apostolus ¹ opera

² Phîl. 4. 18. fidelium Hostias vocat, quibus DEUM promeremur? ² cur odorem

¹. Pet. 2. 5.

³ 2. Pet. 1. 10. suavissimum, spiritualesque hostias Deo acceptabiles? ³ cur dicun-

⁴ 1. Cor. 7. 28. tur bona facientes non peccare aliquando? ⁴ cur Virgo quæ nupsit,

⁵ Iob. 1. 22. ⁵ cur Iob plurima prolocutus, non peccasse pronuntiantur? QUINTO:

Si renatorum Opera omnia peccatis foeda esse contenditis: recte igitur Dominus Cardinalis intulit, Nihil opus esse magno nisu, ut in sanctitate ambulemus, peccata siquidem cumulamus, cum bona agimus, et quisquis ad bona alios incitat, Diaboli vices subit, peccatum suadet.

Hæc omnia recte consequi adverterant Prædicantes. Ne tamen convictos se faterentur, futilem hanc Argumenti larvam, Illustriss. Cardinali supposuerunt: *Nos ex naturalibus viribus nihil eorum, quæ lex requirit, perfecte facere possumus: Ergo ne conari quidem debemus in sanctitate ambulare.* Aliud longe dissimile, maiori iudicio, validiori dextera vibratum telum est, quod in viscera vestra fixit Romana purpura, nec excutitis, sed altius in ipsas medullas iactatione demittitis; hoc nimirum: *Stultum est, anxie in eo labore quod assequi non possis, et magno conamine iram DEI ultiro accendere.* Atqui ex Prædicantium hypothesi, *etiam auxilio DEI adiuti, nihil eorum quæ Dominus in Lege præcepit, præstare possumus; nec ullum opus pure bonum et peccatis intaminatum a nobis provenit.* Ergo, etc. Ad hæc solida, silentio respondent Prædicantes.

Mitto, quam distorte verba Apostoli flectatis, a sensu et mente ipsius remotissime; quam turpiter ea, quæ Isaias de legalibus iustitiis, contra DEI præscripta, a populo sceleribus sordidato depensis affirmat, adversus omnes renatorum iusticias detorqueatis. Illud ridiculum quod adnectitis: *Iustitia Christi, imperfectionem operum tegit, et opera bona per fidem DEO accepta facit:* Quod ipsum his verbis inculcat Concordia: *Quod in bonis operibus pollutum est et imperfectum, pro peccato et defectu non censetur.* Ne longum faciam, scire aveo, Num aliquid eorum quæ reipsa

sunt, subduci oculis DEI possit? Haud ita vos delirare autumo, ut quidquam eorum, que usquam sunt, DEUM latere arbitremini. Scriptura enim, cum tegi peccata dicit, dimitti, ac penitus tolli dicit; ut proinde videri in homine non possit, quod omnino in homine non sit. At vero, ut peccati foeditas in opere hæreat, ea tamen Deo occulta sit; et licet ita de singulis iudicet, ut reipsa sunt: tamen, quod peccatum est, pro peccato non censeat, prorsus impossibile, Divinæque sapientiæ contrarium est. Nec fieri potest, ut quæ in se mala sunt, quamdiu quidem malitiam habent, Deo grata esse possint et accepta, cum ¹*Odio sint Deo impius, ac impietas eius:* ac ¹Sapient. 14.
^{v. 9.} ²*væ illi pronuntiet, qui malum bonum reputat.* ²Isa. 8. v. 20. Certe, si in vobis Lutheranis, singulari privilegio, imo singulari personarum acceptance, malum non est, quod in se malum est; nec furta, nec adulteria vestra mala erunt, cur enim tegat Fides unum facinus, non tegat cetera? Quod si ita est, susque deque habendum, scelerene an bono opere abundetis, cum utrobique peccetis, nusquam peccata vobis imputentur.

Tertius Error Concordiæ.

Merito gravibus, ac pæne Stoicis erroribus accenset Illustriss. Cardinalis, quod Concordia his verbis tradit: *Non assentimur iis, qui tradunt, Hominis naturam et essentiam non prorsus esse corruptam, sed aliquid boni adhuc in homine reliquum, etiam in rebus spiritualibus; videlicet, capacitatem, aptitudinem, facultatem, industriam aut vires, quibus in rebus spiritualibus inchoare aliquid boni, operari, aut cooperari valeat.* Ex quibus confici talis Argumentatio potest:

Locis citat.
Supra, f. 41.

Stultum est conari ad ea, ad quæ aptitudinem, capacitatem, facultatem, industriam, vires non habeas: Atqui ad sanctitatem et iustitiam, et universe ad quodvis opus bonum, non est capacitas, aptitudo, facultas in nobis, ut scilicet inchoëmus ista, vel cooperemur ad ista: Ergo, stultum est conari ad sanctitatem et iustitiam, ac generatim ad ullum opus bonum.

Quid hic subtiles mei Prædicantes, expectorant? Directe ad id, quod propositum argumentum petebat, verbum nullum. Fortunati Prædicantes, qui, si risu nequeant, silentio certe omnibus se argumentorum telis expediunt. Alto, ut opinor, supercilioso, noviter adepti Magistratus fulgorem, ad hæc demissa, et humi serpentia

argumentorum tela demittere, nec decorum sibi, nec honorificum Antistitio suo arbitrati sunt. Nam respondere nescivisse, nec cogitare quidem patiuntur, vel togæ Damascenæ, quas pannoso palliastro commutarunt, eminuli supra mediastinorum Prædicantium turbam nuper paupertini Superattendentes; vel albogaleri Flamen diales, cidearisque ac mitra Pontificia; vel Nobilitatis (quam, dissimulata persona, a Regia Maiestate obtinuerunt) diplomata; vel coemptæ millibus florenorum, numeratissimæ ac probatæ monetæ, e manubiis Bocskaiianis collectæ, domus, prædia, pagi Ecclesiasticorum hominum; vel demum argentea pollubra, et malluvia aurato sociata gutto.

Ne tamen victi videantur; *Distinguit*, inquiunt, *Liber Concordiæ*, statum hominis ante conversionem, in conversione, post conversionem. *Ante conversionem, negat superesse in homine capacitatem, aptitudinem, etc. quibus aliquid boni operari, aut cooperari valeat, quia non sumus idonei cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis. In conversione, et post conversionem, cooperari voluntatem Liber Concordiae fatetur.* Verum hæc responsio, in eum, quem evadere cogitant, laqueum præcipitat Prædicantes. Nam, si ante conversionem non est capacitas, aptitudo, facultas in homine, ut cooperetur Deo in bono opere: Ergo, quando quis in peccatum lapsus est, tunc saltem stultum erit conari ad conversionem. Atqui, positum iam semel fuit, hominem etiam renatum, in qualibet actione inquinari peccato, et quod consequens est, perpetuo immersum peccato, a quo converti debet: Ergo, nullo unquam totius vitæ tempore potest homo Deo cooperari ad bonum. Deinde hac ratione, nisi Prædicantibus molestum sit, argumentationem instituo: Apud Philosophos, Ab esse, ad posse, optimum est argumentum; licet non e contra, ideoque recte ista consequuntur: *Socrates ambulat; ergo habet potentiam ambulandi. Socrates videt; ergo habet potentiam videndi.* Similiter itaque, apte ita concludam: *In conversione homo Deo cooperatur; Ergo habet capacitatem, aptitudinem, facultatem cooperandi, quia aptitudinem habet recipiendi motionem gratiæ Divinæ, qua excitatus homo, non ipse per se, sed gratia DEI cum ipso, operetur bonum.* Nam certe novam capacitatem naturæ non addit actualis cooperatio cum gratia, quæ in ipsa conversione cernitur, sed eam supponit; et nisi supponeret, cooperari homo nullo modo posset. Adde, quod male tyrunculi Superattendentes, suam intellexere Concordiam, ut potius disertim damnet, qui docent, *Voluntatem ad conversionem conferre, eam adiuvare, atque ad eam*

1. Cor. 15. v. 10. ipso, operetur bonum. Nam certe novam capacitatem naturæ non addit actualis cooperatio cum gratia, quæ in ipsa conversione cernitur, sed eam supponit; et nisi supponeret, cooperari homo nullo modo posset. Adde, quod male tyrunculi Superattendentes, suam intellexere Concordiam, ut potius disertim damnet, qui docent, *Voluntatem ad conversionem conferre, eam adiuvare, atque ad eam*

absolvendam cooperari posse. Atque ita, si bellam hanc doctrinam Concordiæ sequi libeat, dicendum erit: Hominem, cum credit ac pœnitet, credendoque ac pœnitendo convertitur, nihil plus agere, quam si caudex esset; nec ad actum suum cooperari, imo nec facultatem et aptitudinem ac cooperandum habere. Quæ omnia, non nisi hebeti, ac retusæ menti arridere possunt, certe omne studium, conatum omnem melioris frugis demunt hominibus. Atenim, inquiunt: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis.* Et Augustinus illud ponderat: *Sine me nihil potestis facere.* Respondeo: Sini Christi gratia, nihil nos, quod ad salutem ac veram pietatem spectat, facere posse, verissimum est: hinc tamen non sequitur, non esse in nobis facultatem, ut excitati a Dœ per gratiam suam, cooperemur, ac, ut Paulus loquitur, ita laboremus, ut gratia DEI nobiscum facere omnia dicatur. Tute saxum grande revellere non potes, adiutus ab alio potes: an idcirco recte dixeris, facultatem in te non esse, ut coopereris alteri ad saxum removendum? Apagesis cum his nugis, nec Scripturam distortim flectas.

Habetis, Prædicantes attentissimi, ubi vestra desudet diligentia, habetis crassiores, et populo etiam patentes, vestræ Concordiæ fuligines. O si subtiliores attingere liceret, quos mihi ludos daretis. Sed haec satis ad præsens institutum.

Art. 2. in
neg. asser. 4.
Fol. 554.

In hoc Simili
est aliquid
et dissimile.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

Iacturam fœdæ negotiationis, turpisque quæstus dispendium Actor. 19 v.28.
facturi erant Ephesii, si quam Doctor Gentium veritatis faciem afferebat, secundis auribus, pronoque assensu exciperent. Obtundere igitur, *Magnæ Dianæ Numen fausta acclamatione efferre, Diris Apostolum devovere.* Non aliter sacrorum Lutheri proceres, Thaidem suam, falsitate prægnantem, Diti devotis mysteriis sobolescentem tuentur. Quocirca, statim ac meos in amatæ huius pellicis scabiem defixos unguis vidit Malleator; in vicem humani coloris, successit pallor infernus, ac ceriti instar furit, quod novam sponsam, vix ad ædes trium Attendentium nuper deductam, vix iure-iurando adoratam et conspui, et convinci videt. Ego supersessis omnibus ludionis nostri parergis, Rem cum re, causam cum causa Aug. Tom. 6. conferam; ac eius favore, qui docet manus meas ad prælrium et De Utilit. cre-dend. c. 1,
digitos meos ad bellum, fugitantem hostem premam.

§. 1. Mendacia Concordiæ.

De Stoico Chrysippo, Carneades Academicus hanc habebat sententiam: ut, quando cum illo sibi esset disputandum, elleboro pur-

Aug. lib. 1. cont. Crescon. cap. 19. *gandum cor censeret; ceteros autem, vel pransus facile superaret.*

Ego vero de Lutheranis Prædicantibus sic statuo: si firmamenta species, et fulcra opinacionum, vel pransus et subitus, facile eos superaveris: Obstinatam malitiam ut frangas, Divina virgula, non humanæ industrie viribus opus esse. Id, cum in ceteris omnibus, quæ hucusque pertractavimus, tum in næniis Concordiæ detegendis deprehendes.

Liber. Conc. fol. 247. *I. Mendacium illud nominabam, quod his ipsis verbis Concordia recitat: Allegant Adversarii Patres, de Oblatione pro Mortuis. Scimus Veteres loqui de Oratione pro Mortuis, quam nos prohibemus. Epiphanius testatur Aërium sensisse, quod Orationes pro mortuis sint inutiles: id reprehendit: Neque nos Aërio patro-*

Mall. fol. 66. *cinciamur. Negat Tubalcain mendacium hic ullum esse: Nam Orationes, quæ pro impetranda animarum liberatione suscipiuntur, improbamus: Eas, quæ ex pio affectu æternam felicitatem, ac resurrectionem defunctis optant, nequaquam. Verum, non solum Orationes pro mortuis probat Concordia, sed nominatim eas Orationes dicit a se non improbari. de quibus Patres loquuntur, et ob quas denegatas Aërium damnavit Antiquitas. Diserte enim profitetur, se patrocinium Aërii non suspicere; eamque fusæ pro mortuis orationis utilitatem probare, quam Aërius quia improbavit, hæreticus audivit. Videmus igitur, quæ Patrum hac de re sententia, quæ fuerit hæresis Aërii. Et ut de ceteris nihil dicam, Augustinum*

Aug. tom. 3. in Enchir. c. 110. Similia prorsus, lib. 21 de *audi, fidelissimum testimonium antiquitatis: Neque negandum est, illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosinæ in Ecclesia*

Civit. DEI, cap. 24. *fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui, cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem. Est vero talis in bono, ut ista non requirat: et est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum hæc vita transierit, adiuvari. Sexcenta his similia apud Santos Patres. Si igitur has, de quibus sermo apud Patres, Orationes probatis, mendacio liberam Concordiam pronuntio. Aërii porro quæ fuerit sententia, suis ipsis verbis ab Epiphanius recitatum audi. Oret vivens, aut dispensationem faciat, quid prodest*

Epiphanius, hæresi 75.

mortuo? Si vero omnino preces eorum, qui hic sunt, illis prouidentur: igitur nemo sit pius, nec boni quicquam faciat, sed acquirat amicos, et orent pro illo, ut ne quid patiatur. *Sentisne, Tubalcain, non eam ab Aërio orationem improbari, quæ nostrum in defunctos qualemcumque affectum testentur, sed, quæ Mortuo proposit, ut ne quid patiatur? Talem vos orationem probate: fatebor et ego, non mentiri Concordiam, dum suum Aërii sententiæ patrocinium dengat. En Rhodus, en saltus, Tubalcain.*

II. Mendacium sœpicule iteratum ita habet: Adversarii, fiduciam misericordiæ, debitam Christo, transferunt in Sanctos. Fingunt enim homines, Christum duriorem esse, et Sanctos placabiliores: et magis confidunt misericordia Sanctorum, quam misericordia Christi: et fugientes Christum, quærunt Sanctos. Ac ne quis Conc. fol. 204. hæc, vel a paucis vel a rudioribus fieri arbitretur, annexit: Res ipsa loquitur, quod PUBLICA persuasione Beata Virgo prorsus in locum Christi successerit. I nunc, Tubalcain, frontem perfrica: dic fidenter, Concordiam vestram non affirmare, Doctores Pontificios, expresse, ac publice ita docere. Et tamen putidum hoc esse figmentum, tuipse vides, atque idcirco inficiaris, eam esse de Catholicis Concordiæ vestræ sententiam. Gabrielem nominas, et Alensem: sed locum, quia nescisti, non consignasti. Evidem, Gabrielem, Lect. 80. in Canon. Missæ, affirmantem lege, Misericordiam a DEO transfusam in Virginem. Sed exhaustam DEI clementiam, nec scripsit, nec cogitavit Gabriel. Spiritum, datum Apostolis: Iustitiam Ps. 85. v. 16. DEI, filio Regis attributam, legimus: nec tamen ita hæc data cogitamus, ut DEO quicquam decessisse arbitremur. Et tu miraris, si pio sensu Gabriel dixerit, Misericordiam a DEO transfusam in cor Virgineum? At verbis crudioribus, nec ita ad illas aurium vestrum delicias temperatis usus Gabriel, quia scilicet, ¹ Vobis nondum litigantibus, securius loquebantur. ² Certe, antequam Alexandria, [Wittembergia], quasi Dæmonium meridianum Arius [Lutherus] nasceretur, innocenter quædam, et minus caute locuti sunt, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare. Neque enim tot, quot hodie, Pharisæi erant, qui capere nos in sermone vellent.

III. et IV. Mendacium, non semel repetitum dixeram, quod nostra sententia, Pontificis mandato, Divina decreta cedere, tradit "Concordia, quin ipsa Christianæ fidei Sacraenta, nutu Pontificio commutari posse, a nobis credi comminiscitur. Id vero quam longe ³ Concord. f. 304. 311. 312.

Concordia
fol. 202.

Mall. fol. 66.

¹ Aug. tom. 7.
¹ contr. Julian.
cap. 6.

² Hieron. Apolog. 2. contr.
Ruff. cap. 4.

¹ Concil. Trident. Sess. 21. cap. 2. aberret ab ostio, non me, sed Pontifices loquentes audi: ¹ Declarat sacra Synodus, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in

Sacramentorum dispensatione, SALVA ILLORUM SUBSTANTIA, ea statuat, vel mutet, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate, magis expedire iudicarit. *Audis, Tubalcain, nihil iuris esse Ecclesiæ, ut substantiam Sacramentorum immutet. Mergi, an aspergi aqua debeat baptisandus; Ieiune, an post cibos degustatos Eucharistia sit percipienda, ordinare, fas Ecclesiæ: naturis Sacramentorum intima commutare, nefas. Legum ferendarum autoritas in Pontifice, quounque se extendat, accipe:*

² In Decret. Causa 25. quæst. 1. c. 6.7. ² Inde Leges novas Pontifex Romanus dare potest, unde Evangelistæ aliquid, vel Prophetæ, nequaquam dixerunt. Ubi vero aperte, Dominus, vel eius Apostoli, et eos sequentes Sancti Patres, sententialiter aliquid definiverunt: ibi non novam legem Pontifex dare, sed quod traditum est, usque ad animam et sanguinem, confirmare debet. *Hæc fides nostra est, Tubalcain, qui sequius de nobis pronuntiat, errat.*

³ Mall. f. 67. Falleris vero: ³ Christi mandato usum utriusque in Eucharistia speciei, omnibus prescribi. Hoc alias ex me disces, nam ubique miscere omnia, more vestro, nolo.

⁴ Mall. f. 68. Falleris: ⁴ dum nos a sacris literis ad Pontificem provocare asseris. Nam, etsi testificationem Ecclesiæ, quo multæ, magnæque secantur Iudice lites, de sensu Scripturæ legitimo, imo et de ipso Canone, veneramur: nunquam tamen a scriptura, vero sensu prolatâ, provocanus.

Falleris: dum Episcopos, et alios Sacerdotes, scripturis obluc-

⁵ Mall. f. 68. tari ⁵ pronuntias, nisi laqueo femineo irretiantur. Audi Hieronymum,

de eoipso Scripturæ loco quem tu rusparis, Iovaniano responden-

⁶ Hier. lib. 1. cont. Iovin. tem: ⁶ Non dicit; Eligatur Episcopus, qui unam ducat uxorem, et filios faciat: sed, qui unam habuerit uxorem, et filios in omni

subditos disciplina. Certe confiteris, non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat, alioqui si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Petrus, et ceteri Apostoli, ut ex superfluo interim concedam, habuerunt uxores, sed quas eo tempore acceperunt, quo Evangelium nesciebant. Assumpti postea in Apostolatum, reliquerunt officium coniugale. Sed longum esset aliena hæc ab instituto persequi.

⁷ Mall. f. 68. Falleris vero illo Canone: ⁷ Si Papa, dist. 40. *ius Pontifici attributum, ut supra, et contra Scripturam iubere possit. Nam*

nulla ibi de iussione vocula, de neglectu, ac soluta vita Pontificis sermo. Aperte vero additur: fas esse Pontifici obluctari, si doctrinæ sanæ veritatem vitiatum eat. Ita enim habet Canon: Si Papa, suæ et fratum salutis negligens, catervatim secum ducat (neglectu scilicet et exemplo) mancipandos gehennæ; huius culpas nemo arguere præsumat (tanquam superior scilicet,) nisi deprehendatur a Fide devius. Sentis malam fidem tuam deprehensam, Malleator? Fidei errores excipit S. Bonifacius, cuius ea verba: Tu ad Supra, fol. 130. errata Fidei detorques. Et quid aliud Constantinus, antea iam a nobis nominatus, de Episcopis universe dixit, quam quod de Papa Bonifacius?

Falleris: ¹Dispensare contra ius Divinum Pontifices, de gradibus contractuum Matrimonii. Sepone Levitica illa ²scita de Matri-

¹Mall. f. 68.

monio, et Legem Divinam profer de gradibus contractuum Matrimonii.

²Levit. 18. v. 6.
cap. 20. v. 11.

Id si non potes; evince Scripturarum testificatione, cetera Levitici ritus antiquata, solas de Gradibus hisce sanctiones perennare, aut saltem innata naturæ lege interdictos ostende Levitico expressos gradus. Quod si hoc comprobaveris; enodabis et illud, Quanam ratione ³de Uxore fratris demortui, Leviticam prohibitionem DEUS ipse aliquo casu relaxaverit, cum Naturalis legis præscripta dispensationem non admittant. Sed in his nihil desudandum sibi existimat Tubalcain: morem, quem pro suggestu retinet, constanter sequitur; nec ut vera dicat, sed ut dicat, elaborat.

³Levit. 18.
v. 16.
Deut. 25. v. 5.

Hisce mendaciorum Concordiæ pulmentis subiunxeram, Intervepreta ac senticeta Concordiæ, salutares interdum protuberare herbulas. Mira hic de lente Tubalcain: ⁴Iuxta Catecheseos Luthe- ⁴Mall. fol. 69.

ranæ præscriptum, ut Cruce frontem signent nostri, non præcipimus; ne fors opinentur, occultam signo huic virtutem inesse ad abigendos Genios: tamen, quo minus signent, non prohibemus. *Hoc postremum, laudo, proboque. At cur, quod Catechesis vestra præscribit, docere propalam abnuitis? Catechesis illa, quam vestra Concordia, ⁵quasi laicorum Biblia veneratur, ut mane et vesperi Crucis signo frontem terant Lutherani, præscribit. Vobis Biblica scita vulgo tradi, religioni ducitis? Vobis tacentibus si Cruce homines frontem consignent, nullum superstitionis opinionis periculum perhorrescitis: ita virulentam Prædicantium linguam arbitramini, ut si faciendum dicant, quod ipsis tacentibus tuto fieret, periculum suboriatur? Utut vero Crucis vim contra Genios pernegetis: eam tamen gravissimis verbis asserit, aureum illud flumen eloquentiæ*

⁵Concord.
fol. 545.

¹ Chrysost. ² Chrysostomus, ³ Cyrilus, ac ceteri melioris ævi Doctores sanctissimi, suoque id experimento edoctus, ³ sensit Julianus Apostata.

homil. 55. in Matth.

² Cyrill. Iero-
sol. Catech. 13. ³ Theodor lib.
³ c. 3. Sozom. Cum enim Magicis præstigiis excitum Diabolum conspicatus cohorum, ex consuetudine disciplinæ Christianæ, cui insueverat, Crucem fronti impressit, Daemonem aspulit.

lib. 5. cap. 2. Nazianz. Orat. Illud quoque recte Biblia laicorum vestroruin, quod more 1. in Julianum. Maiorum, Orationi Dominicæ verba illa, Quia tuum est regnum, et potentia, et gloria, non attexit. Nam nec in ulla, seu Græcis, seu

⁴ Luc. 11. v. 4. Latinis codicibus apud ⁴ D. Lucam ea verba leguntur. Nec Latini Patres, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Tertullianus, Orationem Dominicam explicantes, eorum menuinere. Nec ante Lutheri furores, in Latinis codicibus apud Matthæum ea verba recitata. Quin et

⁵ Beza in Matth. 6. v. 13. vetusti codices Græcorum, vel ⁵ Beza teste, iis vocibus caruerunt.

Sed et hic a sua Catechesi abeunt Prædicantes, nec iuxta præscriptum orationem demurmurant. Ne semper dissentire videatur Tubalcain, fatetur, eam a Catechesi Concordiæ non præscribi clausulam,

⁶ Mall. f. 69. sed ⁶ nec addi prohiberi. In me deinceps infrunitus calumniator taram putrescentis pulmonis mephitum exhalat, quod adversus DEI gloriam exestuem. Sed ineptis tu quidem naviter, o homo. Verba ego illa haud culpo, nec quidquam de gloria Divinitatis decerpo: Te tuosque armentarios vehementer improbo, quod novandi cacoëthe ac prurigine a nobis dissentiendo præcipitati, mordicus ea verba attexit; veteri nos ritu exorantes vellicatis; Catechesim vestram, Biblia laicorum, posthabetis; nec, ut in Fidei vestræ formula iure iurando vestro comprobata præscriptum, oratis. Hæc, an nullam reprehensionem mereantur, Index esto.

§. 2. Antilogiæ Concordiæ.

I. Diaphoniam Concordiæ nominaram: Quod Vita functis utiles dicat superstîtum preces; loca tamen purgandis post funera

⁷ Mall. f. 70. Manibus perneget: ¹ Antea, inquit Tubalcain, dictum, quo fine liber Symbolicus orationes pro defunctis admittat. Dictum. Sed et a nobis comprobatum, lustralibus piamentis expianda fascinatione cœcatam tuam mentem. Nam ea, quæ Aërius negavit, Animarum piamenta, comprobat Concordia. Hæc porro evanida esse oportet, si nihil est post funera expurgandum.

II. Antilogia erat: Missam summa reverentia apud suos retineri Concordia profitetur. Postmodum tamen, Missam abomina-

*tionem vociferatur: ¹ Missam, inquit Tubalcain, quæ est communica-¹ Mall. f. 70.
tatio Sacramenti, absque Canone, et aliis idololatricis Ceremoniis,
retinemus: Missam Papisticam abominamur. Verum hoc suffugium
contesserati vestri ² Helvetii, valide elidunt. Nam non erat, quod
amplius Missas se non intermittere ingeminaret Confessio, si solam
quam Lutherani administrare soliti Cœnam Domini intelligi volebat
Missæ nomine, cum iam antea, Articulo 10. de Cœna pertractasset.
Adhæc, Lutherani eo responso, de non abrogata Missa, ita Catholicis
satisfecerunt, ut Theologi, quibus Carolus Cæsar ad limam
revocandum confessionem tradiderat, ³ nullam in eo Articulo difficultatem
fore arbitrarentur, quod certe secus futurum erat, si eadem
Confessionis, quæ Malleatoris sententia fuisset. Insuper, Confessio
eam apud suos retineri Missam fatetur, quam abolevisse accusa-
bantur ab Adversariis, hoc est, Catholicis: Atqui eam solam abole-
visse ipsos accusamus, quæ more Maiorum in Ecclesia peragi
consueverat: Eam igitur, seque suosque revereri Confessio profitetur.
Adde, quod præter ⁴ Candelas, vasa aurea, et similes ornatus,
⁵ usitatas quoque Missæ cæremonias fere omnes retineri apud suos
ait. In quo discrimen ponat, audi: Præterquam quod Latinis
cationibus admiscentur alicubi Germanicæ, ad docendum populum.
Minutulum hoc discrimen curiose memorat. Omitteret maiora, quæ
usitatæ Missæ detracta vellet, si ea ipsi mens, quæ Malleatori
fuisset? Verum, Tubalcain noster, ubi sensum suum promisit; et
probasse, et Concordiæ scopum attigisse, et Argumenta nostra
tenedia bipenni diffidisse sibi videtur.*

*III. Discidium Concordiæ memoraram: Quod ingenue agnoscit,
nostra sententia, Satisfactiones non prodesse ad culpas relaxandas.
Alibi tamen, humanis figmentis, frigidisque observatiunculis, mor-
tem aboleri, nostro sensu, criminatur. Tubalcain, utrumque a nobis
doceri, nec Concordice, sed nostra dicta repugnare dicit, ⁶ verilo-⁶ Mall. f. 70.
quumque Kemnitium testem citat. DEUM immortalem, quam pere-
grini, quam rudes sunt Prædicantes in rebus de quibus iudicant!
Catholicæ Ecclesiæ genuinum sensum accipe Tubalcain: Nos ⁷ meri-
toriam iustificationis nostræ causam, dilectissimum Dei Unigenitum,
Dominum nostrum Iesum Christum fatemur. Nam nostra ⁸ Fides,
et Opera, gratiam Iustificationis non promerentur. Mors igitur
peccati, ⁹ gratis per Christum dimititur. Aeterna poena peccato-⁹ Eodem. c. 8.
debita gratis itidem, solius Christi merito, relaxatur, quod his ipsis
verbis Ecumenica Synodus Tridentina expressit: ¹⁰ Recuperata
¹⁰ Concil. Tri-
dent. Sess. 6.
cap. 7.
⁸ Ibi cap. 8.
¹⁰ Concil. Tri-
dent. Sess. 6.
cap. 14.*

² Palatinæ,
Admonit. ad
Libr. Concor-
diæ cap. 4.

³ Vide Harmo-
niæ Confess.
Augustanæ,
Andreae Fab-
ricii.

⁴ Concord.
fol. 236.
⁵ Augustana
Confess. art. 21.

Merito Christi amissa gratia, satisfactio facienda per ieunia, elemosynas et orationes: non quidem pro poena æterna, quæ una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quæ non tota semper dimittitur. *Hæc est fides omnium Catholicæ Ecclesiæ filiorum, Tubalcain, ex quo liquere tibi potest, Adversantia nos non tradere, sed Concordiam vestram secum decertare, dum mendaciter allinit nobis, quod a nobis non credi alias recognoscit. Aliquando igitur sapere incipe, Tubalcain, ne (quod in antiquis Philosophis carpit¹ Stagirites) ad pauca respiciens, de multis pronunties.*

¹ Aristot. 1.
Physicor.

IV. Adversantibus et illa, mutuoque se interimentibus accensebam: Quod interdum a Theologis nostris, integras in natura vires ad DEUM super omnia diligendum constitutas, docet Concordia. Alibi hos ipsos Theologos, DEI amorem, sine gratiæ auxilio generari posse, negantes memorat. Tubalcain² negat ulla indagine reperire se potuisse, quæ recitaram Concordiæ verba. Male nasutum te esse oportet, qui res patentissimas odorari non potueris. In libro igitur Concordiæ, ædito Lipsiæ, in quarto, anno 1580. fol. 55. in Apologia, Tit. de Peccato originali, hæc ipsa verba leges: Hos morbos non advertunt Scholastici, imo tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad diligendum DEUM super omnia. Alibi rursus:

³ In Apol. art. 18. f. 195. ⁴ Quid interest inter Pelagianos, et adversarios nostros? cum utriusque sentiant, hominem sine S. Sancto posse DEUM diligere.

Quia tamen putidum hoc mendacium ipsa recognovit Concordia, Theologos in scholis contraria omnia docere, etiam sine equuleo confitetur, hoc est, secum bella gerit, suoque sibi mendacio iugulum

⁴ Conc. fol. 57. ⁴ frangit. Nam, quæ hic sit fides Catholicæ Ecclesiæ, ille Concili Tridentini Canon te docebit: ⁵ Si quis dixerit, sine præveniente S. Sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, poenitere posse sicut oportet, ut ei Gratia iustificationis conferatur: Anathema sit.

V. Belligerare secum dixeram Concordiam, quod a nobis peccati relaxationem propriis meritis adscribi comminiscitur: cum alibi fateatur, Remissionem peccatorum gratis contingere, semper

Mall. fol. 71. *Christi Ecclesiam docuisse. Tubalcain diaphoniam hic negat: Pars enim prior, agit de Pseudo Catholicis Romanensibus: posterior, de Ecclesia Christi, audiente vocem ipsius. Tuum ego Ducem secutus deviavi, Tubalcain, si quid hic a me erratum est. Nam antequam vocali calamo, loquaci lingua, homines inescaret Lutherus, aliam Christi Ecclesiam præter Romanam designare non potuit:*

Ante me: *inquit*, vera Ecclesia fuit Romana. *Tu, si Magistro doctior, si lynceus es, nomina, longissimo illo temporis tractu, quod Apostolos inter, et Apostatam Lutherum recurrit, quæ illa fuerit Christi Ecclesia, in qua gratuitæ remissionis prædicatio sonuerit.* Nam, quod tu doceri a nobis, scribis, Remissionem peccatorum, Meritis nostris acquiri, id ego perturbati tui cerebri figmentis vanissimis ad numero, et quis ea de re sit sensus Romanæ Ecclesiæ, recitata Synodi Tridentinæ decreta loquuntur.

Luth. tom. 7.
lib. de Missa
privata, f. 236.

VI. Pugnantibus et illa annumeravi: Quod continere volentes, non cogat nubere Concordia. Et eo tamen nomine vota Monastica depretiat, quod ius naturæ et mandatum Spiritus Sancti, voto non possint tolli. Agreste hic quoque et Scythicum convitiorum carmen primum oggerit Tubalcaini infrenis lingua, quæ fluit semper æstuante colluvione verborum teterrima. Paucis deinde rem expedit: Ad Coniugia non cogi, qui donum Continentiæ habent: sed eos, quibus natura vim et appetitum generandi inseruit. Verum, nihil tu quidem his verborum strophis ad ea, quæ recitavi, Concordiæ tuæ placita respondes. Nam de iis, qui continere volunt, Concordia loquebatur, hosque negebat ad Coniugium cogendos. Tu solos impotentes, imo ne illos quidem, si appetitu generandi stimulentur, a Coniugio abstinere vis,

¹ Ipsum ius naturæ tolli arbitraris, si contineant, quibus insita est vis et appetitus generandi. Id si ita est, ius naturæ perfringi cupid Apostolus, ² stimulus carnis crebro in se verbere ac prece comprimens; innuptas manere Virgines suadens; sibi simillimos omnes peroptans. Sed venia dignus, Tubalcain, multa temere effutiens, dicendum enim aliquid fuit, ut serviret scencæ, moremque alienæ gereret voluntati.

Mall. f. 72.

¹ Mall. fol. 72.

² 2. Cor. 12.

v. 7.

¹ Cor. 9. v. 27.

v. 27.

¹ Cor. 7. v. 27.

v. 27.

37. et 7.

§. 3. Primus Error Concordiæ.

Credebam oppido fatigatum Tubalcain tot convitiis, quæ crebro vomitu expectoravit: sed ut exordio Attellanæ suæ, dignam virulentæ coronidem imponeret, rursus ingentem sordium conflugem aggerat. Fidenter tibi, quod res est, in aurem dico, Tubalcain: dum tuas calumniarum officias, dum vanas miseri Lutheranismi defensiunculas lego, te ego, vel per febrim somniare, vel arreptum morbo phrenetico, Hippocratis vinculis alligandum puto. Lædorias vero, ac inhumanas verborum, e medio bovili petitorum, sordes, quibus indefesse velitaris, te quidem dignas, mea indignas refu-

tatione existimo. Itaque vicem talionis implodere nolo, lenitate ac veritate, sale interdum, et urbanitate Romana, hominibus ingenuis, et ingeniosis digna, tuam istam insaniam excantabo.

Primum Concordiæ errorem, conatus omnes vitæ sanctioris subnervantem, nominabam, quod neget Evangelium proprie damnare, et arguere peccata, aut homines terrere, sed tantummodo lœtissimum nuntium Evangelio contineri arbitratur. Figmenti huius nexum, cum aliis placitis Lutheranis, ac usum, ante omnia in Peniculo recensui: ex his, verum Paradoxi sensum expressi; consequentium absurditatum noxios fructus aperui. Tubalcain illas Lutheranæ sectæ bases,

- Mall. fol. 73. quibus hanc de Evangelio doctrinam fundari dicebam, Probationes nominat, adeoque iejune, amethodice, ac sine sensu mea sensa recitat, ut mea esse non cogitarem, nisi in me scripturum se profiteretur Malleator.

Mall. fol. 73. *Principio igitur, fatetur Tubalcain:* Evangelium pro tota Christi, et Apostolorum doctrina sumptum, tam Pœnitentiæ, quam gratiæ prædicationem esse. *Statum vero Controversiæ, ait, Quid propriæ distinguat doctrinam Legis, a doctrina Evangelii?* Verum Concordia, statum Controversiæ longe diversum esse, hisipsis verbis Conc. f. 564. fatetur: Status Controversiæ, An Evangelium proprie sit tantummodo concio de gratia Dei, quæ remissionem peccatorum nobis annuntiet: An vero etiam sit concio Pœnitentiæ, arguens peccatum incredulitatis? quippe, quæ non per Legem, sed per Evangelion duntaxat arguatur. *Quid tu alium quæstionis statum comminisceris?* Nota nobis Legis, et Evangelii discrimina. Lex enim olim per Moysen data est Israëlitis: novissimis temporibus Evangelium, omnibus orbis nationibus, per IESUM Christum. Illa nihil ad perfectum perduxit, metu, terroribusque serviliter impulit, nec vires addidit, quibus humana infirmitas fulciretur: Hæc virtus DEI est in salutem, quæ per Spiritum in corda diffusum, amore trahit. Illa malorum remedium, seris sæculis preferendum, procul ostentabat: hæc salutis, ac gratiæ fontem exhibit. Sive igitur tempus et modum promulgandi, sive perfectionem ac rationes impellendi, sive denique vim ac efficaciam spectes, latissimum conspicaris Legis ac Evangelii discriminem. Nihil igitur ea de re disputare attinet, cetera prosequamur.

Duobus in Peniculo firmamentis comprobaram; Leges, quæ metum peccantibus incutiunt; præcepta, quæ pœnitudinem præscribunt in Evangelio, nihil ad Lutheranos pertinere voluisse Concordiam.

Prius Argumentum huiusmodi erat: Si Concordiæ effata ita accipis, ut legum Evangelicarum minæ ac terrores nihil ad Lutheranos pertineant, nec ipsos coarctent; recte adhaeret, et indulsa societate nectitur istud dogma, ceteris Lutheranorum placitis: Credendum igitur verba Concordiæ, et si quadamtenus involuta, eo sensu accipi debere, quem nexus ipse Doctrinæ exposcit. Antecedens probavi: I. Legem Dei servatu impossibilem, ut nullum arbitrentur in nobis opus coram Deo purum reperiri. Hoc si ita est, vel ergo Legis minæ, Lutheranos transgressores non attingunt: vel ab intrepida illa, et metum omnem submovente salutis certitudine, qua gloriantur, excidant, necesse est. Atqui, hanc sibi eripi non patiuntur præsentiam. Itaque nihil ad se attinere credunt terrores Legum, sed solas Evangelici solatii delicias amplectuntur. II. Diserte affirmat Concordia: opera bona ad salutem necessaria non esse. Eos damnat, qui sine Bonis operibus, salutem nos consequi posse inficiantur. At, si præcepta Legis, quæ æternæ mortis comminatione interiecta, sanctas actiones præscribunt, Lutheranos tangerent, dubio procul Bona opera saluti ipsorum necessaria forent. Ergo, etc. III. Clarissimis verbis Lutherus adstruit: Christianum nullam habere legem, totam illi abrogatam esse. Certe vero si Divinæ Legis vinculis coarctarentur Lutherani, legem haberent, nec abrogata sibi præcepta universa gloriari possent. Ergo, etc.

Posteriorius Argumentum, ex ipsis Concordiæ verbis mutuatum, erat eiusmodi: Vel Evangelii nomen, pro ea sola doctrinæ Christi parte accipit Concordia, quæ solatia complectitur: legis vero nomine Præcepta omnia Veteris et Novi Testamenti concludit: Vel Lex quidem pro Veteris Instrumenti complexione sumitur. Primum illud dici non potest, hac enim ratione, Quæstionis a Concordia propositæ, atque inter Augustinæ Confessionis Theologos controversæ, sensus hic esset: An Evangelium ea præcisa ratione, qua solatia exhibet, minetur aliquid et iubeat? Quod sane inter eos, qui mente potiuntur, et terminos intelligunt, in controversiam adduci non potest. Fatendum igitur, Evangelii nomen ad totam Christi doctrinam extendi a Concordia. Et quamvis præcepta quoque ac minus contineat Evangelium: ad Lutheranos tamen ea nequaquam spectare, quia nempe, specialis illa Fides Lutherana, et peccatum, et formidinem omnem excludit; quod Concordia ipsa non obscure significat, postquam enim dixerat, Perniciosum dogma esse, quod Evangelium proprie accuset, ac damnet peccata; quodque non sit tantummodo concio de Gratia

^{Concordia f. 566. in Negat.} *DEI: periculum in eo ponit, quod alias, Piis mentibus eripitur solida consolatio: et Pontificiis erroribus fenestra aperitur. Atqui, hæc vane conficta pericula tunc demum et tunc solum manere posse videntur, si concio pœnitentiæ, et minæ prævaricantibus denuntiate, Lutheranos quoque attingant, sive enim ad Legis doctrinam, sive alio præcepta illa, illæ minæ, pertinere dicantur, metum incutient transgressoribus; nec pericula, quæ somniat Concordia, vitari aliter possunt, quam si Lutheranos prorsus exleges cogitemus. Quod si ita non est, dicat Tubalcain, quanam alia ratione adversa illa sententia, quam Concordia improbat, consolationem eripiat, viamque Pupisticis erroribus sternat? Hunc in modum his constitutis, clarissime consequi dicebam, Nihil quidquam satagendum Lutheranis, ut legibus Evangelicis, quæ pœnitentiam præscribunt, quæque peccata vetant, detineri se patientur: sed illud cum suo Parente libera fronte iactare possunt: ¹ Nihil peccat, nisi Infidelitas. ² Christianus non potest perdere salutem, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere.*

¹ Lut. Tom. 1. Thesi 1. paradoxa in Papatu.

² De Captivit. Babyl. Tit. de Baptismo.

³ Mall. f. 74.

Hæc strictim in Peniculo attigeram: hic clarius deducenda fuere, nam Tubalcain nihil eorum, quæ a me dicta sunt, assecutus videtur.

Posteriorem meam rationem, præpostero ordine, priori loco aggreditur Tubalcain, etc. ³ Pueriliter opinari me dicit, alias esse Leges Mosaicas, alias Evangelicas. En solidam ac gravem potulent Prædicantis (nescio quod veteris vini quadrantal somniantis) responsionem. Nec quid a me dictum, nec quem in finem argumentatio mea directa, considerat; et respondet tamen. Meam ego vicem medullitus doleo, quod trunco huic bipedi compositus, bonas horas, in patellarii ac depositæ conscientiæ Prædicantis, cassa nuce, magis cassis nugamentis, ponere debeam. Ego sane Leges Mosaicas, Decalogo excepto, longe alias hucusque arbitrabar, quam leges Evangelicas. Sed nec iam capio, qui fieri possit, ut lex de Circumcisione, variisque Sacrificiorum ritibus, diversa non sit a præcepto Baptismi, Eucharistiæ, ceterisque novi Instrumenti sacrosanctis institutis.

Ad prius Argumentum ita respondet, quasi non ad sensum Concordiæ indagandum, sed alio contorserim, meoque sibi nomine argumentula fingit, in quibus diluendis pueriliter sese detineat. Sed frustra es, Tubalcain, argumenta nostra peronibus tuis indui non sinemus. At quid tandem dicat, audiamus.

⁴ Mall. f. 75.

Ad primam Antecedentis probationem respondet: ⁴ Legis impletionem impossibilem nobis esse, respectu impletionis perfectæ, quam propter naturæ depravationem, nec præstamus, nec præstare

possimus. *Probe Gordium hunc nodum dissolvisti. Hoc ipsum volebam, vestro scilicet sensu, Nullam omnino DEI legem impleri posse. Nam si perfectio illa, quam expleri posse negas, a DEO iniuncta est: eius igitur defectu, prævaricatores constituimur, et delinquimus, malum enim ex quovis defectu suboritur. Et, ubicunque¹ legis Divinæ^{1 Iacob. 2. v. 10.} prævaricatio est, peccatum sit oportet. Si vero tua illa perfectio,^{1 Ioan. 5. v. 17.} Divina lege præscripta non est; eius defectu, Legis transgressores non efficimur, ^{2 ubi enim lex non est, prævaricatio esse non potest.}^{2 Rom. 4. v. 15.}*

*Porro quia Lutheranos Omnia opera nostra peccata censere affirmaveram, rabi lymphatus Malleator: et³ Deliras, inquit, an³ Mall. f. 77. sciens mentiris? Lutherani dicunt, omnia opera nostra esse peccata? quinam illi Lutherani? cur non nominas? audes hoc opinonis monstrum Concordiæ nostræ imputare? indica librum, nomina caput, adscribe folium. Angorem animi depelle, Tubalcain, omnemque tuo pectore tristitudinem mitte; si paulisper audientiam mihi publicam tribuat Humanitas, votis tuis satisfaciam. Omnia opera bona Lutheranorum, peccata esse, Docet Lutherus: ⁴ Opus bonum^{4 Luth. tom. 2.} optime factum, est peccatum veniale secundum misericordiam DEI:^{1546. Asser. art. 32.} sed mortale, secundum iustitiam DEI. Dum⁵ credere incipis, simul^{5 Eod. Tom.} discis, Omnia quæ in te sunt, esse prorsus culpabilia peccata.^{De Liberta. Christ. fol. 4.} ⁶ Peccatum prædicatione perseitatis, inest Operi Bono, quamdiu^{6 Eod. Tom.} vivimus, sicut risibile inest homini: Quare, sicut recte sequitur,^{contra Latom. fol. 234.} Homo vivit, ergo est risibilis: ita sequitur, Homo bene facit: ergo peccat. *Satin' clara hæc, Tubalcain?* Docet vietus ille Philippus:*

⁷ Consequitur, inquit, omnia hominum, quantumvis laudabilia opera^{7 Philip. Locis, an 1523. f. 18.} PLANE vitiosa esse, et morte digna. ⁸ Opera iustificatorum impura^{8 Fol. 70.} sunt, et immunda. Docet tuus ille Symbolicus liber: ⁹ Ipsa, inquit,^{9 Liber. Conc.} legis impletio quæ sequitur renovationem, est immunda. ¹⁰ Opera^{10 Fol. 91.} nostra immunda sunt, nostra impletio legis, immunda est. ¹¹ Nullum opus satis mundum invenitur. ¹² Nostra dilectio, immunda est. ¹³ Fol. 121. ¹³ Bona opera non satisfaciunt legi. Doces denique, ne longius abeamus, tu ipse Tubalcain, nam, ut paulo antea diximus, Perfectam¹⁴ Hoc. eod. cap. 1. §. 4. legis impletionem, nulli nostro operi concedis. Et tua tibi¹⁴ mox verba adnumerabimus, quibus Bona opera Omnia, contaminata, immunda, fœda, a lege DEI deflexa nominas. Nec aliud ego dixi, quam vestro sensu, Bona opera omnia contaminata censeris. Unde has sordes opera trahant, non disputo; modo immunda, ac fœda omnia fateare. At Immunda dicimus, inquit, bona opera; peccata^{Mall. f. 77. 78.} esse non dicimus. Mirum, si quod ore loqueris, mente percipis.

Nam quod coram Deo fœdum est, ac inolitis sordibus immundum, id ego Peccatum dico, neque enim aliud, quam Divinæ legis transgressiones, Deo fœtent. Si igitur Bona ipsa opera Immunda sunt, nec perfectum legis Divinæ præscriptum attingunt, Peccata sint oportet. Nam, ut mox te docente audiemus idcirco fœda sunt bona vestra opera, quod integritate, lege præscripta, destituuntur: Omne igitur opus, legis transgressio est; et, quod hinc necessario consequitur, peccatum est.

In huius Argumentationis postrema parte, quæ certitudinem Lutheranæ salutis attingebat, non hæret Tubalcain, id solum dicit:

- Mall. fol. 77. Metum servilem excludi a Lutheranis, non filiale. Verum mihi de ipso per se Numinis metu sermo non erat, sed de salutis perdendæ mordaci cura. Hoc ergo dic, Prædicans, an filiali saltem metu perhorrescitis, ne Fides illa vestra specialis falsa sit, vosque æternum præcipites agat? Hunc, si in vobis metum cognoscitis, salva res est, ruit Babylon vestra, si abnuitis; quod assumpseram, comprobatis.

Ad Secundum antegressæ propositionis comprobationem, respon-

- Mall. fol. 75. det Malleator: Opera bona ad promerendam salutem non requiri: fieri tamen debere propter mandatum Dei, et ad evitandas poenas.

In plano cespitas, o homo, nec tuæ Concordiæ scopum tangis. Neque enim illa, ut tu, operum necessitatem ad salutem probat, Meritum improbat. Nam inter Augustanos Theologos, quorum dis-

- Conc. fol. 560. *sidium componit, controversia de Merito non erat: Sed quidam,* Opera bona ad salutem necessaria, ac sine bonis operibus salvari impossibile, dicebant: Alii contra: Bona opera ad salutem per-

- Conc. fol. 563. *neciosa, contendebant. Litem hanc dirimens Concordia, priorem illam sententiom, verbis in Peniculo recitatis damnat. Cum igitur ea, quæ art. 1. et 2.*

Negat.

inter Augustanos in disceptationem adducta erant, dissolvat Concordia; de Merito porro lis nulla inter ipsos fuerit, frustra ad Meriti necessitatem torquet Tubalcain, quæ de nuda necessitate protulit Concordia, quæ (nisi animus me fallit) illam Lutheri senten-

¹ Luth. Tom. 1. *tiam, involute, ac verborum gryphis vestitam, tradere voluit: Fides,* an. 1545. Thesi nisi sit sine OMNIBUS, etiam minimis operibus, non iustificat, imo

3. paradoxa in papatu fol. 372. non est fides. Adde, quod si ulla est operum necessitas ad salutem,

tametsi nihil mereantur, impossibile erit sine bonis operibus salvari, quod Concordia damnat. Quia igitur Renatorum opera immunda docuerat Concordia, connectit sua placita, ac immundis sordibus nihil ad salutem opus esse, libere pronuntiat.

*Tertiam Antecedentis probationem, laxatis omnibus maledicentiae
habenis, convitiatione dissolvit Tubalcain. Lutheri verba recitaram,
Lege omni mortales exsolventis. Exclamat Tubalcain: ¹O hominem ¹ Matt. fol. 76.
impense improbum! Hui, quam honorifice. Sed convitia resorbe, et
perge: Christiano non ita abrogata lex, ut ad eum non pertineat,
nec ad obedientiam sui obliget: sed ne habeat ius conscientias
accusandi, terrendi, condemnandi. Non quod piorum conscientiae
terrores legis non sentiant, sed quod illis non possint condemnari,
et ad desperationem adigi. Verba sunt, sed quae Lutheri sensum
non attingunt. Lutheri mentem, eo libro expressam accipe, quem
² Concordia ita approbat, ac si verbatim exscriptus esset: ³Papistæ ² Conc. f. 666.
ex Christo Moysen faciunt, sic enim docent: Fides in Christum,
iustificat quidem, sed simul servari oportet præcepta, quia scriptum
est; Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ibi statim Christus
negatus est, et Fides abolita. Si lex Christianos obligat ad obe-
dientiam; servari debere mandata, clarissimum est, quod Lutherus
fortiter abnuit. Sæpius alias repetit: ⁴ Nullam prorsus legem habere
Christianos, totam illis legem abrogatam esse. Nemo certe, si delin-
quentes Cæsaris clementia non plectat, leges idcirco abrogatas pro-
nuntiabit. Cum igitur Lutherus abrogatas esse Leges contendit, non
id solum dicit quod tu somnias, parci videlicet a Deo transgesso-
ribus, sed aliquid præterea sue doctrinæ principiis optime cohærens
persuadere laborat; illud nimirum: quod cum lex factu impossibilis
sit, et minetur tamen prævaricatoribus; fides illa specialis, de salutis
certitudine, subsistere non potest, nisi legis obligationem Lutheranæ
cervices excusserint. Sed et Tubalcain ipse, præcipitum dum vitat,
incurrit. Cum enim ait, legem non habere ius accusandi, terrendi,
condemnandi conscientias piorum, quid aliud dicit, quam legis vim
deperditam esse, piorum respectu? Nam si, ut te dicentem audi-
vimus, tui illi pii, nunquam actiones suas examussim Divinae legis
perfectioni conformant, anne censendi sunt culpis illigari, vel
minime? Quod si peccare eos transgrediendo fateare; certum est,
et accusari illos, et nisi resipiscant, damnari a Lege, neque enim
alia fingi potest Legis accusatio, quam quod reos constituant trans-
gressores. Sin vero sacerrima illa pietate Lutherana impiati Prædi-
cantes, cum vel furatrinas exercent, vel sanguinem spargunt innoxium,
sceleris puri sunt; et pœnarum Legis extorres, exleges quoque sint
necessæ est. Nam ubi lex est, prævaricantes delinquere nemo dubitat.
Sed in his ego te nunc labyrinthis linquo. Vale.*

³ Luth. tom. 5.
Vitt. 1554. in
cap. 2. ad
Galat. fol. 311.

⁴ Eod. Tomo,
fol. 316. 396.

§. 4. Secundus Error Concordiæ.

Exitialis est et ille, surculisque virtutum præfocandis natus

¹ Concord. error Concordiæ, qui e priori originem traxit: quod, ¹NIHIL nos
fol. 566. eorum, quæ Lex præcipit, præstare possumus. ²Nunquam nos
² Concord. fol. 69. 88. 94. Legem facere, eique satisfacere. Si enim nihil unquam eorum, quæ
157. DEUS præcipit, confectum dare possumus: consequitur, conatum
omnem Dbo obsequendi, superfluum deputari. Tubalcain, ne mutus
Mall. f. 78. videatur, verba dat legentibus: Partem Legis præstari posse, ait,
Legem quoad totum, seu ea integritate quam lex requirit, præstare
Mall. f. 79. neutiquam valemus. Ac rursus: Nihil eorum, quæ in lege sua a
nobis exigit Dominus, ea integritate, quam lex requirit, præstare
possumus. Verum, ne minimam quidem Legis particulam a nobis
fieri posse, contendit Concordia, dum particulas illas, NIHIL, ET NUN-
QUAM, toties iterat. Nam, si minuta aliqua pars Divinæ legis expleri
quandoque posset, nihil a nobis eorum, quæ Lex præscribit, fieri,
false diceretur. Deinde, si ut tute fateris integritas quam Lex
requirit, nullo in opere reperitur: præterquam quod fatendum tibi
erit, mentiri illos Christum docuisse, quibus, ut illa verba usur-
parent, Quod debuimus facere, fecimus, præscripsit; illud quoque
Luc. 17. v. 10. concedas necesse est, nullam a nobis prodire actionem, quæ Divinis
legibus non aduersetur. Quod si ita est: nulli Divinæ legis parti a
nobis satisfieri posse, consequitur. Nam, si quod est opus, quo
Divinæ legis portiunculæ satisfacimus, præscriptam a lege perfec-
tionem adesse illi oportere, intelligis, si quidem perfectione debita
destitutæ actiones, non obsequia, sed legis prævaricationes habentur.
Vides, Tubalcain, nec quid Concordia velit, assecutum te esse: nec
tibi tecum convenire, pugnantia enim sunt ista: nihil ea integritate,
quam lex requirit, fieri; et, partem tamen legis præstari: Nec quod
vos credere dixeram, diffiteri potuisti, cum ultro fatearis, Nihil
fieri a nobis ea perfectione, quam lex requirit: nec denique secius
vos docere posse, qui omnes actiones fœdas arbitramini. Lectori
porro male consuliisti, quod eas legis Divinæ particulæ, quæ
præstari possint, non enotasti; et quas factu impossibiles arbitraris
seorsim non consignasti: ut quid conandum, a quo desistendum
ipsis esset, distincte perciperent.

*Ad revincendam Concordiæ vanitatem, ex solida ac stolida
ignorantia derivatam, opportune addideram. Quatuor, eaque gravissima
consequi Incommoda, si nihil unquam ex præscripto Divinæ*

legis peragimus, si fœdæ omnes ac peccatis vitiatae sunt actiones. Absurda hæc, enodanda sibi sumit Tubalcain.

Inconveniens unum erat huiusmodi: Bona opera in nobis DEO agitante peraguntur. Si igitur immunda, et a Legis orbita deviantia sunt, hoc est, se peccata sunt; DEO impellente scelera perpetrari, consequens est. Tubalcain, paralogismos hic, et nescio quos turbati sui cerebri terminos quatuor videt: Quia, inquit, aliud est peccatum, aliud opus bonum peccati cœno oblitum. Opera bona, quatenus Deo operante flunt, munda et sancta sunt: coquinantur ex vitiosa nostra natura. Quatenus igitur opus bonum a Spiritu sancto efficitur, non nisi bonum est: quatenus vero ab homine cooperatorante proficiscitur, mancum et imperfectum est. Aut ego tardior sum, aut mihi satis fatuum hoc et obtusum videtur. Evidem, si peccati cœno oblitum opus, peccatum non est; quid tandem peccatum sit, vix tua tibi Lexica aut Cornucopiae enodabunt. Et indicium aliquod divini tui ingenii prome, nosque discrimen Peccati, et Operis peccati cœno fœdati edoce. Verum pugnas verborum, tibi tuisque linquam. Illud dico: Ad ea, quæ vitio nostro immunda sunt, divinitus impelli homines; Adynaton est. Nam, ut sacræ literæ testantur: DEUS intentator malorum est, et neminem tentat: unusquisque autem tentatur a concupiscentia sua illectus. Vides, eum tentandi modum, quo concupiscentia prolectat, a DEO removeri. Atqui innata hæc naturæ propensio, ad ea quæ carni blandiuntur, non aliter nos tentat, quam ut Evam impulit pulchri et suavis fructus lenocinio. Quocirca, ut inolitum hoc naturæ pondus, licet ad ea sola, quæ sensus demulcent, animum pertrahat, nec ullum operi adhærentem malitiam suadeat: ad malum tamen tentare dicitur, quoties opus ad quod extimulat, sine peccato a nobis peragi non potest. Pari itaque ratione, si DEUS suadet, si imperat, si inchoat, ac peragit in nobis opus, quod fieri a nobis sine peccato non potest, ad peccandum prolectare dicendus erit; tantoque magis, quanto potentius voluntatem flectere potest, quam concupiscentia. Quid? quod Dæmon ipse, aut qui pestilenti consilio in ruinam impellit, non alia causa et tentare, et sceleris nostri autores dicuntur, quam quod suadent ac persuadent, quod a nobis sine peccato peragi non potest, tametsi alioqui opus nude ut suadetur spectatum, malitia carere possit. Qua ratione, etsi esus pomì per se consideratus, vitium non habeat: quia tamen ad hunc esum, quem sine præcepti læsione peragi non posse Tentator norat, suadelis pertraxit homines, et tentasse,

Mall. fol. 79.

Iacob. 1. v. 13.

et mali autor extitisse pronuntiatur. Simili ergo ratione, si opera ad quæ torpescentes instigat DEUS, sine peccato a nobis peragi non possunt; tentare et quod absit, sceleris autor esse DEUS dicendus erit.

Cetera incommoda, quæ exinde deduxeram, quod sancta renatorum opera, peccata censeant adversarii, uno diffindit ictu Tubalcain,

¹ Mall. f. 80. *negatque renatorum opera a se peccata nominari: ¹ Hoc, inquit, ut impium, et a mente nostra alienum iam repulimus.*

² Fol. 81. *² Antecedens, si de Renatorum operibus a Deo præceptis accipitur, simpliciter falsum est. Opera bona mala esse, nulli Luthe-*

³ Fol. 82. *Supra, § 3. rano ne per febrim quidem in mentem venit. Quid Lutherani ceteri huius capit. hac de re sentiant, paulo ante accepisti. Tibi vero tecum longe gravior est, quam nobiscum dissensio. Et quid dolos nectis, Tubalcain?*

quid in sole constitutus, tot colorum species spectantium oculis exhibes? Dic clare: Opera bona Lutheranorum plene exhibent quod lex præscribit, vel cum defectu? Audivimus te non pridem dicentem, Legis præscripta plene non expleri, etiam sanctissimis operibus. Id si ita est, qua tu fronte negas opera, quibus præcepta Divina violamus, peccata esse? Si vetus illa tibi peccati finitio displicet, quæ Legis transgressione terminatur: novam igitur, novo tuo Evangelio contesseratam, profer. Et nescis, Prædicans, malum quovis defectu reddi opus: integra vero omnia ad bonum concurrere?

⁴ Aug. Tom. 7. *Sed quid remotis te argumentis premo? ³ Audi te ipsum tuque lib. 3. de Orig. potissimum fructibus eloquii tui utere: ⁴ Etiam Bona opera nostra, Animæ, c. 14.*

⁴ Mall. f. 77. *propter peccatum adiacens, contaminata esse, immunda esse, panno*

⁵ Fol. 79. *menstruatæ similia esse, docemus: ⁵ Opera bona Renatorum coin-*

⁶ Fol. 80. *quinantur per inhabitans in nobis peccatum. ⁶ Bona opera, non quidem per se, sed quatenus in efficiendis illis concurrunt etiam Renati, tanquam cooperarii gratiæ DEI, adeo polluuntur, ut panno*

⁷ Fol. 82. *impurissimo assimilentur. ⁷ Opera bona fidelium, propter cohærentes defectus, nævos, et peccatum circumstans, immunda et imperfecta vocamus. Filiorum DEI opera, et obedientia, imperfecta et immunda sunt. Itaque placent DEO opera, non quod Legi perfecte satisfaciant, aut ab omnibus scoriis peccati defœcata sint,*

sed quod Christus pro eorum imperfectione litaverit. Hæc si vera sunt, aude negare, Tubalcain, eum, qui vestra Bona opera exercet, et peccare, et DEI legem violare, et scoriis peccati taminatas actiones efficere. Per se vero, an ratione operantis mala sint Renatorum vestrorum Bona opera, non laboro, dum tum ea mala esse ac polluta fateare. Nam nec esus pomi, nec cædes hominis (quæ et a

Magistratu, et a brutis animantibus sine flagitio peragitur), per se peccata sunt: sed ab eo vitiantur, qui et Legibus arcetur, et sponte agit. Isaiae verba, quæ passim in ore vestro, Hieronymus compa- Hieron. in Isa.
rate vult accipi: Iustitia, inquit, quæ in Lege est, ad comparationem Evangelicæ puritatis, immunda nominatur. Nec mirum hæc de hominibus dicere, cum et astra, DEI iustitiæ comparata, non sint munda. Si quis post Evangelium Christi, paedagogæ Legis observat Cæremonias, audiat populum confitentem, quod omnis illa iustitia, panno sordidissimo comparetur. Triplicem a Hieronymo loci explicationem audis, nullam instituto vestro deservientem. Et usitatus Scripturæ mos est, omnibus attribuere, quod plerisque commune est, eaque de causa Isaias, immundas nominat Legales iusticias, quas externa hypocrisi potius, quam interna mentis pietate peragebant. Quod si pertinaciter contendat Tubalcain, ad nos quoque illa Isaiae verba pertinere: quidni, et quod atterxit, Lutheranis suis applicet: Non est qui invocet nomen tuum?

Vides igitur, Tubalcain, vestro sensu a me dictum fuisse, Bona opera vestra omnia fœda esse, peccata esse, undecunque hanc fœditatem contrahant. Huic tam probroso dogmati, quæ deducebam, adeo clare connectuntur, ut ea negare non audeas, sed tua potius placita diruas.

Illud postremum attexebam: Apologiam Solnensem, Concordiæ suæ vestigia lambentem, vanissime nugari; pollutionem, quæ operibus bonis adhæret, a DEO tegi, nec pro peccato censeri. Id ipsum fabulatur Tubalcain: Imperfectionesque bonorum operum, per fidem tegi, disputat. Ut vero ab iis, quæ hinc deducebam, nimium pertiniosis se expediatur, omnem movet lapidem, ac demum: nullam evadendi spem superesse videns, quod res est dicit: *Flagitia nempe, per veram pœnitentiam expiata a DEO condonari, pro peccato non reputari. Et: Peccata ob interventum satisfactionis Christi, et gratuitæ remissionis, desinere esse peccata. Ita est, Malleator, per veram Pœnitentiam, gratuitamque indulgentissimi Patris relaxationem, peccata in nobis desinunt, quod Metaphorice, Tegendi verbo Scriptura explicat. Sed nulla hac de re quæstio. Illud agebatur: An opera, defectu perfectionis Lege præscriptæ, immunda a DEO quoque et fœda, et plectenda iudicentur? vel potius fœditas quæ in illis hæret, a DEO contegatur, nec ira ac suppicio digna censentur? Hoc postremum fieri non posse, Argumenta nostra comprobabant; quæ tu non eluis, sed alio quæstionem flectis, ac in Sanctis manere peccatum, reatu sublato, disputas. At, o bone, de*

Hieron. in Isa.
64. v. 6.

Videre est Isa.
1. v. 11.

Mall. f. 80.

Mall. f. 84.

Mall. f. 84.

solis Operibus, quæ dum fiunt, transeunt, sermo noster erat, de his Concordia, de his Apologia, tuque adeo ipse, recitatis verbis, agebatis. Hic hærendum, deque immunditia, quæ inest operi, disceptandum fuit. Nec committam, ut novam ego tecum disputationis telam ordiar, et, an in renatis Concupiscentia proprie dictum peccatum censeatur, atque idcirco nunquam peccata nostra deleantur, disceptem. Tuas tu prius tecum pugnas compone, qui per pœnitentiam et gratuitam remissionem, Peccatum desinere esse peccatum, dicas: et nihilominus, Peccata etiam dimissa, manere in Sanctis, promuntias, hoc est, esse dicas quæ esse desinunt. Ego sane, quid velis, non assequor, nec me pudet tarditatis, id enim in legendopatior, quod vos in scribendo.

Mall. f. 84.

Mall. f. 83.

§. 5. Tertius Error Concordiæ.

Postremum e plurimis, Concordiæ lapsum, Virtutum fibras evellementem memorabam: Quod ita hominis naturam corruptam dicat, ut nec aptitudo, nec capacitas ulla reliqua facta sit, qua cooperari Deo ad bonum possit. Hic prius maledicentiae habenas laxat Tubalcain, quod ementitam Prædicantium parsimoniam riserim, suisque pinxerim coloribus, quæ de veste Attalica, quæque de obtenta furtive Nobilitate, verissime memoravi, negare non audet. Indignatur,

Mall. fol. 87. *quod soli Prælati, concharum, et bombycum opere superbire velint, et per latus suum, alios peti clamitat, Bocskanianis manubiis opulentatos, Calvinistas scilicet Clamatores. Verum, ut lubet, hereditatem inter se herciscunto Calvini ac Lutheri pulli: quod a Prædicantibus factum scripsi, factum scio.*

De re ipsa nihil addit Tubalcain, præter illa, quæ ex Apologia ricitarat Peniculus. Iis vero Scripturæ testimoniis, quibus adversus Pelagium ostendi solet, Nihil salutare effici posse ab homine, sine gratia; conclusum vult Tubalcain, nec cooperari posse, peccatores, inchoandam, perficiendamque conversionem, sed passivam solam capacitatem ipsis ut subiectis inesse, in quibus Spiritus Sanctus agat. Renatos vero, Activam quoque aptitudinem habere, cooperandi gratiæ DEI, non abnuit. At ego, ex hoc ipso concludebam, eum qui in peccatum contra conscientiam labitur, quo (ut Concordiæ vestigia legens Malleator contendit) Fides ipsa deperditur, conari ad Fidem, ad Pœnitentiam, non debere, cum nulla in ipso amplius supersit capacitas ad Fidem et veram pœnitentiam. Quid ad hoc Prædicans?

Mall. fol. 88. *capacitatem ipsis ut subiectis inesse, in quibus Spiritus Sanctus agat. Renatos vero, Activam quoque aptitudinem habere, cooperandi gratiæ DEI, non abnuit. At ego, ex hoc ipso concludebam, eum qui in peccatum contra conscientiam labitur, quo (ut Concordiæ vestigia legens Malleator contendit) Fides ipsa deperditur, conari ad Fidem, ad Pœnitentiam, non debere, cum nulla in ipso amplius supersit capacitas ad Fidem et veram pœnitentiam. Quid ad hoc Prædicans?*

Mall. fol. 81. *capacitatem ipsis ut subiectis inesse, in quibus Spiritus Sanctus agat. Renatos vero, Activam quoque aptitudinem habere, cooperandi gratiæ DEI, non abnuit. At ego, ex hoc ipso concludebam, eum qui in peccatum contra conscientiam labitur, quo (ut Concordiæ vestigia legens Malleator contendit) Fides ipsa deperditur, conari ad Fidem, ad Pœnitentiam, non debere, cum nulla in ipso amplius supersit capacitas ad Fidem et veram pœnitentiam. Quid ad hoc Prædicans?*

Mall. fol. 87. *capacitatem ipsis ut subiectis inesse, in quibus Spiritus Sanctus agat. Renatos vero, Activam quoque aptitudinem habere, cooperandi gratiæ DEI, non abnuit. At ego, ex hoc ipso concludebam, eum qui in peccatum contra conscientiam labitur, quo (ut Concordiæ vestigia legens Malleator contendit) Fides ipsa deperditur, conari ad Fidem, ad Pœnitentiam, non debere, cum nulla in ipso amplius supersit capacitas ad Fidem et veram pœnitentiam. Quid ad hoc Prædicans?*

Mutus conticescit. Nam, tametsi distinguat de peccato conscientiam vastante, et piorum infirmitatibus: quid tamen ista ad Argumenti solutionem faciant, non exprimit.

Aliud obiter perstrinxeram, huic errori evertendo firmamentum: quod Lutheranæ Theologiae principiis, cohærenter hunc in modum diducere licet: Cum piorum Lutheranorum quispiam in homicidium, aut libidinem ruit, fidem amittit, non aliter (si vobis credimus) quam rursus, fide apprehendendo promissiones Christi, resipiscit. Sed Fides, hoc est, (ut vos contenditis) confidentia de misericordia Divina, vitalis quædam actio est, sive Intellectus, sive Voluntatis. Ad eam ergo active concurrit Intellectus, seu Voluntas. Cum igitur ab Esse ad posse efficax sit argumentatio: fatendum est, capacitatem, et vim activam in nobis hærere, qua, adiuvante Gratia, convertamur. Sed et hic Pythagoræus est Malleator. Quid vero, an non et ipsa Concordia clare pronuntiat, Homines in ipsa conversione, DEI gratia, fieri volentes, ex nolentibus? Neque de Renatis ibi sermo, nam disertim præmittit Concordia, Sermonem esse de Voluntate hominis, iuxta secundam considerationem; hoc est, ut ipsam explicat, qualis esse solet post lapsum.

Denique subnectabam et illud: Sine Christi gratia, nos quidem in operibus pietatis præstare nihil posse: posse cum gratia. Lucis causa, hoc simili utebar: Saxum quod solus dimovere non potes, ut possis adiutus ab altero, vim habere te oportet, qua alteri possis cooperari. Hic Tubalcain imponit incauto lectori, meque concludere arbitratur, Naturalem in non renatis esse facultatem, qua se ad DEUM convertant: cum ego diserte dixerim, naturalibus humanæ infirmitatis viribus, Divinæ gratiæ subsidio non adiutis, neminem converti posse: ope cœlesti posse. Tubalcain hoc perinde esse ait, ac si dicas: Unus Equus trahere currum non potest; adiutus ab altero potest: Ergo et hic, et ille, vires habet trahendi currum. Consequentia hæc vitiosa non est, si Conclusio ita, ut est, non restricta sumatur, licet enim equorum neuter eas vires habeat, ut solus dimovere currum possit; uterque tamen vires habet; quibus alteri ad inchoandum, et peragendum motum cooperetur. Idem quadamtenus in nostro proposito videre est: tametsi latum aliunde discrimin intercedat. Nam Intellectus, et voluntas, nativa virtute sine Divinæ gratiæ subsidio, nec actum Fidei, nec Charitatis, ac veræ Pœnitentiæ, quibus ad DEUM convertatur, elicere potest: DEO tamen adiuvanti, cooperari potest. Sed hæc pluribus persequi, instituta brevitas non patitur.

Concor. fol.
554. 556.
Art. 2.
Negat. n. 8.
Fol. 551.
Instatu contr.

Mall. fol. 89.

PENICULI CAP. V.

Contra Divina, ac humana iūra egisse Prædicantes, cum
Census Cathedraticos, etc. ad se dirivarunt.

Tria Libertati Ecclesiasticæ, sacris Canonibus, Divinis humanisque Legibus adversa, in Solnensi conventu, a Superattendentibus perpetrata fuisse, Illustriss. Cardinalis dixerat: Primo: quod in aliena diœcesi Synodus indicere præsumpserint. Secundo: quod Census Cathedraticos, legitimis possessoribus Archidiaconis, per vim ademerint, proventusque Ecclesiæ interverterint. Tertio: quod Ecclesiastici fori causas in se dirivarint, apellationemque ulteriorem prohibuerint.

Capite 6. facio. Negant quidquam horum contra ius et æquum a se perpetratum. Ego vero, antequam frivolas ipsorum excusationes, velut aranearum telas, levi flatu disrumpam disturbemque: clarissimis, nec ulla tergiversatione eludendis argumentis commonstrabo, verissime hæc omnia ab Illustris. Cardinali dicta fuisse.

De illegitima Concilii inductione.

PRIMO igitur, Indictionem Synodi, contra ius fasque usurpatam, sic ostendo: *Divinis, humanisque legibus adversatur, ut contra Sacrosanctorum Conciliorum decreta, contra usum perpetuum Ecclesiæ, contra proprium iusiurandum, Synodus aliqua celebretur: Sed Synodus Solnensis, hac ratione a Prædicantibus Superattendentibus peracta fuit: Ergo etc.*

Maior adeo clara veritate lucet, ut qui eam inficiari audeat, ad Anticyras amandandus videatur. Assumptionem ita comprobo: Iurant Prædicantes in verba Confessionis Augustanæ. Hæc vero disertim docet, ea sola, quæ contra Canones, noviter, sine certa autoritate in Ecclesiam irrepserunt, a se reprobari in Ecclesia Romana: Quocirca iuramento adacti sunt Prædicantes, antiquorum Canonum, et præsertim Nicæni Concilii (quod ipsi quoque, licet alioquin sacra omnia profanent, sacrosanctum habent), autoritati, fasces Prædicanticas submittere. Nicænum vero Concilium palam

Sozom. lib. 3. cap. 10. sancit: *Nullam Synodus legitime convocari, nec quicquam definiiri posse, præter Romani Pontificis sententiam.* Quod Sanctorum

Trecentorum decem et octo Patrum, pietate, doctrina, miraculis rutilantium, decretum obstitit, et obstat hodieque, quo minus schismatici Græci, Concilium generale cogere audeant. Adde, quod constans ac perpetua fuit Ecclesiæ consuetudo, ut cum bona Romanæ Sedis venia, Metropolitani in sua Provincia; Episcopi in diœcesi, Synodos convocarent; quemadmodum videre est apud *Augustinum*, *Epist. 217. ad Victorinum*: ubi ad Primatem Numidiæ pertinere docet, *Synodus in Numidia convocare, nec fas esse, ut Numidia Præses Mauritanos convocet, qui suos habent Primates*. Qua de re Calvinum, veritatis vi coactum, audi loquentem: *Metropolitæ cuiusque erat officium, ut Provincialem Synodum statis temporibus cogeret*. In eo vero, quod subdit Calvinus, nihil iuris habuisse Romanum Episcopum in Provinciales Synodos, mentitur, et Nicæna decreta perperam torquet. Magdeburgici quoque Lutherani, eandem quam *Calvinus*, *Metropolitanis fuisse autoritatem non diffitentur*. Si igitur contra decreta Nicæna, Pastorumque, quibus divinitus obedire iubemur, mandata; si contra diuturnam possessionem, si contra iusiurandum Prædicanticum, Synodus Solensis indicta peractaque est: dubitabimus adhuc, Divinis, ac Humanis legibus contrariam eam coitionem fuisse?

Niceph. lib. 9.
cap. 5. 10.
Tripart. lib. 4.
cap. 9 19.

Calv. lib. 4.
cap. 7. n. 8.

Cent. 4. cap. 7.

Prædicantes Apologetæ vernaliter respondent: PRIMO; Non a Ministris convocatam hanc Synodum: *Quid enim his iuris in Dominos Barones, Magnates, Nobiles, præsertim in negotiis publicum statum concernentibus?* Quid audio? nullum ergo ius est Pastoribus in oves suas, præsertim in publicis, Religionis, ac Ecclesiasticæ disciplinæ negotiis? inversa ergo omnia apud vos? Oves præsident Pastoribus? filii regunt parentes? grex attendit Episcopis? Et ita vere est. Vilia vos Dominorum vestrorum mancipia; Ægonomi, non Pastores; agolo, non pedo digni estis; docte-
tis, quod docendum præscribunt; controversiæ vestræ pleræque, ac doctrina etiam vestra ab ipsis diiudicatur. Accepto igitur quod dicitis, et vel hoc indicio ostendo, Lupos vos esse, Pastores non esse, qui si essetis, multum per omnem modum iuris esset vobis in vestras oves, præsertim in publicis Religionis negotiis. Deinde, incaute a se amoliri conantur, indictæ Synodi invidiam Prædicantes. Nam in iis Domini Palatini literis, quas 20. Iunii, Anno 1609. datas iam antea diximus, disertim fatetur D. Palatinus: *Ministrorum suggestione se adductum, ut precibus contenderet apud Dominos, ne ad Synodum venire gravarentur.*

SECUNDO, respondent Prædicantes: *Et in lege veteri, et in Ecclesia primitiva, a Regibus et Imperatoribus convocari solitas Synodos. Nicænam siquidem, Constantinus; Constantinopolitanam, Theodosius senior; Ephesinam, Theodosius iunior; Martianus, Chalcedonensem; Iustinianus, Constantinopolitanam coëgit. Eorum igitur vestigia legens Dominus Palatinus, sçpissime sollicitatus, (a Prædicantibus scilicet,) Synodum Solnensem indixit. Si enim, inquiunt, iuxta articulum Anni 1608. Superattententes habendi sunt: habendus quoque fuit publicus conventus; in quo tales personæ eligendæ. Multa sunt, quæ permiscent hic Prædicantes buttubata. Primum enim: Esto habendi fuerint Superattententes: haud sequitur, Synodum indici debuisse. Nam, et Prædicantes antea creati sine Synodis: et duo, tresve Prædicantes, demulcere barbam novorum Superattendentium poterant, novumque Magistratum hoc ritu inaugurate. Certe Catholici, suos iam pridem habent Episcopos: nec tamen, ut ii sacro ritu soncentur, Synodi indici solent. Deinde: Esto, Synodus indici debuerit: nego eum a Domino Palatino indici debuisse, eius enim munia ac functiones, officia, dignitates, obligations, Ad defensionem iurium ac libertatum Ecclesiae, citra omnium iniuriam, ac illegitimam offenditionem, extant in legibus Hungariæ. At, quod Synodos convocare debeat, quod Episcopos creare, quod Leges Ecclesiasticas sancire, quod census Cathedraticos Archidiaconis, causas Ecclesiastici fori Sacerdotibus, adimere debeat; nusquam sancitum in Municipalibus Pannorum legibus. Demum: Esto, demus hoc quoque amicitiæ Prædicantium nostrorum, et quod falsum est, iudicio ipsorum, erroribus assueto, verum esse concedamus, iusque permittamus sæculari Magistratui Synodum indicendi: certe nullum veteris Ecclesiae exemplum adferunt, nec porro adferre poterunt, ubi præter supremum Magistratum, aliquis alias Politicus, inferioris ordinis Magistratus, Synodum convocarit; sed Imperatoribus, sed Regibus, sed Principibus hæc autoritas conservata. Et tamen belli mei Prædicantes, et Palatino, et cuivis alteri, modo sit Lutheranus, ac rem confectam dare possit, ius indicandi Concilii permittunt; atque hunc in modum argumentantur: Supremi Magistratus fuit in veteri Ecclesia, Synodum convocare: Ergo Dominus Palatinus, iure Synodum convocavit. Quod, quia Prædicantico acumine dignum est argumentum, perderem verbulum, quod illi dissolvendo impenderem. Illud mirabile, quod aiunt Prædicantes: *Nec quidem in Dominum Cardinalem Metropolitanum**

In formula
iuramenti
Palatalinis.

*Strigoniensem, Provincialis Concilii indicendi ius, et potestatem (quam sibi arrogat) ullo modo (nisi forte ex Supremi Magistratus mandato) competere. Ridenda, vel deflenda potius est, hæc Prædicantium tarditas. Archiepiscopus Strigoniensis, qui etiam Politica dignitate præcedit Palatinum, utpote, Primas Regni Hungariæ, Archiepiscopus Ecclesiæ Strigoniensis, qui (ut Leges Hungaricæ habent), *Iam indefere a Christianæ Religionis in Hungaria primordiis, caput secundum Regiam Maiestatem in Regno, omnium Ecclesiarum fuit, ex quo Religionis, cultusque Divini, in toto Regno, vel tuendi, vel augendi, præcipua semper ratio dependet*, Hic, inquam, Archiepiscopus, Synodus indicere non potest, Palatinus potest? o tempora! o mores! Sed dicite tamen, dicite Prædicantes mei, quo iure? quibus tabulis? quibus rationum firmamentis, id quod Ecclesia universa, quod ratio, quod ipsa necessitas Primati concedit, vos adimitis? Tacetis? obmutescetis? Certe Leges Hungariæ, non sinunt solum, verum iubent etiam, ut *Episcopi Archidiaconos ad Visitationes emittant, Synodos celebrent: ac tempore Synodi teneantur omnes Plebani, et Presbyteri, pro accipienda salutari doctrina, convenire: ac in Dominos, qui impedire hoc vellent, a Rege animadvertiscantur*. Et alibi: *Prælatos Ecclesiarum, Synodum ex institutione canonica, necessario celebrare habere in suis Diœcesibus, Leges Hungariæ clamant. Si igitur Prælati in suis diœcesibus hoc ius datum, cur Prædicantes, Archiepiscopi facultatem circumscribunt, imo circumcidunt?**

At Regiæ Maiestatis dignitati hic consultum volunt Prædicantes, cum sine mandato Regis nolunt posse celebrari Synodos. Nihil est, quod hæc vos cura coquat, et exedat, Prædicantes. Rex Hungariæ, Catholicæ Matris Ecclesiæ filius est charissimus, qui ut Matrem, amat, fovet, protegit Ecclesiam. Scit Concilii Tridentini decretum esse: *Ut Metropolitani, quolibet saltem triennio, non prætermittant Synodum in Provincia sua cogere, quo Episcopi omnes, et alii, qui de iure, vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur*. Scit gravissimum Anathematis, non brutum, sed vividum, sed penetrabile fulmen, a summo Pastore in eos contortum, in Bulla (ut vocant) Cœnæ Domini, qui Archiepiscopos, Episcopos, ac alios Prælatos impediunt, quo minus sua iurisdictione Ecclesiastica utantur. Ideoque gratissimum est Regiæ Maiestati, ut ad mores reformatos, ad corrigendos excessus, ad rem Catholicam promovendam, Archiepiscopus Decreta Concilii Tridentini exequatur.

Ne vero longiori vos sermone morer, Prædicantes, quam

Art. 15.
Anni 1536.
Artic. 18.
anni 1550.

Artic. 41.
anni 1559.

Artic. 68.
anni 1498.

Sess. 21. c. 2.
de Reform.

Bulla Cœn.
Excomm. 16.

temere, ac falso a vobis dictum sit; Concilia olim non Sacerdotali, sed Cæsarea Constantini, Theodosii, Martiani autoritate indicta fuisse: ad Illustriss. Bellarminum vos ablego, qui *lib. 1. de Concil. cap. 12. et 13.* copiose refellit, non ea quæ vos mussatis, (nihil enim vos solide ac cum ratione, sed nuda asseveratione adstruitis,) sed quæ dici pro vobis, ab eruditis viris potuissent.

De Censu Cathedratico interverso.

Evincendum iam est, rapones Popas, ac manducones lingulacas, Divina Humanaque iura violasse, quod aliena ex quadra tuburcinantes, Sacerdotum Christi partiarios particulones sese per vim effecerint.

Art. 53.
annī 1498. Et Primo: Vos ipsi, ut opinor, dabitis, ad rem Attentissimi, de alieno rumen adipantes Prædicantes, publica vos Regni Decreta violare, cum proventus Archidiaconorum involatis, comedonibusque vestris degulandam assignatis. Nam, scitis ipsi, nulla unquam lege, hanc vobis potestatem factam fuisse, aut, si viri estis, apicem unum ex Legibus, rapinæ vestræ patrocinantem. Nobis certe suffragantur Leges patritæ, et avitæ, quæ nec rarenter, nec frigide sanciunt: *Ut Archidiaconi Ecclesiarum proventus Cathedraticos exigant. De singulis Ecclesiis, quæ integræ vocantur, unus florenus; quæ mediæ, medius florenus a Plebanis exigatur.* Hæc, antequam vos nasceremini, sanxit Hungaria. Rursus, postquam vos infausto omine in orbem irrupistis; *Cathedraticum Archidiaconis solvendum esse,* gravissima Constitutione decretum fuit. O si quid tale refugæ isti pro se adferre possent, quam festos plausus darent! Sed evolvant omnia, nova, vetera, ne gry quidem in omnibus legibus pro hac rapina reperient. Si igitur emaciatum ventrem, vacuamque ingluviem; si exsuccas inanitasque macore ac orexi lactes læmargorum Superattendentium, rapinis farcire; si lurcare alienas opes criminis deputatis: exerite vim omnem facundiæ vestræ, Prædicantes; doctrinæ energiam ostendite; persuadete Summatibus, medioximis vestris, ut de suo, si non mactæa pollucibiliter obsonantibus, si non ruceta pergræcantibus, diarium saltem tribuant: et si non vino, deuteria saltem ac lora, seu posca acidula sitim sublevant macticorum Superattendentium. Sectemini generosum illud Abrahæ, cuius fide gloriamini, facinus, qui ultro etiam obtrusis Sodomorum opibus opulescere noluit, ne diceretur ab ipsis ditatus.

Artic. 43.
Anni 1569

Gen. 14. v. 23.

Sed nihil promoveo, aquam ex pumice facilius exprimas, quam Dei caussa quidquam erogent de suo, qui maiorum pietate Deo devota anathemata deruncinant, sacros Aedeo expilant, ac incinatis manibus descobinatas depeculantur. Nam lapire corda novitas Lutherana potest: ad aliquem pietatis sensum illaquefacere non potest, et tamen magnus ille Moyses, cuius exemplo vos abusos diximus, operibus magis quam verbis credendum de fide cuiusque existimavit.

Ruffin. lib. 2.
cap. 6.

Deinde: quia Leges, ut aranearum telas vespæ grandiores perrumpunt, validius age in ipsam Prædicantium conscientiam telum torqueamus. Liber ille Concordiæ, quem iurejurando comprobant Prædicantes, ut invidiā potestatis Ecclesiasticæ violatæ a suis averteret: *Sæpe, inquit, testati sumus, nos politicas ordinationes, et donationes Principum, et privilegia, non reprehendere.* Ex quibus hanc rationem conficio: Iuramento se adstringunt Prædicantes ad Librum Concordiæ: Ergo iurant, non intervertere proventus ac bona Ecclesiæ, Principum donatione Sacerdotibus collata, et consequenter, iurant, Census Cathedraticos, Regiis Priviligiis, Regni constitutionibus, usu ipso, ac diuturna possessione ad Archidiaconos spectantes, alio non derivare. Et hæc forte cogitatio, quosdam melioris mentis Prædicantes adegit, ut Censum debitum Archidiaconis penderent; refugæ esse nollent; Apologiasque sui facti, nec inelegantes, nec inurbanis salibus conditas æderent, quibus frena tumoris Collegarum iniecerunt. Audiant igitur Prædicantes, non meam, sed suæ Concordiæ sententiam, qua, et repetundarum ipsos accusat, et æternis Inferorum cruciatibus adiudicat, nisi alienum Censum, ruptis omnis iustitiæ repagulis, temere usurpatum, primo quoque tempore pendant: *Falsa est, ait Concordia, pœnitentia, si non satisfiat illis, quorum res occupatas tenemus, non enim vere dolet se furatum esse, aut rapuisse is, qui adhuc furatur. Tantis per enim fur, et prædo est, dum est iniustus possessor alienæ rei.* Hæc ibi rectissime, ad corculum plane novorum Superattendentium. Sed ad vos nunc mea se convertat oratio, Prædicantes, ceteris doctrina et probitate insigniores, qui neglecta Solnensi denuntiatione, quod iure, ac more debetis, Census Cathedraticos pendere Archidiaconis pergitis. Atque ne meis vos verbis, ad id quod facitis, porro faciendum excitem, antiquissimi, doctissimique viri verba consideranda vobis propono: *Tiberius Magistratus semel datos, ideo se iugiter permittere dicebat illis, quibus fuere*

Fol. 263.
Apolog. de
potest. Eccles.

Concor.
fol. 175.
Apolog. de
Confess.

Joseph. li. 18.
Antiquit.
Iud. cap. 13.

concessi, quod intelligeret consuli per hoc subiectis. In natura enim omnem Administrationem hoc habere firmabat, ut circa opes acquirandas, faceret studiose festinare. Exemplum eius rei proferebat quendam vulneratum, ad cuius vulnus muscæ congregabantur plurimæ, quem quidam transeuntium cum vidisset, miseratus eius calamitatem, ratusque quod imbecillitate nimia muscas illas a se non posset abiicere, opusque haberet alterius beneficio; interrogavit causam, cur sibimet ipse non auxiliaretur molestiam repellendo muscarum? Cui respondens: Amplius, inquit, læsiones importas, si has præsentes fugaveris. Ista quidem iam replete sanguine, non eo modo molestæ sunt, quin etiam aliquanto remissius insistunt: si vero his amotis aliae famelicæ congregentur; ita illud vulnus invadent, ut etiamsi intereant, non valeant effugari. Quid velum, res ac tempus docebit, qui sapit, capit.

Præter leges patrias, præter iuramenti Prædicantici obligationem, longissimi temporis Præscriptionem tantum valere debuisse dixerat Illustriss. Cardinalis, ut sine manifesta iniustitia, autoritate privata, indicta causa, spoliari Archidiaconi suo Censu non potuerint.

Respondent Prædicantes: *Contra Ecclesiam, eiusque libertatem non valere præscriptionem: Eum, qui non laborat, non debere manducare. Cum igitur Archidiaconi Ecclesias ad eorum ædificationem non visitent Ministros non defendant, purum verbum Dei proponi non curent, contra voluntatem Domini operentur; communi iustitiae adversantur, si Censem exigant. Ridicule omnia, præpostere, ac plane Prædicantice omnia. Mittite ridicularia, Prædicantes, disertim dicite: si contra Ecclesiæ libertatem est, Census Lege præscriptos Archidiaconis pendere, cur non adversatur libertati, rigida Superintendentium exactio? Esto enim, Religione a vobis dissideant Archidiaconi: par erat tamen assetari vestigia Christi, didrachmum Gentilibus persolventis: Decebat Christi, et Apostolorum*

Matth. 17. mandato obtemperare, nec solum quæ Cæsar is erant, Cæsari
v. 26. reddere; sed et cui tributum debebatis, tributum persolvere. Nam si
Luc. 20. v. 25. Rom. 13. v. 7. Archidiaconi Ecclesias vestras non visitant, vitio id sit vestro, qui iugum excutitis.

Cetera, quæ de puto Dei verbo, ab Episcopis et Archidiaconis postposito, deque Domini voluntate violata iactatis, logi sunt, dici possunt, probari nunquam possunt. Et, si viri estis, Prædicantes, excutite Codices omnes Magistrorum, vim ingenii ac eruditionis

omnem admovete; et non omnes, non plerosque Fidei articulos, sed unicum Ecclesiæ Romanæ dogma deligit; illudque tale, quod optime et potentissime cum puro Dei verbo committi posse iudicatis, in eo solo ostendite clare, hallucinari, falli, contra Scripturam credere Catholicos. Id si præstiteritis; me primum, ceteros deinceps, ut spero, obsequibiles habebitis, qui longum Ecclesiæ Romanæ vale renuntiabimus. Nam, qui in uno fallit, in reliquis fidem suam incertat. Et cur ego astruenti res varias, tanquam a Deo dictas, magis assentiar uni, quam alteri? aut quo spiritu vera a falsis secernam? cur non pari iure credam mentitum in omnibus, qui ausus fuit in uno? Quod si a nobis poscitis, ut ad nudam asseverationem vestram, ad meras cestro perciti capitum vestri offutias, ad aniles Scripturæ interpretationes, quas comminiscimini contra unanimem sensum et consensum Antiquorum, qui Domini mentem ab Apostolis, eorumque Discipulis suxerunt, erroris nos convictos fateamur: dabitis nobis, opinor, hanc pro vestra humanitate veniam, ut chirurgum e vestigio accersamus, qui cucurbitulas fronti adnectat, vel opportuna phlebotomia furorem a vobis abigat, ne diutius mista lacrymis commiseratione, phrenesin vestram contueamur. Frustra enim nobis Patrum scita, solidæ tuitionis iacula, validos vindicarum enses, ereptum itis: frustra tritum gladiatoribus inclamatis, *Paribus armis*, et hæc arma quæstionum omnium diribiticia, *Solam Scripturam* vultis; nisi prius designetis, quis sensuum Scripturæ abdita sine periculo erroris emedullabit? cuius arbitrio fasces submittendæ, si de Scriptura ipsa lis suboriatur? Nam ut cuiusque iudicio, etiam vilioris sexus, Scripturæ interpretatio permittatur; ut alta illa et abdita sensuum Scripturæ, omnibus obvia esse, nec facula certæ interpretationis egere existimemus: haud equidem a nobis obtinebitis. Si enim adeo clara omnia, cur ipsi Lutherani, et Calviniani duces, de vero Scripturæ sensu, tam infestis concurrunt signis; nec velite, aut rorario milite, sed totis castris decertant? cur horum singuli, suum a Veritatis spiritu hauustum prædicant sensum, cum adversantia a Deo non denascantur? Hic limes omnis inter nos disceptationis, hic nodus Gordius. Quem nisi dissolvitis, frustra estis. Nam de Scripturæ maiestate item non movemus. Illud quærimus: Inter tot pugnantium sententiarum anfractus, quis veram nobis Scripturæ mentem ostendet? quis in latentia sensuum lumina detenebrabit? delira illa anus? hic de subula sutor? ille a bura et stiva Corydon? Si enim sua luce omnibus

lucet Scriptura, cur non et istis? cur non peræque Calvino, Blan-dratæ, ac Lutherò? Nam æque hi omnes, sola sponsione divites, Fidei nomine gloriantur, tanquam si quis hedera superbiat, vino vacuus.

De Causis fori Ecclesiastici usurpati.

Gravis omnino res est, si quem adeo insanabile teneat domi-nandi cacoëthes, ut tribunal novitium sponte sua erigere, iudicia-riam autoritatem, sine Regio consensu, usurpare audeat. Gravius, si cum eorum iniuria id fiat, quibus iure ac more, publicisque Regni Constitutionibus, competit ea diiudicatio, quæ ad novellum tribunal deducitur. Gravissimum vero, Legibus permissas provoca-tiones intervertere, et tanquam obsidiis obnoxia capita abstru-dere. Hæc omnia fecere Prædicantes in Conventu Solnensi. Ideo-que merito dixit Illustriss. Cardinalis, nævum prævaricationis Divinarum Humanarumque Legum, nulla nymphæ eluere posse Prædicantes. Quid enim? An non *in Art. 10. et 11. Solnensi,* Hæresis, adulterium, aliæque gravissimæ causæ Ministrorum, ad Superintendentium subsellia deducuntur; ulterior provocatio pro-

¹ Art. 3. anni 1462. Non ita Leges Hungariæ, ¹non ita avorum nostrorum

Art. 17. anni 1464. Art. 9. sanctissima, æquitatisque plenissima scita, quæ caussam Hæresum, ac suspectorum de hæresi; caussam matrimonii, ac accessoria eiusdem; caussam periurii, testamenti, usurarum; caussam vidua-

Art. 46. anni 1492. rum, ac miserabilium personarum, ad Spirituale forum, ad Præ-latorum, ac Vicariorum iudicium deferunt. Nec id solum, sed defi-

² Art. 27. anni 1563. et art. 25. nitum etiam fuit: ²*Iudicia Ecclesiastica, secundum iura Canonica semper iudicari debere.* Præterea illud quoque Legibus Regni con-

stitutum, ut ab ordinario liceat ad Metropolitanum provocare: *Artic. 17. anni 1481. et Art. 10. anni 1495.* Ac demum, de appella-tione ad Romanam Curiam, vel præsentiam Legati, hunc in

³ Art. 45. anni 1492. modum decernitur: ³*Nemo quempiam ad Romanam Curiam citare præsumat, nisi primum, coram suo ordinario Diœcesano, Archi-episcopo, vel Episcopo, aut eius Vicario, iuridice procedat, tandem-que, dum partium aliqua se aggravari senserit, caussam huiuscemodi, in Curiam Romanam, vel præsentiam Legati, per viam Appellationis, et non aliter, deducere possit et valeat.*

Hæc omnia, adeo clara, adeo usu roborata Regni decreta, violant Prædicantes. Et tamen ipsi innocentissimi, nullis iniurii. At si quis ipsis omnia susque deque versantibus, aliena propalam

degulantibus, obsistat; et fas, et leges, et quietem publicam eversum ire denuntiatur. Sed amabo, solvite hunc Prometheus, melliti mei Prædicantes, cor enim, ac viscera mea, scrupulus exedit unicus: Esto, forum Ecclesiasticum apud vos erigatur, esto, iuris dicundi autoritas ad vos ducatur; Quæro, quos Canones, quam iudicandi formulam, in causis decimarum, matrimonii, dotis, etc. sectabimini? Nam Leges patriæ nihil de causarum huiusmodi diiudicandarum norma aliud tradunt, quam ut iuxta Canones iudicentur. Illos Canones nominant, quos publicitus Luther, Propheta meribibus exussit. Quid igitur agetis? ut Turcarum Kadi, ex tempore, quod verum videbitur, edicetis? Res illa periculi plena est, et discrepantes sunt virorum etiam prudentium, de iisdem rebus sententiæ, in rebus agendis. Nec inter eos degimus Philosophos, qui id verum affirmabant, quod cuique videretur.

Verumenimvero, ut gratum vobis faciam, vestrumque sublevem ex parte laborem, Prædicantes, licet camerinam hanc invitum commoveo: facem tamen præferam, et chrias, ac veluti acroamata, Canonesque, ex Progenitoris vestri placitis colligam, in una Matrimonii caussa. Postquam igitur satis iam suos dogmatistes ingurgitari, helluari, pergræcarique docuisset: his tandem illicibus ad omnem turpititudinem scitis, altissime turgente a zytho, plenis hausto cissibiis aqualiculo, libidinis scintillas conflabellat: *Si alter Coniugum, ex iracundia separatus, in gratiam redire nolit, alter contineere non valens, poterit cum alio contrahere. Nam cum illi præceptum non sit, ut caste vivat, et expers corporis esse non possit, non compellit eum DEUS ad id, quod suas vires superat: faciendum ergo perinde est, ac si ille diem suum obiisset.* Hem! quid audio? vivere non potest Lutherus nisi ad aliquod stercoris æstuarium restinguendæ libidinis ergo decurrat? Et Vestæ virgines, et quæ Delphis insaniebant, Diaboli candidatæ, nubere nesciebant: sola caro, lavacro Christi lota, igne Spiritus perpurgata, pruritus peculantes domare nesciet? Sed pergit inibi Lutherus: *Si maritus uxorem ad furtum, vel quodcumque aliud flagitium instruat, eadem cum hac divertii ratio est, ius est alteri contrahendi Matrimonium. Quod si et secundum coniugium male cedat, et alter alterum coniugem impie vivere cogat, vel fugiat; libertas datur, ut quoties res postulat, alteri coniungatur, etiamsi DECEM, vel plures transfugas uxores habeat. Quod si alter coniugum absit, redditum, vel obitum eius expectabitur coniux, ut hactenus usus tenuit?* Respondeo: *Si præstolari voluerit,*

Luth. Tom. 5.
Lat. Vittem. per
Lufft. ao. 1554.
in 1. Corinth. 7.
fol. 111.

Fol. 112. 113.

in eius benevolentia constitutum sit: opus tamen non est ut expectet, sed statum suum permutare potest. Si igitur maritum biduo, si semestri, abesse contingat, laxata sunt iugalis tori vincula? licebit virosis mulieribus ad obscenissimas libidines adhinnire, ignibus inverecundis exæstuar? Lutherus enim, tempus expectationi non præfigit, sed Veneri eandem quam cibo, et potioni, legem figit.

Eod. Tom
Serm. de
Matrim. f. 120.

Pergit: Fas est, ut uxorem fratris mei defuncti ducam. Consobrinos iungi inter se; patris vel matris sorori copulari; neptem ex fratre, vel sorore; uxoris sororem, ac eiusdem consobrinos, et neptes inire, nihil prohibet. Sed, ne Canonum copia obruat, sat erit illa Lutheri in ipso templorum vestibulo, reductis omnibus pudentiae velis, depingere: ut nupturientes, ac catullire incipientes ancillæ, incientes fordæ, gallulantes, et qui hirrire coepere iuvenes, memoria teneant:

Eodem. Serm
fol. 123. *Reperiuntur adeo pertinaces uxores, quæ, et si in libidinem maritus prolabatur, non curant. Hic opportunum est, ut maritus dicat: si tu nolueris, alia volet; si domina nolet, veniat ancilla. Imaginandum tunc est marito, suam sibi uxorem a latronibus raptam, et interfactam esse. Audes hæc egelidatæ erubescentiæ ad posteritatem itura verba impuro ore? aedes impudenti calamo has sordes evaporare? aedes natantes libidine renes defibulare, ut a quovis viro nauseet uterus, fluant ubera? et ganeas, ac lupanaria in ædibus singulis eriges? et ad hæc carnei a femineo macello Evangelii scita, ad omnem oculum exancillantia sectatrices non erubesces? DEUM immortalem! in quæ tempora reservati sumus? qui Cynicis Philosophis erubescenda propalam docet, Propheta est, Apostolus est? Ne tamen absque ratione hæc paradoxa docuisse videretur,*

Ibi. Fol 119. *gravem, ac novo Evangelista dignam probationem annexit: Ut non est in tua potestate, ut femina non sis: sic nec in te est, ut absque viro degas. Nec enim libera est electio, sed res natura necessaria, ut feminam oporteat mari sociari, magisque necessarium, quam edere, bibere, purgari, somno intentum esse. Neque possibile est, ut castus maneas. Quis ab hac arena exemplum continentiae speret, in qua nemo magis carnem comprimere potuit, quam non comedere, non bibere? Apud has sordes, hæc luxuriæ invitatoria, aurium publicarum reverentiam incestantia. Scilicet hæc, quæ una necessitate, una evitandi impossibilitate, et pudorem, et timorem exhausti, eam partem quæ concuti cupiditatibus solet, commalassabunt. Sed manum de tabula. Si quid addo, vereor, bilem feroculis Prædicantibus concitabo.*

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

Nimius sum in Adversarii inscitiæ indigesta farragine proterrenda: adeoque verendum mihi fuit, ne aniles Malleatoris fatuitates, et luculenta grandis ignorantiae argumenta persequendo, fastidium legenti generarem. Utile tamen ratus sum, totum hostilem exercitum uno impetu proterere, ne post hanc victoriam, alia mihi deinceps prælia enascantur.

§. 1. De Indictione Synodi.

Provinciam mentiendi sibi concredatam; indefesse administrat Tubalcain.

Fallitur: dum Canonem de Conciliis, sine Romani Pontificis Mall. fol. 90. sententia non cogendis, a Socrate reticeri negat. Nam, ut taceam Sozomenum: Tripart: Nicephorum: in Peniculo nominatos; et Socrates, et Theodoretus, eiusdem Canonis meminere. Antiochenum Concilium propterea invalidum memorat Socrates: ¹Quod Iulius Romanus Episcopus non aderat, nec quemquam suo loco miserat, cum Canon Ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia Repet. c. 18. alias 17. Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire. Quem Socratis locum, dum versit, perversit Musculus, ²ad nescio quam Ecclesiarum ²Vide Copum, Dedicationem; contra nexum, ac scopum orationis, contra aliorum, ca. 11. Staplet. eadem recensentium Historicorum fidem. Et audi amabo, verba ^{ca. 11. Staplet.} Relect. Legatorum Sedis Apostolicæ, in magna Synodo. Chalcedonensi: ^{contr. 3. qst. 8.} Bellarm. ³Beatissimi atque Apostolici viri Papæ Urbis Romæ, quæ est Caput Omnia Ecclesiarum, præcepta habemus, ut Dioscorus ^{Concil. cap. 12.} ³Chalced. Action. 1. initio. Alexandrinorum Archiepiscopus, non sedeat in Concilio; quia Synodus ausus est facere, sine autoritate Sedis Apostolicæ; quod nunquam licuit, nunquam factum. Theodoretus vero, præiudicium, numeri Episcoporum Ariminensis conventus, idcirco nullum esse dicit, quod ⁴per Romanum Episcopum confirmatus non est; cuius sententia præ omnibus expectanda erat. Et Patres Africani, Carthagine congregati ad pestem Pelagii exscindendam, Innocentium Papam rogam, ut ⁵Statutis mediocritatis suæ, Apostolicæ sedis ⁵Apud August. adhibeatur autoritas. Quibus Innocentius rescribit: ⁶Patres olim, Epi. 90. non humana, sed Divina docuisse sententia, ut quicquid de disiunctis, ⁶Ap. Aug. Epist. 91. remotisque Provinciis ageretur, Non prius ducerent definiendum,

nisi ad huius Sedis notitiam perveniret; *ubi tota eius autoritate iusta quæ fuerint pronuntiata firmarentur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de Natali suo fonte.* Quocirca audet affirmare

¹ Aug. lib. 2. ¹ Augustinus, literis Innocentii, totam de causa Pelagii dubitationem sublatam esse.
contr. Duas.

Epist. Pelag.
cap. 3.

Fallitur: cum Nicænam Synodum de solis Oecumenicis Conciliis loqui memorat. Nam nec Scriptores Decretum hoc coarctant; nec Antiochena aut Carthaginensis Synodus, Oecumenicis Conciliis accenseri poterant. Quamvis igitur Provinciales Synodos Metropolitanis celebrare fas erat: id tamen bona Pontificis venia peragi oportebat. Et tuum esto iudicium, an exili Conciliabulo vestro ea autoritas data, quæ Oecumenicæ Synodo denegata, ut etiam adversaria Romano Episcopo decernere possit?

Mall. fol. 91. *Fallitur: dum Romani Pontificis autoritatem, Nicæna Synodi decretis intercessisse negat; nullamque eius mentionem fieri, nec Concilio adfuisse, vociferatur, nam, ut antea commemoravi, per Supr. f. 64. Legatos adfuit, ac primo loco, Romani Pontificis nomine, Osius Cordubensis subsignavit.*

Mall. fol. 91. *Fallitur: cum solum Constantinum, Nicæna Decreta confirmasse scribit. Nam subscripsere Concilio, 318. Sanctissimi Patres: nec Constantinus, nec ullus præterea Sæcularium subscripsit, quin Magnus Constantinus, nec considere quidem parvo solio in hoc orbis ² Socrat. lib. Christiani Senatu voluit, ² priusquam Episcopi annuisserint, quod et reliquos post Imperatores ³ fecisse universos, memorat Eusebius. Theodor. lib. 1. cap. 8. ¹ Quid putas, Tubalcain, diceret Constantinus, si primos accubitus, ¹ cap. 7. ³ Euseb. 3. de vita Constant. ⁴ primo subsignantum Laicorum nomina in Conciliis videret? Ita factum a vobis, qui nihil tantum, nihil tantulum facitis, quin Iudices heros habeatis.*

Fallitur: cum a Socrate scribi, et libro 1. cap. 5. scribi, vel ab Eusebio memorari narrat, a solo Constantino decreta Nicæna confirmata fuisse. Nam a 318. Patribus, ⁴ confirmatam fidem Nicæna, scribit Socrates. Constantinus vero ipse, ad Alexandrinos

⁵ Socr. ibid. ⁵ 300 ac plures Patres, veram fidem confirmasse, ait: ^{cap. 9.} nec dubitat, talium Episcoporum consensum, Spiritus Sancti factum

⁶ Euseb. 3. de esse instinctu: seque in eo Concilio, ⁶ quasi unum ex Conservis vita Constant. fuisse, ait, in inquisitione Veritatis. Ubi vero Synodi autoritatem cap. 16. Socr. illo cap. 9. exaggerat, nihil de sua approbatione commemorat, sed ⁷ quod in

⁷ Apud Euseb. Sanctis Episcoporum concessibus instituitur, ad divinam voluntatem referri debere pronuntiat. Et audi, quantum Imperatoribus Amb. Epist. 33. loc. citat.

in sacra ius fuerit; nec meis, sed magni Ambrosii verbis audi:
Noli te gravare, Imperator, ut putas te in ea quæ Divina sunt,
Imperiale aliquod ius habere: sed si vis diutius imperare, esto
Deo subditus. Ad Imperatorem, palatia pertinent: ad Sacerdotem,
Ecclesiæ. ¹*Quid vero honorificantius, quam ut Imperator Ecclesiæ* ¹*Libr. 5. Epi.*
filius esse dicatur? Imperator enim bonus, intra Ecclesiam, non ^{orat. de Tra-}
supra Ecclesiam est. ²*In causa Fidei, Episcopus solet de Impe-* ^{dend. Basilicis.}
ratoribus Christianis iudicare, non Imperatores de Episcopis. ²*Epist. 32.*

Fallitur: Synodum Solnensem a Superattendentibus convocatam ^{Mall. fol. 91.}
me scribere, qui antea a Palatino coactam dixeram. Ego enim
convocatam a Superattendentibus Synodum non dixi: Contra ius-
iurandum ipsorum peractam dixi. Quamvis enim iuramento sese
Confessioni Augustanæ antea non addixerint: in ipsa tamen Synodo,
ipso iurandi actu, ad ea se constrinxerunt, quæ, et etiam dum
iurarent, violarunt. Dum enim Libro Concordiæ se adstrinxerunt,
iurarunt ea sola in Ecclesia Romana reprobare, quæ Nova sunt,
et contra Canones irrepsérunt, simul iurarunt, Divina iura convelli
ab Ecclesia Romana; hoc est, pugnantia iurando, peierarunt.

Fallitur: cum me testatum facere posse negat, Ministrorum ^{Supra, f. 38.}
suasu coactam Synodum, id enim et in Peniculo, et iam supra ^{60. et 215.}
Apographo literarum Palatinalium comprobavi.

Fallitur: Impositionem manuum Apostolis usitatam, me deridere. ^{Mall. fol. 92.}
Hanc veneror: vestrum, oque ac Calvinianum, et Arianum conta-
ctum, derideo, neque enim a quovis, sed ab Episcopis manus impo-
nenda initiandis, aut ex omnibus Ecclesiæ archivis unum tu profer
exemplum, secus factitantium.

Fallitur: Divinæ legi adversari, ³ rasuram capitum. Ut enim ^{Mall. f. 93.}
Legi tu non adversaris, cum non circumcidaris: ita nos legalia <sup>³Levit. 21. v. 5.
impune negligimus, ⁴ et, vir si comam nutriat, ignominia est ei. ^{Ezech. 44. v. 20.}
^{Baruch 6. v. 30.}</sup>

Fallitur: Provinciarum Praesides Synodos convocasse. Cur ^{⁴1. Cor 11.}
exempla non profers? nam dicenti tibi toties mentito, non credimus.
Et quanta Praesidum in Conciliis autoritas fuerit, ex iis accipe,
quæ de Candidiano, Ephesince Synodo presenti, Theodosius ac
Valentinianus ad Synodum perscripserint: Candidianum præclaris- ^{Ephes. Synod.}
simum, ad sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege ^{Tom. 1. c. 32.}
et conditione, ut cum quæstionibus, et controversiis, quæ circa
Fidei dogmata incident, nihil quicquam commune habeat. Nefas
est enim, qui Sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non
est, illum Ecclesiasticis negotiis, et consultationibus sese immiscere.

Demum, fallitur errore turpi ac maligno: cum affirmat, proferri Legem patriam non posse, qua dignitas Archiepiscopi, inter ordines Regni Primatum obtineat: Apertis enim Hungariae legibus, Pannonici regni Primas Archiepiscopus Strigoniensis declaratur, Decretis anni 1536. Artic. 15.

§. 2. De Censu Cathedratico.

Magnus ille sæculi nostri turbo, qui esca bonorum Ecclesiæ, saporata offa, plerosque sequacium ad suæ novitatis amorem initio

Luther. colloq. Mensal. cap. 4. *pellexit: Ubi furorem posuit, negat quemquam rapinis Ecclesiarum opulentatum, plerisque egestatis segetem, ac defectum posteritatis attulisse. Idem enim illis usu venire, inquit, quod in fabulis aquilæ, ex Sacrificio Iovi instituto, frustulum abripienti. Nam et carbonem ignitum una tulit, ac nido intulit, ex quo natum incendium, et implumes pullos, et nidum absumpsit. Id usu venisse Henrico*

Sanderus, libr. 1. de Schismate Anglicano, Anno 1536. *Anglicæ regi, mulierculæ amoribus dementato, vir accuratus, literis consignavit. Postquam enim a fide excidisset, DEO votis ædibus Trecentis septuaginta, excuneati sacrati homines: Fiscus annuo censu, Centum viginti millium aureorum auctus; Quatercentena aureorum millia æquabant ea, quæ mobilia nominamus. Quid post tantas opes rapaci ungue ad se derivatas? Insequenti Anno ita egere cœpit Henricus, ut octavo post rapinam Mense, insolita Tributorum multitudine, acerbata multitudo, plerisque locis ad arma convolaret.*

Ann. 1544. *Ali quanto post, propemodum Mille Monasteriorum sacras cimelias, suppellectilemque invasit, vasa sacra omnia conflavit, prædia, fundos, fructus, iura, in suam potestatem redigit; Decimas, et Annatas Beneficiorum, ad se derivavit; ipsumque adeo plumbeum, lignum, lapides Monasteriorum, numerata pecunia distraxit; seque (ut facilius assentirentur universi) Tributa omnia in perpetuum subditis remissurum simulavit; Regiæ enim non modo necessitati, verumetiam avaritiae, copiose ex his Ecclesiarum rapinis suppeditanda omnia memorabat. Quid porro deinceps? paucos intra menses, omnibus, quotquot fuere, maioribus suis, egentior factus, plus ipse tributorum, ac vectigalium a subditis expressit, quam ullus totis 500 annis antegressorum Regum; ac tandem absumpta posteritate, Regni fasces Scotorum regi transmisit. Non longe ab ludunt, quæ de Friderico Saxonum, de Christiano Danorum, Principibus, deque aliis, qui*

Ecclesias degularunt, Historiae commemorant. Usu enim comperimus, ita Ecclesiarum spoliatores, omnimodis collurcationibus, male parta, male dilapidare, ac in ventrem condere, ut credas metuere illos, ne quid habere sacrilegum dicantur. Contra vero, multimodo Regibus, ac publico bono, commoda succrescunt, si quibus pia maiorum liberalitas bona sua consecravit, iis utenda, fruenda, relinquuntur. Nam, et bonis spiritualibus temporalia repensant, sacrae Deo homines; et si qua urgeat necessitas, longe promptius, addo et copiosius subsidia Regibus subministrant, quam si Nobilium cuiquam fruenda concesseris.

Sed horum nihil in aures animumque demittunt Prædicantes, quin, ut ambustas fortunarum Ecclesiae reliquias in domos suas comportent, assiduo sese murmure inhortantur, et naviter: operam furatrinæ impendunt. Licet vero usque et usque importunos hereditetas, et corvos prædæ inhiantes repulerimus; atque ut cœptis desisterent, ut cupiditati suæ modum facerent, ut de mensis Ecclesiae dapinare desisterent, catillones monuerimus; licet usum longissimi temporis, leges patrias, Ius gentium obtenderimus: frustra omnia. Nam ad clara, quibus contra tendimus, legum præsidia, medullitus dolore commotus Tubalcain, acerrimæque bilis noxio furore perfusus, id unum dicit: leges illas, cum figerentur, mero Papatu Hungariam Mall. fol. 114. obtenebratam fuisse: nunc Evangelicæ Veritatis solem Hungaris emicuisse, Temporibus Ignorantiæ eas leges latas esse. Tu privatus, et allophylus, et Prædicans, Leges patrias ignoranter latas pronunties? tu stabulum ignorantiae, veteres illos Ungariæ Heroas caudices putas? Ingrata posteritas! ob tam longas Parentum alimonias, hæc reprendis? pateris hoc Ungarici nominis iniurium monstrum? ab hoc terræ filio, Genitores tuos, Reges tuos, ad unum omnes, ita proscindi sines, ut quos e Gentilitatis nocte, per tot miraculorum sanctitatisque fulgores ad Christi iubar perductos noris, eos nihil de Evangelio inaudivisse. patienter audias? et ab hoc tricongio, uno stabuli sui calce omnes orcum retrudi Maiores tuos pateris? Sed reproto, nec calamo iam nunc ferire cupienti, indulgebo.

Multimodæ convitionis cœstibus verberat deinde Tubalcain Archidiaconos: novus Apollonius, nova Circe, ex Orco, credo, virgam Mall. fol. 95. deceptricem humani obtutus consecutus, deformat illos in asinos. Nimirum alienæ cupiditatis impotentia, ius suum interverti non sinere, asinum quiddam sapit Prædicantibus; qui quod sunt, esse alios volunt. Inculcat vero, et rarenter, et male visitandi munere Mall. fol. 96.

perfunctos Archidiaconos. Et, nisi mentitur, nec ego prorsus exculco: sed corrigenda hæc fuerat, non violanda iustitia.

Mall. fol. 97. *Duplici porro nomine, Census persolvendos non esse, disputat: Nam Rasciani, a Decimarum pensione exsoluti sunt, quia Schismatici: At nos, plus quam Schismatici vobis. Accedit: quod Plebani, non laici Census pendere iubentur: nos porro, vestro sensu, Laici sumus. Doce, et ex fide omnia. Lex patria, iubet Rascianos, ac ceteros Schismaticos, non quidem in perpetuum, sed ad aliquos Annos, quoisque tales transfugæ bono modo se firmabunt in Regno, Decimas solvere non debere, ut talium transfugarum exemplo, ceteri Turcis subiecti, in Hungariam promptius veniant. Legis verba habes: quid illa vero ad tuam causam? Posteriori decreto, exempti penitus a solutione Decimarum Rasciani:*

Artic. 4.
Anni 1481. *sed ii, qui nullas Decimas solvere consueverunt; quique advocatione, et assecuratione Regis in Hungariam evocati. A Decimus porro, ad Census alios argumentari non licet, nec, quod nominatum de Rascianis dicitur, vel Iuris regula, vel usus legum interpres, ad Prædicantes extendi patitur. A plebanis vero pendi Census oportebat: verum, ubi legitimis Plebanis violenter Hyenæ successerunt, Vis et dolus patrocinari illis non debet, sed cum res onere suo comitata ire soleat, merito Census a vobis exiguntur.*

Artic. 45.
Anni 1495. *Abrahæ exemplum ut sequerentur, nec rapina, sed suorum liberalitate opulescerent Prædicantes, monueram. Ridet hoc Tubalcain: Mall. fol. 97. Sodomorum Rex, quæ Abrahæ offerebat, ipsius esse iure belli fatebatur. Vos Censum Cathedraticum Archidiaconorum esse contenditis, quem illi Superattendentibus non obtrudunt. Responsum dignum Prædicante. In quo nihil est, quod congruat. Nam nec id, in quo vim ego posueram, attingit; nec probat idcirco ereptas opes oblatas Abrahamo, quod iure belli ipsius essent; neque erant, ut hodieque, si quis spolia, quæ a Christianis rapiunt Turcæ, recuperet, legitimis possessoribus reddere quæ ipsorum erant, Iustitiae legibus adstringitur. Denique, violendam perfractis legibus rapinam, ius aliquod in hos Census Prædicantibus tribuisse non probat Tubalcain.*

Attexebam, iureiurando se devovisse Prædicantes libro Concordiæ: hæc vero, Politicas ordinationes, Privilegia, Donationesque factas se non violaturum, iactuose gloriatur. Quocirca, si periuri esse nolunt Attendentes, Censum nobis publicarum legum privilegio debitum, non attingunt. Tubalcain, oculum me totum putat, quod inter illas Concordiæ fœces, utile aliquid repererim. Dolet præterea,

quod inanes gemitus Concordiae, ab instituto nostro alienas, non exscripserim: et sic finit. Hoc est, verbum nullum ad Argumentationem nostram respondet.

Aliena occupantes, ad satisdandum Concordiam adstringere memorabam. Negat Tubalcain aliena suos occupasse, nam etsi Iura Mall. fol. 99. Archidiaconis dare Censum iubeant: dari tamen ut Visitatoribus Ecclesiarum decernunt. Tales se illi non exhibent. Iure igitur ab eo exciderunt. Audi rogo, et aliquando tandem sapere disce. Quid si vitio vestrorum, Visitationi obstantium, intermissa haec functio? et ante Iudicis sententiam, bonorum possessione excidere eos ipsos putas, qui legibus adversa, bonorumque spoliationem merentia admiserunt? Quod liquido, et claro iure tuum est, sed ab altero longo tempore possessum, quia potior est conditio possidentis, et in sua causa nemini licet esse iudici, eripere sine iniuria non potes: nec eum, qui ut plectatur promeruit, antequam convictus duci iubeatur, tollere permitteris. Pari itaque ratione, vera esse patiamur, quæ falsissime comminisceris, neglectaque functionis suæ Archidiaconos merito possessione Census deturbari posse concedamus: te tamen sacrilego furto non absolvis, quod absque legitimi Iudicis sententia alienum Censum ad tua scrinia derivaris.

Cetera quæ subnectit Tubaloain, logi sunt, sed alogi. Nec particulam dogmatum nostrorum nominare audet, quam de errore convincat. Sed queritur, dixisse me, frustra Adversarios Scripturas proferre, ni prius edicant, Quis inlatentia sacris verbis sensa certo promat. Nam, inquit, contra Scripturam ipsos credere, non nisi ex Scripturis ostendi potest. Ego vero, ex his ipsis ostendi cupio placiti alicuius falsitatem, sed ex his, sano ac recto sensu explicatis. Scimus 2. Pet. 3. v. 4. enim, Scripturarum difficilia a multis distortim flecti ad exitium. Nec quicquam de illis obscurioribus Scripturæ testimonio mihi comprobabis, nisi certum prius reddas, vero a te sensu, illas usurpari. Sed metuunt haec Prædicantes, ut auroram fures. Quæ de Patrum erratis, deque Scripturæ claritate agglomeras, aliena sunt; nec hic miscenda.

§. 4. De Causis fori Ecclesiastici.

Paucis se expedit Tubalcain, neque enim, etsi projectus ac præfractus ad audiendum, negare potest, Iura Regni violata, cum ad aliud, quam quo Leges vocant, tribunal rei sistuntur. Id solum dicit: Non omnes promiscue, sed Ministros, Diaconos, Rectores Mall. fol. 103.

solos, a foro competenti ad Attendentes raptari. At hoc ipsum a nobis contra latas leges, contra ius fasque, Capitulis larga præscriptione datum, fieri disputabam. Addit: Explosis Decretalium farturis, abundare se melioribus libris, de dotis, decimarum, etc. causis, quibus Canonici, ac Civilis iuris nucleus decorticatus exhibetur. *Hos tamen nominare, præ festinatione non potuit Tubalcain.* Et ut nominet, Iuris Canonici ac Civilis compilatores nominabit; quorum dicta, Legis instar habenda non sunt. Si igitur Decretalia exploditis, quo mihi Canonici iuris noceum nominas? Si iuxta Leges ferenda Iudici sententia, ne tu mihi Tractatus privatorum nomina, quibus nemo coarctatur; sed Canones, et Leges designa, ad quas, velut Cynosuram cursum iudicij vestri flectatis. Et qua tu fronte Leges quasdam a Pontifice latae, ut ipsam veritatis medullam, laudas, qui cetera ad tuam salivam non facientia abiicis?

§. 5. Fœda Lutheri.

Mall. fol. 104. *Nequitiam hic mihi et impudentiam opprobrat Tubalcain, quod Epicurum ævi nostri Lutherum, helluari ac pergræcari suos docuisse dixi. Verum Lutherus ipse, fructum deformati Evangelii percensens,*

¹ Luth. in c. 23. ab huius sycophantæ iurgio me expedit: ¹ Nostra, inquit, Germania, Genes. ædit. post lucem Evangelii, tantum non obsessa videtur a Diabolo. Norim. 1550.

^{f. 224.} ² Ut credunt, ita vivunt; sunt, et manent sues: credunt sicut sues,

² Tom. 5. latin. et sicut sues moriuntur nostri porci Saxonici. ³ Nunc, cum Evan-
Vittemb. 1554. in 1. Cor. c. 15. gelium doceri cœptum est, homines videntur subito degenerasse

^{fol. 161.} in immanes bestias. *Millia similia, et Lutherus ipse, et ceteri*

³ Tom. 5. in c. 6. ad Galat. Epicuri de grege Prædicantes. Qui enim hæresis damnavit illam

^{fol. 433.} sententiam, Bona opera necessaria sunt ad salutem; quod a Luthero et Concordia tua factum audivisti: et Virtutum incitabula eruncavit, et carni fibulam dempsit. Sed hæc alias.

I. Fœdum. *Inter Fœda Lutheri, libidinis œstum conflabellantia, Primum illud memorabam: Quod, si ex iracundia alter Coniugum redire nolit, libertatem faciat cum alio contrahendi, idque quia corporis*

¹ Mall. fol. 105. ¹ dictum contendit, illo-
² 1. Cor. 7.v.15. que Apostolico testimonio comprobat: ² Si infidelis discedit, discedat.

Ego vero Oraculum illud, quod Caro expers Carnis esse nequeat, sentinam libidinum esse nullus dubito. Quid enim hac Fide præstructæ agent, quæ vel afflictum lecto, vel procul res suas curantem maritum habent? quid, quæ procos ambiunt, nec ullos habent? et

augusta hæc tibi ad scelus via, quæ solam Coniugis iracundiam, novis amplexibus idoneam sciscit? Tædio morosæ, et inscitæ comparis, crude maritam exagita, donec animum illa in te iratum gerat, tuoque fatigata verbere, lanienam fugiat; iam solutus es. I bonis avibus, quo tua te fortuna vocat; scitulæ illi iungere. Non ita Salutis assertor Christus: Quicunque dimiserit Uxorem, nisi ob ^{Matth. 5. v. 32.}
^{c. 19. v. 9.} fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. Sola fornicatione circumscrimit causam divertii, et ne tunc quidem aliam ducendi potestatem facit; ut ex Marci ac Lucæ verbis concludit Augustinus. Generatim enim Christus pronuntiat: Qui dimiserit uxorem suam, ^{Marc. 10. v. 11.} et aliam duxerit, adulterium committit super eam: Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. Omnis, qui ^{Luc. 16. v. 18.} dimittit uxorem suam, et aliam dicit, mœchatur. *Quod si, inquit*

¹ *D. Augustinus, quicunque uxore sua dimissa, alteram dicit, mœ-* ^{1 Aug. Tom. 6.}
chatur; sine dubio ibi sunt ambo, et qui præter, et qui propter ^{lib. 1. de Adul-}
causam fornicationis dimittit uxorem, hoc est enim, quicunque dimi- ^{terin. Coniug. cap. 9.}
serit, id est, Omnis qui dimiserit. Quocirca D. Paulus, ^{2 vivente} ^{2 Rom. 7. v. 3.}
viro adulteram pronuntiat mulierem, si fuerit cum altero viro:
iubetque uxorem a viro non discedere, ^{3 quod si discesserit, manere} ^{3 1. Cor. 7. v. 10.}
innuptam, aut viro suo reconciliari. Quo sane loco, de eo eventu
loqui Apostolum, monet ⁴ Augustinus, quo integrum est mulieri disce- ^{4 Aug. loc. cit.}
dere ob viri fornicationem: alioqui ad virum redire, nec disiunctum ^{cap. 1. 2.}
vel ita manere, vel reconciliari iuberetur. Hœc igitur omnia liquido
commonstrant, exceptionem, quæ apud Matthæum posita est, ad
solam Dimissionem restringendam, neque enim alium lex Christiana
eventum novit, quo perfectum dissolvat Matrimonium, ac novis nuptiis
licentiam impertiatur, quam illum a D. Paulo expressum; si a
Fratre, aut Sorore (Christianorum hæc erant usitata nomina) infi- ^{1. Cor. 7. v. 15.}
delis abeat. Quo loco, de Infideli, Christianis non initiato sacris,
sermonem esse, et orationis contextus, et consensus Veterum atte-
statur. Et tamen Tubalcain, his D. Pauli vocibus Lutherum tuetur,
ac fugitivam Coniugem, infidelem vocari existimat: cum diserte
Apostolus fateatur, sermonem a se institutum ad eos pertinere,
qui tametsi Infideles persistunt, quiete Coniugio uti possunt; quod
ex iracundia separatis haud congruit. Vides igitur, Tubalcain, teque
tuumque Lutherum vetitæ libidini lenocinari, cum ex iracundia sepe-
ratos Coniuges, adulterinis tædis uri vultis.

Alterum Lutheri Fœdum erat: *Quod Coniugem, ad aliquod sce-*
lus instigantem, aut longius a complexibus abeuntem, deserendum; ^{H. Fœdum.}

denosque si res poscat, omnes superstites, explorandos censem. Adulterorum illectamenta sunt hæc Epicuræa placita, recitatis Christi legibus adversantia. Tubalcain frigidum fronte humorem detergens, tertialis vocibus, de Viduis sermonem esse Lutheru, narrat; meque

Mall. fol. 107. *bipedum mendacissimum vocare non perhorrescit, quod alienum Lutheri verbis sensum affixerim. Parce, Tubalcain, ruditati meæ, discere, dum vivam, cupio: tu igitur inlatentia dictis Lutheri sensa exprome, libens audio: Si maritus uxorem ad furtum, vel aliud flagitium instruat, ius est alteri contrahendi matrimonium; hoc est: si maritus, qui pridem rebus humanis valere dixit et plaudere, uxori lugere et plangere, ex Orco redux, Uxorem, id est, Viduam, ad flagitium instruat; nubat vidua. Si secundum coniugium mali cedat, et alter alterum impie vivere cogat, vel fugiat; alteri coniugatur: hoc est, Si viduus thorus, infestus rursum manibus defuncti habeatur, si fugiat mortuus, rursum novæ nuptiæ instruantur. Si alter Coniugum absit, præstolari benevolentia erit: opus tamen non est: id est, Maritum vita functum si præstoletur Vidua, recte facit. Sat docilis tibi videor, Tubalcain, qui intimos Lutheri sensus, te docente, tam cito, tam feliciter penetrarim? Male sit ignorantiae meæ, quæ ad hæc subtilia vocum interpretamenta, nisi se monente, non assurrexit. Vides, Lector, specimen Prædicantice veritatis, mirari iam desine, quod tam secure veriloquiis ipsorum Lutherani detineantur.*

III. Fœdum. *Tertium illud commemoraram: Inire uxorem fratris, consobrinas subare, neptes, et uxoris sorores deflorare, integrum Lutheranis a Lutheru permitti. Non diffitetur id Tubalcain: addit tamen, Lutherum permittere, quod Gradus consanguinitatis, iure Civili et Canonicu acquiescere. Enim vero nisi id ipse permisisset, detrimentum ingens Christiana res accepisset. Ipsi enim nutu Sol iste suam orbitam dimititur. Ego vero, non quid fieri permittat, sed quid licite fieri posse tradat, deprompsi; nec tu eluis portentum fœdi dogmatis.*

Mall. fol. 107. IV. Fœdum. *Quartum Lutheri effatum erat: Si uxor obaudiat, ancillam interiorem lecti spondam adsciscendam. Tubalcain, frontem, hic meretriciam, lutumque lenonium, suas opes, mihi defert, postea vero, per Mimesin hæc ioculariter a Lutheru dicta fabulatur. Sed ne omnia Lutherana dogmata, ludos deinceps, ac Mimeses habremus; subnectit, Lutheri consilium illis Apostoli verbis convenire, Mall. f. 108. Nolite fraudare invicem: et tum demum pervicacis divorgium a 1. Cor. 7.v.5. Lutheru comprobari, si prius monitæ uxorius duritia detegatur. Ego*

vero hæc ipsa, Adulteriorum flabella dicebam. Nam tametsi debitum pendere uxor teneatur: morositas tamen restitantis, et iusta reprehensione castigata pertinacia, Ancillam pellicem non admittit; ut verbis Christi iam recitatis comprobavimus. Quocirca, ita se tunc maritus gerat oportet, ac si coniux, longo et contagioso morbo delitescens, sui copiam non faceret. Quæ cum ita sint, ganeas, ac lapanaria, honesto divortii ac Coniugii nomine tegit Lutherus, cum Maritis Ancillas tradit.

Postremum Lutheri oraculum fuerat: *Natura necessarium esse, ne vir ignoret feminam: et magis eo pendere homines, quam ut edant, aut bibant. Lutheri hæc esse, non it inficias Malleator: de Eunuchis vult intelligi; nec explicat, exsectosne solos Eunuchos vocet, an et illos, qui cœli amore, carnales æstus ope Divina premunt. Nec assequor, qui possint recitata Peniculo Lutheri verba, ullo honestatis colore obduci.*

Exprobrat deinde Tubalcain, Publica libidinum gymnasia apud nos excusari. Verum fallitur Prædicans, nemo enim nostrum fœda illa turpitudinum portenta culpæ eximit. Principes, qui graviori periculo declinando ea permittunt, excusant viri docti, illa cum primis Augustini sententia: ¹ Aufer meretrices, turbaveris omnia libidinibus. Constitue matronarum loco, labe et dedecore dehonestaveris. Nec desunt tamen viri graves, ² qui hanc ipsam Principum lenitatem, in vitio ponant. Ioannis a Casa fœdum librum, (si quem unquam scripserit) non magis a nobis probari intelligas, quam Alcoranum Mahometis, et noti hæresiarchæ Thaliam.

Falleris vero: cum a Syricio Coniugales thalamos impiatos censeri memoras. Sacerdotum, post datam Deo fidem nupturientium; non coniugia, sed peiora adulteriis sacrilegia, impura vocat, vos, pro candore Prædicantico, distortim verba Pontificis inflectitis.

Falleris, dictum a me: Omnes ad castam extra iugales thoros vocari vitam, qui Christi lavacro sunt perpurgati. Hoc non cogitavi. Accepi ex communi orbis sensu, Vestales plerasque saltem, vitam innocenter exegisse: et conclusi, pudendum, si caro abluta salutaribus nudis, non possit, quod illæ potuerunt. Indefinita est, ut Dialectici loquuntur, hæc oratio, quam indocte Tubalcain ad omnes extendit.

V. Fœdum.

Mall. f. 108.

Mall. f. 109.

¹ Aug. tom.
1. libr. 2. de
Ordine c. 4.

² Navarr.
Manualis c. 17.
n. 195.

PENICULI CAP. VI.

Nihil ab Illustriss. Cardinali contra Leges perpetratum.

Hic vero flammant ignivomi Prædicantes, et quem vincere Veritate non potuere, minis ac terroribus frangere moliuntur. Sed si Sacerdotalem constantiam, ab ipsa modestia, ad omnem humanitatem, ac lenitatem efformati Cardinalis novi, non ita alsiosus est, ut rigescat ad hos verborum fatus. Maior illi metus imminet a Principe Pastorum, si quam in se desiderari patiatur Pastorali vigilantiæ functionem, eoque hunc, quem ingeritis, minorem metum obruit. Cum igitur in iis omnibus, quæ superiori capite commemoravimus, manifestos se legum Ungariæ violatores esse intellicherent Prædicantes: paratragædiant, ac suas alteri sordes affricant; Illustriss. Cardinalem Maiestatis arcessunt: *ipsum turbatorem esse, Gigantea audacia se decretis Regni opponere, dissensionum facem in Regno accendere*, irate satis criminantur. Sed parcus ista viris, cum eo vobis negotium est, Superbientes, (Superattendentes dicere volui) qui resorbenda vobis in faciem regeret Mendacia vestra; et

8. Reg. 18.v.18. recte illud vobis occinet: *Non ego turbavi Israël, sed vos, et domus patris vestri.* Vos enim scoriā domus vestræ, in nos transcribitis: vos malaciam hanc ac bonariam, iterato turbatam iretis, si opis vestræ esset. Subit animum Apologus, Luporum ferociam propalans: *Casu ad præterfluentem Lupus et Ovis una venere, ut sitim restinguerent. Lupus fonti vicinior potat, et turbat aquam: Ovis infra illum, turbidam haurit. Torvum lupus tuetur. Cur fontem turbet? cur fæces alvei putentes sibi propinet? ab ovicula sciscitur. Cui innoxia Ovis; turbare se posse negat, quæ inferior potet. At turbas, inquit Lupus, simulque ream sui palatus sensu, Ovem arripit, discerpit.*

Hoc schemate, vos Prædicantes, quod delinquitis, Sacerdotibus allinitis; turbas, quas concitatis, in nos transcribitis. Vos estis, qui palam, atque ita, ut nulla tergiversatione obvelari possit, Regni decreta violatis: qui, ut vastum oris chasma, cui antea vix cibarium panem cilibæ præbebant, ipso frumenti polline saginaretis, Censum Archidiaconorum depsistis; qui ius convocandi Concilia; qui Ecclesiasticorum iudiciorum dignitatem, per vim arripuitis. Et nos, si vel hiscere contra audemus, turbamus? rei

Maiestatis efficimur? Amabo vos terricrepi Prædicantes, noxam hanc unicum amittite, liberam hac vice Veritatem audite; si posthac vel tussiendo vos turbulentaverimus, indomitam iracundiam laxatis effundite lupatis. Dicte itaque avitæ Religionis voragine, quorum consilio, atque impulsu, post nefarios cœtus ac conspirationes, tot innocui sanguinis torrentes, tanti Nobilium cadaverum aggeres, non integro triennio, visi in Ungaria? Submovete contentionem: rem totam momentis suis pensate: et scelera, quæ nobis appingitis, vestra esse, vos ipsi cognoscetis. Vester erat turbulentus Foktōi, qui Haidones, turbinis instar Ungariam versantes, ad rapinas, direptiones, cædes, flabello linguæ excitavit, consilio, auxilio iuvit. Vester Alvinci ardelio, (ceteros taceo) cuius concionum folles, odium Germanorum, Catholicorum detestationem, popello instillarunt; quibus in primis armis, Bocskiana potentia fulciebatur. Scilicet Sacerdotes, non Heterodoxi Prædicantes, Haidonum exercitum ductabant, cum a cauponibus humani sanguinis, imo animarum, supra Septuaginta Christianorum puerorum millia, Turcis, Tartarisque, vili mercede, acinace, equo, commutabantur. Aderant Sacerdotes, libertate proposita animos accendebant: cum spe lucelli, de requie sepulturæ cadavera extrahebantur; et ab inhumanis pollinctoribus, ab opicis vespillonibus, non sandapila, sed heroum Mausolea, sed suggrunduaria nobilissima, everterentur, putentibusque digitis annuli detraherentur. Sacerdotes erant, qui tot Christianos utriusque sexus, donativum Turcis detulere, qui Sacerdotes eviravere; qui Ungariam omnis immanitatis sedem, domestico, externoque squalidem sanguine, dirum bustum effecerunt. O mores urbici! In nefanda scelera Prædicantium, protruditur innocentia Sacerdotum! aliena delicta, aliorum cervicibus vindicantur! Inuncant, degulantque laverniones, ac gryphes isti proventus Ecclesiæ: nisi connivemus, rabiunt; velut abstentos nos excuriant; reos Maiestatis proclaimant. Scilicet integrum erit, ut ultima terræ egeries Prædicantes, sævum urentibus pestilentis doctrinæ flatibus, omnia deve-nustent; ut summa ametria in nos bacchentur, tantum non obruant: et Pastorès nostri, sola armati indolentia, amerimnos connivebunt? ut dedititii, demussata contumelia omni, meros iunculos, mera liba, mera mellatia ac delinimenta porrigent? et cincinnata de capsula oratione, pollincto medicamentis calamo, crispa ad venustatem dictione, impetigini capistratorum in Augiæ stabulo Prædicantium adulabuntur? laudes proiicient? nec vacerros istos verbicrepol,

veritate clatrabunt? nec malagmata sauciatis admovebunt? Absit, absit. Clibanarii milites sunt Pastores gregis Christi; Panicos terrores nesciunt, et quamvis cessim ire quandoque videantur: cedere tamen, contagioni vestræ connivere, stationem deserere, haudquaquam possunt. Nihil apud se (mihi credite) vobis defieri sinent, quin ex illo divite Veritatis bona copia cornu, ex illo Scripturarum, ac veteris Ecclesiæ armamentario, omnigena in vos tela contorquebunt, coercebunt proterviam vestram, hostient indagineque cingent ferociam. Et quamvis vela nunc vobis tumeant secundo vento: procella tamen involvi, everti potestis. Et periculum in properantia esse cogitate: *Et fractis rebus, violentior ultima virtus.* Prudensque illud a magno viro consilium: *In secundis rebus nihil in quenquam superbe ac violenter consulere decet: nec praesenti credere fortunæ, cum, quid vesper ferat, incertus sis.*

Silius Ital.
Livius.

Sed, ut unde abierat, eodem revertatur oratio: Si pudor aliquis in fronte, si fides in corde est, Praedicantes, edicite, qua tandem re Illustriss. Cardinalis decreta Regni violavit? Certe Cardinalis, ac totus status Ecclesiasticus, plurimique alii Catholici viri, in publico Regno Comitio, libertati Professionum, quanta maxima potuerunt contentione, restiterunt: At in edicto, quo Solnensis acta reprobata, verbum nullum ea de re, id solum reprehenditur, quod contra Nicænos canones, contra proprium iusurandum Praedicantium, Superattendentes sint inaugurati: quod iura Ecclesiastica, quod decreta Regni violata, Cathedratico censu interverso, causarum diiudicatione temere usurpata. His enim in rebus, Publicarum vos Legum violatores esse, iam antea commonstravimus.

Adiunxerat Cardinalis: tametsi aliquid eorum, quæ ipse suo Edicto reprehenderet, peculiari Articulo Regni permissum foret: ex ipso tamem corpore iuris Ungarici (quod perstat semper, ceteris Articulis annuatim velut æstu quodam, accessione, abrogatione, variatis) constat: *Leges contra ius Canonicum, Ecclesiasticæ libertati contrarias, invalidas esse.* Hic minanter Praedicantes: *Videat Dominus Cardinalis, ne nimis calidum bolum ori suo ingerat.* Vocem furore gravidam, et iam iamque magnum aliquid enixuram, si non abortiat! Tumorem, qui nisi delinifco cantu cito deturgescat, propinabit ultiro viscera! Sed, ne vos aliquid celem, amica pectora Praedicantes, dum ista cunarum terriculamenta, minaciasque muginamini; com-masculatis, non frangitis generosa, ac Christi calore fervida pectora. Nec Pastor vigilantissimus, veterosas eloquentiæ vestræ spumas,

aut ostracismos, quos pridem machinamini, perhorrescit. Frendeant, fremant, despument, rabia rabiant Prædicantes: animus tamen illa, qui nec nubilo livet, nec turbine glomeratur, Veritatem vindicare, ituraque in omnem posteritatis memoriam, generosi animi documenta dare, non cessabit. Et, ut medicus in insanabilibus, si malum dispellere omnino non valet, adhibet malagmata in levamentum: ita Cardinalis, vires omnes advocationem, in non temnendum certe fulcimentum, trabali telo impotentis fortunæ. Intelligit enim, conatum a se, non felices exitus rerum exquiri. Et tot adversæ fortunæ ictibus iam dedolatus Pastoralis animus, tanto longæ pietatis usu vigorosum pectus, maiorique ac meliori cælestis iræ metu subacta virilitas, minores quos ingeritis metus retundit, consultius iudicat, in hac mundi area variis perpessionum flagellis triturari, quam æternum torqueri, atque ut hederam, quantum velis premas, assurgit nullo præeunte: ita Cardinalis gloriam, quo mendaciō dente momorderint Prædicantes, malignioreque liventia depresso iverint, eo magis exurget, ac ad omnem posthumam ætatem perennabit. Atat: salubre consilium ab amico pectore Prædicantes ænigmatistæ: Si calidorem ori ingesserit bolum Cardinalis, autor sum, longe abscedite, vœ arunco vestro, si quem tenere non poterit, in faciem vestram exspuet bolum.

Post has pueriles minacias, de legulis, leguleii fiunt Prædicantes: et inscite aiunt, *Non ita haberi verba Prologi, quæ a Cardinali proferuntur; sed hunc in modum: si circa ea fiunt statuta, quæ salutem animæ concernunt. Superattendentium vero creatio, in se, causarum diiudicatio, Census Cathedratici exactio, salutem animarum non concernunt.* Principio, confessionem hanc vestram accepto: Superattendentium creationem, non ad animarum salutem, ad earum exitium spectare. Certe Episcoporum Ecclesiæ Christi Ordinatio, in se, et per se, ad animarum salutem ordinatur: ut scilicet, quemadmodum Apostolus ait, fideles ab erroribus defendantur; Verbi DEI pabulo reficiantur, ab iis, qui rationem de animalibus daturi sunt, Episcopis. Deinde, si in re aperta, ac clara, quam quisque ex vulgo manibus attractare potest, adeo procaciter Veritatem pervertunt Prædicantes, quid de obscurioribus cogitandum? Nulla re alia ad fraudes retegendas opus, quam ut ipsa Tripartiti verba consignemus: *Quærendum videtur, An valeat statutum contra ius Canonicum, vel Naturale, vel Divinum? Dic, quoad ius Canonicum: si statutum sit contra Libertatem Ecclesiarum diu-*

Ephes. 4. v. 12.
Hebr. 13. v. 17.

NOTA.

Prol. Tripart.

turnam, vel Privilegia eis concessa; non valet. Idem dicendum, si circa ea fuerint statuta, quæ Salutem animæ respiciunt. Videtis, Prædicantes, primum ea, quæ contra Privilegia antiqua, ac Libertates Ecclesiæ, Canonibus repugnantibus statuuntur, invalida pronuntiari: deinde seorsim illa, quæ Animarum salutem concernunt. Arbitror, post adiicialem, adipalemque cœnam, quasi super mensam debellaturi Alexandrum, fumis vaporatis occupato cerebro, vel non percepisse, vel quod vero proprius est, de industria pervertisse Prædicantes Decretum. Et quia tantis terriculamentis farserant Apologiam, non arbitrabantur fore, ut verbum ullum reponere auderemus. Sed absit, ut metu ullo Veritatem prodamus, armis, seditione, tumultu, rapina alienorum (solitis Prædicantium in Evangelii novi propagatione armis) non agimus: accipere, quam inferre iniuriam malumus, nihil contra quietem publicam, nihil contra Regiæ Maiestatis dignitatem, nihil in vos ipsos contra iura vicinitatis: sed Veritatis clypeo tecti, orthodoxam fidem contra novellas opinationes, ac distortim flexas Scripturæ interpretationes, defendemus, intrepidi; lingua, calamo, precibus, lacrymis, creophagia,

*Tertull. Apol. cameuniis pugnabimus: Et, ut cum Tertulliano dicam: *Nos ieuniūs cap. 40 aridi, et omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco et cinere volantantes, cœlum tundimus, DEUM tangimus, misericordiam extorquemus, non in curribus et equis, sed in nomine Domini spem reponimus, qui auferet frenum erroris, quod est in maxillis populorum. Denique, si Decretum Tripartiti, ita ut a vobis resfertur, conceptum fuisset; an nihil idcirco vobis officere arbitramini? Dicte, obsecro, an ad Salutem animarum nihil pertinet, omnibus sectis Libertatem permitttere? a Veritate desciscendi; falsis, ac æterno exitio natis erroribus adhærescendi, potestatem facere?**

Hæc habui, Prædicantes, quæ properanter, subitaria hac, ac vix hebdomadis unius morula, contexta dictione, velut proliudia, ad accuratam, ac iudicio vestro invictam, numerisque omnibus absolutam Apologiam, xenii loco reponere libuit. Si quid ad salvam vestram, si quid ad delicatum, exquisitisque assuetum stomachum dixi; si medicinam ophthalmiæ vestræ, collyrio hocce feci: Deo gratiæ, cuius est, quidquid boni in abiecta sua creatura est. Si vero (quod nolim equidem) mœstitudine vos affeci, bilemque fermentescentem concivi: Principio, cogitandum vobis est, necdum asarotis ornata tecta vestra, ut nullo inibi Peniculo sit opus. Deinde, bono animo, ægrimoniam hæc non est ad mortem. Et illa,

quæ putridos e corpore extrahunt humores catapotia catharctica, mordicant, turbantque primum, nec sine sensu, ac molestia; sed spe meliorum, durant mortifera febri divexati. Et licet gemant inter manus Medici; easdem postea, mercede cumulant, levique incommodo, magnam ægritudinem depellunt. Idem ut in animis vestris medicata hæc potio faciat, vosque gravi, ac periculo morbo labo-rantes, pulsa cruciaria hac febri, sanitati restituat, æternamque vobis beatitatem transcribat, animitus cupio ac oro.

LOGI ALOGI MALLEATORIS REPRESSI.

Qui hortorum cultui dediti sunt, brassicæ confinio vitem submovent, quod hanc emori vicinitate illius prætendant: Raphanum quoque ob acrimoniam vicina quæque deurentem, longe a reliquis stirpibus serunt. Ego confinio Prædicantium, bona alimenta in suum virus decoquentium, remote serendam Veritatem censeo, nihil enim tam clara veritate illustre, nihil tam patens, quod isti petulantis calami asperginibus non fædent, ac devenustent. Nam, et loquacitatem facundiam existimant, et impudentiam constantiam depulant; et maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ iudicant.

Quid certius, quid liquidius, quam leges Patrias convulsisse, ius Gentium violasse, Æquitatis terminos commovisse Prædicantes, cum iura Ecclesiarum invaserunt, cum ad se Census alienos derivarunt? quid clarissimus, quid verius, quam Antilogia Solnensi conventiculo opposita, nihil ab Illustrissimo Cardinali legibus adversum perpetratum fuisse? Adeo hæc testata, ac sua luce clara sunt, ut Tubalcain ipse non aliter quam silentio, et legum in Papatu sancitarum reprehensione diluat. Ne tamen, vel obmutuisse penitus, vel ab ingenio degenerasse videatur, præstigiata quadam orationis nube Lectoris aciem obtenebrat, portentis fabellarum, e locuplete mendaciorum penu depromptis, triobolare responsum incapistrat. Et ubi multa dixit, suosque nobis appinxit cogitatus, speciem nullam, nullum colorum promit, quo obducat ceriti, ac fulguriti capitis inanias; sed nuda venena, ac maria Mendaciorum spargit.

Timidicule hic ego, ac cunctabundus, quasi super aristas pendenti incedens gradu, loquor. Vulpinantur enim Tubalcain, et a quibus sufflatus hic follis; utque sponte asciam cruribus allidam meis, dolos nectunt. Sed, nec causas Sacrosanctæ Religionis cum

Tertull. contra
Herm. lib. 1.
initio.

Mall. fol. 114.
et 8.

internecinis odiis, calcatoque sanguinis fædere, ac externis bellorum causis miscere volo; nec subducto aulæo, ac sipariis complicatis, scenam omnem præteritæ clavis illuminare, vel huius loci, vel mei muneris existimo.

Hier. Apol. 3. ^{in Ruffin.} Poteram et ego (*quod tu agis*) in vos falsa congerere, et dicere me vel audivisse, vel vidisse, quæ nullus norat; ut apud ignorantes, impudentia veritas, et furor constantia putaretur: Sed absit ut imitator tui sim, et quod in te reprehendo, ipse faciam. Ut tamen et fatuari aliquando desinat Tubalcain, et intelligenti ceteri, quam veri et historiarum vacui, quam falsi et malivolentiae pleni sint Prædicantes, carptim cursum præteriti temporis remetiamur.

In ruinam cernuans, ac prope funerata Hungariæ, pressa est superiori tempestate non una clade. Nam ubi illam circumplexa undique Civilis belli flamma: agri vastati, direpti, oppida incensa, eversa; homines capti, cœsi; camporum vastissima, Hungariæ pubis cadaveribus fatigata: colles, Christianorum cœdibus faticentes pressi; valles, nostri sanguinis fluminibus redundarunt; crudelitatem ab orbe condito inauditarum infandis portentis aër ipse, quo spiramus, fædatus. Primam incendii scintillam quæris? Si cuncta curiosius animo arbitraris, eam ipsam intelliges, quam Tubalcain conflabellat. Odiosissimis furiosarum concionum follibus hæc ipsa imperitæ multitudini insufflarunt, quæ mendaci calamo Malleator consignat. Magni scilicet Cœsaris, magnorum Ducum conatus.

Mall. fol. 112. *tendere, ut depressa Lutheri ac Calvini doctrina Magnates ac Nobiles, vel ad Papismum adigant, vel vita ac fortunis exuant. Quin totas nobilissimæ gentis Ungaricæ reliquias, stirpitus eruncent ac proterant. Et ne temere hæc credi putarentur, consuetum vallum contra veri aciem erigunt, mendacemque fabellam spargunt: Romani Pontificis arcanorum concium, vel radiis Evangelicæ veritatis collistratum, vel tanti tamque innoxii sanguinis miseratione stimulatum ex urbe profugisse. Occulta Papæ molimina, impendentesque Lutherano ac Calviniano capiti procellas et tempestates, fide bona retexisse. Venisse diem summum et ineluctabile fatum, nisi viriles animos libertatis amore commasculant. Pictis stibio, tinctis melle, mendaciorum hisce decipulis, rerum novarum cupida multitudo sitiatores aures præbet, quin etiam prudentiores, tam subdola veri similitudine in errorem rapti. Itaque nutare primum, conventicula cogere, iniire fædera, tandem arreptis armis furere aggrediuntur. Fontem totius mali, torrem grandis incendii, habes.*

Quid vero Tubalcain? in eos ausus excurrit, ut magni Cæsar is magnorum Ducum, Bastæ et Belgiorosæ manes, procacissima linguæ petulantia proscindat, et leones mortuos simia vellicet. Olim lata Regni Leges Cæsar decreto approbat. Basta Selliæ hybernat. Belgioiosa contra Leges patrias agit. Quid tum vero postea? Ergo Mall. fol. 112.

Lutherani innoxii? næ ego fallor, Tubalcain, si non tibi vinum totum demunixerat cerebrum, cum hæc scriberes, vel furiae exsuxerant quicquid habebas humani pectoris. Parceres, si non tue, tuorum saltem verecundie; et paululum humani, si non Christiani pudoris, assumeres; nec despecta, et calcata conscientia tua, impuro calamo Principi populi tui malediceres, ac tam frivolis coniecturis velitareris. Vera sint omnia, quæ a male colato capite tuo profluxerunt, hybernari Basta Seliæ Belgioiosa contra Leges aliquid admiserit: Ergone ab aliis, nominatim a Sacerdotibus instigati? ergone vos innoxii, qui suspicionibus dementasti plebeculam, bellumque intestinum conflavistis? Bardus iste, meris logis rem gerit, quasi negotium ipsi sit cum pueris, qui res et nexum rationis non attendant.

Sed et Scepusii, externo militi hospitia designata: et mœnia civitatum Geometrico artificio dimensa: et facultates Evangelicorum exploratæ. Mens tibi et frons fuit, cum hæc scriberes, Tubalcain? Scilicet Regibus fas non est, vel militem, quos defendendæ Ungaricæ ære Germanico conduxit, hyberni Iovis iniuriis intra privatarum cedium tecta subducere; vel murorum propugnacula lustrare; vel civium capita censu recognoscere. Nimirum imperitus eo humamarum rerum, nimium divini iuris inscius, si satis idonea hæc arbitraris ad male de Principe suspicandum, et hostica illi arma intentanda.

Concludit vero, re feliciter gesta, Malleator: Sacerdotes ingratissimos, ab Evangelicis esse restitutos patræ. Ulterius ne tende odiis, Tubalcain. Animorum placamenta diu dispicimus, quibus Evangelicis tuis blandiamur, et, nisi morulæ tedium occupet, præstolare: ego vice omnium complicitus in genua appronabo, meaque ut oscula deprimas infra soleam crepidarum tuarum, obtestabor. Prius tamen, an ista perpetuae gratitudinis nostræ anathemata Clementiæ vestræ postibus appensa, satis ad salivam vestram futura existimes, fac ut intelligam. Cetera, quæ fugienti calamo intergarris, eiusmodi non sunt ut responsum mereantur, nec tuas, quibus abundas passim, suspicaces curas moror, neque enim fieri potest, quin tu male omineris, si vera sunt Magni oracula: Humanæ mentis proprium est, hoc sibi fieri suspicari, quod facit.

Mall. f. 113.Gregor. 14.
Moral. c. 1.

*Cernis iam, Tubalcain, quam inaniter videris tibi respondisse
 Aug. libr. 3. ad mala quæ Peniculo continentur: Si enim propterea respondisti,
 contr. Crescon. quæ tacere noluisti: non quidem ad omnia, sed tamen respondisti.
 cap. 17. Si autem ad hoc respondisti, ut ea quæ a me dicta sunt, eva-
 cuares: video te quidem ad multa respondisse, sed nihil video
 refellissse. Licet enim omnes ingenii, doctrinæque vestræ vineas ac
 pluteos ad expugnanda Peniculi firmamenta converteritis: commo-
 vere tamen nec latum crinem potuistis.*

*Tu vero, Lector optime, vidisti fumos Averni, glomeratasque
 maledicentiae, et mendaciorum nebulas, quas Tubalcain, et Bucco
 ille pœtaster, pus literarum, carcinoma sœculi, exenteravit e barathro
 pectoris. Legisti sordes inominatas Lutheri, quas traloqui pudor:
 anfractus ad elabendum conquisitos considerasti: nullo fatiscentem
 robore Veritatem, denso plenam robore contemplatus es. Tuum est,
 ne salutis negotium, in quo de æternitate iacitur alea, neglectum
 cures, sed Divino timore exæstuans, vanno Veritatis frumentum
 a paleis secernas, tecumque attente dispicias, an spuria ista Ecclesiæ
 Christi vitulamina, Apostolicos Scripturarum sensus, vetustæque
 Fidei massam adulterino fermento venenantia, sequenda existimes;
 vel inde usque ab Apostolorum ubere, divite fluxu derivatam Religio-
 nem, amplexare.*

FINIS.

Psalmo 88. Versu 51.

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine? Memor esto,
 Domine, opprobrii servorum tuorum, quod continui in sinu meo,
 multuram Gentium: Quod exprobraverunt inimici tui, Domine,
 Quod exprobraverunt commutationem CHRISTIS tui.


SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

FALSAE ORIGINIS
MOTUUM HUNGARICORUM
SUCCINCTA REFUTATIO.

—*—

AZ MAGYARORSZÁGI TÁMADÁSOKNAK
HAMISSAN KÖLTOTT EREDETINEK
RÖVID, VELŐS HAMISSITÁSA.

RECENSUIT
IOANNES KISS,
IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



BUDAPESTINI
TYPIS REGIÆ SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
MDCCCCIV.

Ad Rom. 13. Cap.

*Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit:
Non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo
ordinata sunt: Itaque qui resistit potestati, Dei ordina-
tioni resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem
acquirunt.*

*Minden lélek a' fölső hatalmasságoknak legyen alaja
vetve: Mert nincsen hatalmasság hanem az Istenről; a' mely-
lyek kedig vadnak, az Istenről rendeltettek. Annakokáért
a' ki ellene áll az hatalmasságnak, az Isten rendelésének
áll ellene. A' kik kedig ellene állanak, azok magoknak kár-
hozatot szerzenek.*

Mathias II. sacri imperii Romani imperator et Hungariæ rex, ut regno nostro pacem, nepoti vero suo et filio adoptivo Ferdinando archiduci sacram Hungariæ coronam tutam redderet, postquam eum in regem Bohemiæ eligi curaverat, in eo erat, ut idem in regem Hungariæ quoque eligeretur. Petrus Pázmány, regi Mathiæ fidelissimus et Ferdinando addictissimus, sicut ante comitia Posonium pro 13. Decembris 1617. convocata, ita et iam his durantibus omnia præstítit, ut regis voluntas impleretur: quod et iam factum et Ferdinandus 16. Maii 1618. in regem Hungariæ electus est. Mox, iam Ferdinando regnante, secuta est insurrectio Gabrielis Bethlen, principis Transsylvaniae et comitis Siculorum, quam fulciendam suscepit Petrus Alvinczi, confessionis reformatæ predictor Cassoviæ, in opere suo: „Quærela Hungariæ — Magyarország panasza“, linguis Latina et Hungarica conscripto, primum anno 1619. Pragæ publicato, in quo clerum catholicum Hungariæ et præprimis Petrum Pázmány archiepiscopum Strigoniensem de iniuriis adversus regnum Hungariæ et protestantes commissis arguit.

Contra opus hoc scripsit Petrus Pázmány et iam anno 1619. sine auctoris nomine, linguis Latina et Hungarica publicavit opusculum: „Falsæ originis motuum Hungaricorum succincta refutatio — Az magyarországi támadásoknak hamisan költött eredetinek rövid hamissítása“, in quo et Ferdinandum regem, et clerum catholicum Hungariæ, et seipsum contra accusationes protestantium iniustas defendit.

Libellus hic in lucem prodiit latine et hungarice prima vice anno 1619. Posonii, vice secunda anno 1620. Posonii vel Viennæ, dein germanice cum titulo: „Ungarischer Rebellions Brunn, das ist: Wahrer Gegenbericht, Wieder die Unwahre Inricht: Als ob Ihr Kayserliche Mayest: an jetzigen Ungarischen Unwesen die Schuld hett. Oder Woher dieselbige Unruhe entsprungen. Getreulich aus dem Latin ins Teutsche versetzt,“ anno 1620. Augustæ Vindelicorum. Exemplaria linguarum Latinæ et Hungaricæ præsto sunt in bibliothecis: Musei nationalis Hungarici Budapestini, Regiæ scientiarum universitatis Budapestini, et Georgii Ráth; linguæ Germanicæ vero in sequentibus: Musei nationalis Hungarici Budapestini, Academiæ scientiarum Hungaricæ, Musei Hungarici Transsylvaniaensis, comitis Teleki in Maros-Vásárhely, cardinalis Ioannis Simor archiepiscopi Strigoniensis, Alexandri Szilágyi, civitatis Tugurini, civitatis Francofurtensis et Georgii Ráth.

*Quam grave, divinisque ac
humanis legibus damnatum sit,
debitam Regi ac Domino fideliti-
atem negligere, arctissimum ho-
magii sacramentum convellere,
contra unctum Domini arma con-
vertere, ac (ut Apostoli verbis
utamur) potestati reluctando, Deo
ipsi resistere, nemo est qui ne-
sciat. Ab ipsa siquidem natura
impressum est mentibus mortali-
um, etiam immanitate barba-
rarum, potestatem a Deo esse,
Deoque ipsi resistere, qui potestati
resistit. Lex autem æterni
Dei est: Ignis æterni pœnam su-
stinere eos, qui spernunt domi-
nationem, ac damnationem sibi
acquirere, qui potestati reluctan-
tur sublimiori.*

*Quocirca, ut huius tanti tam-
que immanis vitii noxam a se
removerent, quicunque iniusta
arma in Dominos ac Reges ex-
pediverunt, summo semper studio*

*Mely Nehéz és mind Isteni
s mind világi törvényektől kár-
hoztatott dolog legyen a' Király-
nak és Urnak kötelező hívséget
megvetni, arrul tölt erős fogadá-
st felbontani, az Urtól meg-
kenetett Király ellen fegyvert
fogni, és (hogy az Apostolnak
szavaival élyünk) az hatalmas-
ság ellen támadvan, ó magának
az Istennek ellene állani, senki
nincsen, a ki ne tudnya. Mivel-
hogy, ugyan a' természettől be-
vagyón öntve akár minemű fene-
vad embereknek is szivekbe, hogy
az hatalmasság az Istantól va-
gyon, és ahoz képest, Istennek áll
ellene, valaki az hatalmasság
ellen tusakodik. Az örök Istennek
kedig törvénye az: hogy
örök tüzzel büntetessenek azok,
kik a' fejedelemséget megvetik,
és magoknak kárhozatot szerez-
nek, kik a' fölső hatalmasság
ellen tusakodnak.*

*Azokáért, hogy ennek a' nagy
es izsonyu bűnnek vétkét ma-
gokról leráznák, valakik hamis-
san fegyvert fogtanak az ó Urok
és királyok ellen, mindenkor*

contenderunt, ut si veras ac solidas non possent, fucatas certe et ad speciem non aspernendas temeritatis audaciaeque suae rationes obtenderent, sicque invidiam effusi sanguinis innoxii, vastitatisque provinciarum, quae fere comitari solent hosce motus, a se removerent.

Idipsum nunc in martiali illo Pannonicco tractu, non satis consulto, a Scribis aliquibus tentatum, qui nuperos contra Sacratiss: Cæsaream Regiamque Maiestatem excitatos motus defendere, invidiamque tumultus perniciosissimi, contra Ius ac fas paucorum temeritate concitati, in suam Sacratissimam Maiestatem derivare non reformidant: quorum antequam rationes retundamus, opere pretium erit, paulo altius statum rerum Hungaricarum ex fide ac ordine retexere, non ex inanibus famæ volantis rumoribus, sed ex publicis tabulariis, authenticis scriptis, ac in totius Regni theatro gestarum rerum solidis narrationibus.

Ducenti propemodum sunt anni, quibus Hungaria assiduis bellorum, vel exterorum, vel Civiliū, vexata procellis, vix alibi

nagy szorgalmatossággal azon igyekeztenek, hogy ha igaz és' erős' okait nem adhatnák az ō vakmerőseknek, mind az által, valami palástos és ál orczás okait keresnék, és úgy az ártatlan vér kiontássának, a tartományok pusztulásának, mellyek gyakorta követik az illyetén támadásokat, gyülölségét magoktól eltávoztatnák.

Ugyan ezent nem szintén okoson, megkésertették némelly Irodeákotcskák amaz Vitézlő magyar országi tartományban, kik a' felszentelt Királyi és Császári Fölség ellen való minapi támadásokat ótalmazni igyekezvén a' veszedelmes zűrzavarnak okát, melly egynéhány maga feleddet embereknek vakmerősekkel indittatok, a' Fölséges Császárra akartak hárítani: kiknek okoskodásit minek előtte meg roncsunk, kivántatik, hogy Magyarországnak egy kevéssé előbbeli állapattyát megtekintsük és hiven s rend szerént megbeszéllyük, nem valami heába való hireknak futamásából, hanem a' közönséges végezésekkel, tagadhatatlan írásokból, és az egész országnak szeme előtt történt dolgoknak bizonyos és valóságos előszámlálásából.

Közel két száz esztendeje vagyon, mitúl fogva magyarország szüntelen hol külső, s hol belső hadakozásoknak szél-

lectas rerum vicissitudines, cladesque passa, veluti in altissimo iactata Oceano, nullum quietis, ac pacis publicæ portum aspexit; Donec tandem Deo clades nostras miserante, proxime lapso triennio, tanta tamque insperata pax Ungariæ ac Transylvaniæ illuxerat, quanta nec occlusis Iani portis, maiorem Roma viderat. Nam et cum Turcis Vicennales induciæ, ingenti sumptu ac labore pactæ erant, et cum Transylvanis æterna (ut sperabatur) fœdera icta fuerant.

Et ad pacem quidem Turcicam quod spectat, licet ea ad Situæ ac Danubii confluxum tractata, ac conclusa fuerat Anno 1608., quia tamen diploma Turcicum de pagis Tributariis, aliisque nonnullis rebus gravissimis, longe aliter quam debebat, conscriptum fuit, idcirco novæ quotidie et in aperatum bellum propediem erupturæ controversiæ excursiones, pagorumque deditiones, fiebant. Quocirca, vel nova tractatione clarius omnia componi debebant, vel de imminentि bello Turcico in tempore deliberandum. Itaque ne quid inconsulto actum videretur, Matthias Imperator Anno 1614.

vészitől idestova hányattatott, és oly változásokba forgott, minemücket egyéb országokról alig olvastunk, nem külömben mint ha a' fenecketlen tengernek közeppin habozott volna, semmi közönséges békeségnek és nyugodalomnak partyát nem láthatta; mig nem végre az Isten szánakodván veszedelmünkön, ez elmult három esztendőben, oly nagy és véletlen békeség tündöklött magyar országban és Erdélybe, mennél nagyobbat Janus kapujának bé zárlásakor sem látott Róma. Mert a' Törökkel is nagy költséggel és munkával húsz esztendeig való frigy szerzettetett és az Erdéliekkel örökkel való (a' mint reméllettük) szövetség vettetett vala.

És a' mi a' Török békeséget illeti, noha ez a' Situatoroknál véghez ment volt 1608. Esztendőben: mind azonáltal, mint hogy a' Török levél az hódolt faluk felől es egyéb nehéz dolgok felől is sokkal külömben volt irva, hogy sem mint kelletett volna, azokáért naponként úyabb, úyabb és rövid időbe nyilván való hadra menendő viszálkodások, csaták és faluknak hőldoltatási történekek. Szükség volt azért, avagy úy végezés által mindeneket nyilvabban le csendesíteni, avagy a' következendő Török hadról jó idején gondolkodni. Annakokáért, hogy ne láttatnék tanácskozás

Augusto Mense, Principes, ac Regnum, Provinciarumque Legatos, Lincium evocavit, sciscitatus, quid consilii capiendum, si Turca suis inhærens prætensionibus ad æquiores pacis conditiones adduci non posset? Ibi uno omnes ore Legatis Ungaricis assensi: exhausta esse æraria publica; nolle proinde Provincias bello Turcico implicari; nolle tributis, militaribus gravari; malle etiam durioribus conditionibus pacem fovere, donec respirarint provinciæ.

Eam ob rem Imperator, eo curas cogitationesque suas convertit, ut pax Turcica resarciretur, firmaretur et si qua ex parte posset, commodior efficeretur: Ingenti itaque sumptu, honestissimis, si unquam antea, conditionibus, pax in proximum Vicinium Anno 1615. die I. Decembr. conclusa fuit. Summa difficultas de centum quinquaginta octo pagis, antea Turcis Strigoniensibus tributa pendere solitis erat; sed longa tandem triennalis tractationis molestia obtentum, ut ex his 158 pagis, sexaginta duntaxat vectigales essent, reliqui ab omni tributo Turcico liberarentur. Itaque pagi sexaginta Turcis dati

nélköl valamit mivelni, Matthias Császár 1614. esztendőben kis Aszszony havában, Fejedelmeket és országoknak s tartományoknak követít Linczbe hivattatta, értekezvén mit kellene cselekedni, hogy ha a' Török az ő fortélyos fogásiban megmaradván, türhetőbb okokkal való békeségre nem akarna menni? Ott mindenjában egyenlő értelemmel az Magyar követekkel eggyezének: hogy a' közönséges tárházak megüresettenek és azért a' tartományok nem akarnak a' Törökkel való hadakozásba egyelegni, nem akarnak hadi adó fizetésekkel terheltetni: és inkább akarnak sulyosb okokkal is békességet tartani, miglen a tartományok meg pihennyenek.

Annak okáért a' Császár minden gondolatit arra fordította, hogy a' Törökkel való békeség megúyulna és erőssödnék és valami részből, ha lehetne, alkalmatosba változnék. Azért nagy költséggel, tiszteséges okokkal (ha valaha az előtt) az húsz esztendeig való békeség, 1615. Esztendőben karácson havának első napján véghez mene. Legnagyobb nehézség a' száz ötven nyolcz falukról volt, mellyek az előtt az Esztergom Törököknek adót fizettenek: de három esztendeig való hoszú bajos alkotással azt nyertük, hogy a' száz ötven nyolcz falubul csak hatvana lenne adófizető, a' többi minden

non sunt, sed permissum, ut (quo antea quoque factitarant) certum ac limitatum quotannis tributum, veluti liberæ ac securæ mansionis lytrum, Turcis penderent, ac nihilominus, dominio, Iurisdictionique Christianorum immediate subiacerent. Et certe eo res reciderat, ut nisi horum pagorum tributa Turcis permitterent, vel apertum bellum suscipiendum foret, vel libera excurrendi ac vi eos, quot possent, ad ditionem compellendi facultas Turcis permittenda: quorum utrumque minori incommodo redimendum censuerunt, optimi quique Cives patriæ.

Pax quoque Transylvanica, eodem Anno 1615. die 6. Martii Tyrnaviæ conclusa, ac tam Principis moderni, quam totius Transylvaniæ diplomatibus, sacro-sancte stabilita fuit: Ea inter alia conditione (ut secretiora taceantur) *quod contra suam Maiestatem, eiusque legitimos successores, Reges Ungariæ et Regnum, Augustissimamque, Domum Austria-cam, Regna, atque Provincias, cum quibus sua Maiestas singu-laria pacta habet, nullo unquam tempore; aversam et hostilem prætensionem habebit Transylva-nia, vel Princeps.* Quin et illud annexum: *Quod idem Dominus*

Török adózásatul megszabadulnának. Azokáért nem adtanak a' Törököknek hatvan falut, hanem megengedték, hogy (a' mint az előtt is cselekedtenek) bizonyos és szabott adót adnának, úgy mint szabad és bátorságos lakosoknak satczát és mind azon által a keresztyének urasága és birtoka alatt maradnának. És bizonyára arra jutott volt a' dolog, hogy ha azoknak a' faluknak adóját meg nem engedtek volna a' Törököknek, avagy nyilván való hadat kellett volna viselni, avagy felszabadítani a Törököket, hogy szabadon csatáznának és a kiket lehetne erővel meghódoltatnának: mellyek közzül mindeniket méltónak itéltek, kissébb karral megváltani az igaz haza fiak.

Az Erdélyi békeség is azon 1615. Esztendőben, Bőyt más havának hatodik napján Nagyszombatban véghez ment, és mind a' mostani Fejedelemnek, s mind az egész Erdélynek kötés leveleinél, felbonthatatlanul megerőssítetett. A többi között (hogy halgassuk a' titkosb dolgokat) azzal az okkal, hogy ő Felsége ellen és a' törvény szerint utánna való Magyarországi Királyok ellen és az ország ellen és a' felséges Austriai ház ellen és az országok és tartományok ellen, mellyekkel ő Felségének kiváltképpen való szövetsége vagyon, soha semmi időben idegen és

Bethlehem, et successores legitime electi, una cum Statibus et Ordinibus, promisit suæ Maiestati, suis successoribus Regibus legitimis, Regno Hungariæ, quando-cunque necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes, excepto Turca, omni opere, auxilio, viribus et fidelitate aderunt.

Quia vero turbæ nonnullæ postmodum subortæ fuerant iterato, Anno 1617. Mense Julio, hæc eadem pacta conventa, Tyrnaviæ stabilita sunt; ac hoc ipso Anno 1619. Mense Aprili, fide publica, testimonioque authentico, Carolini repræsentato, tam a Bethlehem, quam ab universa Transylvania, sacrosancte roborata fuerunt. Adeoque vigore huius foederis, non semel, ultro suam operam Bethlehem obtulit, seque in expeditionem Bohemicam, decem millibus armatorum stipatum, pro suæ Maiest. arbitratu proficiisci paratum exhibuit.

Dum igitur tam alta, tamque expedita pax Ungariam totam inundaret, una illa cura Imperatorem coquebat, ut porro constans, ac si non perennatura, duratura saltem hæc ipsa quies

ellenséges fortélyya Erdélynek avagy a' Fejedelemnek nem leszen. Sőt az is hozzá tétetett, hogy ugyan azon Bethlen Ur és törvény szerént utánna való Fejedelmek, a' Rendekkel és Statusokkal együtt, azt igérte ő Felségének, és törvény szerént utánna valóknak, Magyarországnak, valamikor szükség leszen, minden ellenségek ellen, a' Töröktül megválna, minden segítséggel, erővel és hűséggel lesznek.

De mivelhogy azután némelly veszekedések támattanak, ujonnan 1617. Esztendőben, Z. Jakab havában, ugyanazon végezések és szövetségek Nagyszombatban megerőssítettenek és ugyan ezen 1619. Esztendőben, Z. György havában, nyilván való és tagadhatatlan bizonyssággal Károlyban bemutattatván, mind Bethlehemtől, s mind az egész Erdélytől, szent hűséggel megerőssítettenek. Elannyira, hogy ennek az szövetségnak erejével nem egyszer, maga akarattyá szerint arra ajánlotta magát Bethlehem, hogy ő Felsége akarattyára és javallására a' Csehek ellen való hadbataliz ezer fegyveres vitézekkel kész elmenni.

Midőn azért az ilyen nagy és kivánatos békeség eláradt volna Magyarországban, ez az egy gond forgott ő Felsege előtt, hogy álhatatos és ha nem örököks is, mind az által jó ideig

publica foret. Itaque ætati ac viribus suis fidendum amplius non existimans, ne, (quo ante sæpius acciderat) Interregni tempore, Civilia exteraque bella Hungariam reflorescentem vastarent: exemplum Fratris, Patris ac Avi sui mītandum statuit, ac dum adhuc superesset, successorem in Ungaria quoque (ut iam in Bohemia fecerat) Serenissimum Ferdinandum eligendum curaret.

Hac itaque ratione, cum non in præsens solum, verum etiam in futurum, quieti publicæ satis consultum videretur, fatis concidente Imperatore Matthia, Sacratissima quoque moderna Regia Maiestate ad conventum. Electoralem abeunte, atrox ac insperatum rebellionis incendium exarsit. Nam factiosi quidam, ac male feriati homines, partim iuvenili fervore dicam, an furore concitati; partim innato in celeberrimam nationem Germanicam odio stimulati; partim dominandi ac aliena diripiendi cupiditate inflammati, variis artificiis, ac aureorum montium pollicitationibus, Transylvaniæ Principem in societatem belli Civilis evocarunt: et ut rudi plebeculæ causam suam redde rent gratiorem, infelici, sed huius sæculi peculiari vitio, Religionem velut scutum obtendebant. Itaque

állandó lenne ez a közönséges nyugodalom. Azokáért idejéhez és erejéhez többé nem bizván, hogy (a' mi azelőtt gyakorta történt) az országlás közbevetésének idején, hazabeli és külső hadakozások is az ujonnan virágos Magyarországot el ne pusztítsanak, Bátyának, Attyának és ősinek példáját követvén, maga éltébe is Magyarországba is (a' mint immár Csehországba cselekedett volt) utánna való Királynak akarta választatni a Fél-séges Ferdinánd Fejedelmet.

Illyen módon azért, midőn úgy teczenek, hogy nem csak a' mostani, hanem a' jövendő időre való békéség is helyén volna, meghalván Máttyás Császár és a' mostani Király ő Felséghéz elmenvén az Electoroknak gyűléssére, iszonyu és véletlen pártalkodásnak tüze támadta. Mert némely zenebonás és furt agyu emberek, rész szerint az ifjúság-nak buzgóságától mondgyam-e, avagy dühösségétül indittatván, rész szerint az hires neves Német nemzetseg ellen való meggyökerézett gyűlölségtől ösztönösztetvén, rész szerint uralkodásnak és körborlásnak kévánságától gerjesztetvén, külömb külömb feles mesterségekkel és arany hegyek-nek igiretivel az Erdélyi Fejedelmet az hazabeli hadnak társaságára kihitták; és hogy az együgyű tudatlan kösségnek igyeket

furor militaris, antesignanis Szecsi et Rakoczi, utroque Georgio, pri-mum omnium in sacras Deo personas, templaque ac suppellec-tilem Ecclesiæ effundi cœpit; Sacerdotum collegia plura vasta-vit; venerabiles Episcopos, Præ-positos, Abbates, Canonicos ad ignominiam denudatos, fœde circumduxit, mancipiorum instar taureis, flagris, verberibus, sputis, milleque verborum aculeis excar-nificavit. Quid dicam de barbara illa Cassoviensi feritate? Marcum Crisinum, Canonicum Strigoniensem, duosque alios probatis-simæ vitæ sacerdotes, Soc. Iesu Religiosos, Steph. Pungratz et Melchiorem Grodecium, cum nul-lis verborum minis, aut blanditiis adigere potuissent, ut fidem Catholicam eiuraret: crudelissi-mis vulneribus conficiunt ac cæteros quidem mortuos, unum adhuc spirantem, in fedissimam cloacam coniiciunt, et vel ibi obsordescere permittunt, vel (ut fama fert) carnificis opera (proh scelus, æternis flammis vindicandum) extrahunt ac rursus in fimum, fœtutinasque ædium Bocacii, Canificum ministerio, sanctissimorum Martyrum cœlo auratisque laquearibus dignas reliquias condunt.

kedvesbé tennék, szerencsétlen, de ennek az időnek tulajdon vétke szérint, az Hitet fogták pajsul. Azokáért a' Vitézlő dühösség, Szécsi és Rákóczi Györgyöknek kalauszágok alatt, legelsőbben is az Istennek szenteltetett személyekre és szentegyházokra és Egyházi marhákra öntődött ki: Papoknak egy nehány lakóhelye-keket feldulta, a bőcsülletes Püspököt, Præpostokat, Apát urakat, Canonokokat gyalázatoson mezítelen levetkőztetvén, utálatosul idestova hurczolta, rabok gyanánt korbácsokkal, ostorokkal, verésekkel, pökdösésekkel és ezer gyalázatos szidalommal hóhér módra gyötötte. Mit mondgyak amaz Kassai fene dühösségről? Crisimus Marcust, Esztergami Canonokot és más két tökélletes életű Papokat, a' Jesus társasága-beli szerzeteseket, Pungracz Ist-vánt és Grodecius Menyihártot, midőn semmi fenyegető, avagy hitegető beszédekkel reá nem vihették volna, hogy a' közön-séges Keresztyén hitet megtagad-nák. Kegyetlen sebekkel megöl-ték és a' többöt halva, az egyiket kedig holt elevenen a' büdös árnyék székbe vetették és avagy ott hattak, hogy megrothadgya-nak, avagy (a' mint hirül beszélik) hóhérral (óh örök tüzzel bün-tetendő vétek) kivonyatták és a' Szent Martyroknak mennyor-szágba és arany menyezetekbe

Virum Illustrem, Andræam Doczy, Cæsareæ Regiæque Maiestatis Generalem (una re 'culpabiliem, quod nimium quibus non debuit fidit) foedæ captivitati addixerunt, qui ferreis compedibus (quibus ne Turcæ quidem honorationes, si capiantur a Christianis, addici solent) velut vile mancipium a vindicibus (si Deo placet) Ungaricæ libertatis arctissime constrictus fuit. Denique rapinis, prædationibus, innocentum oppressionibus, sacrilegiis, omnia susque deque versaverunt; iuramentum fidelitatis pro futuro Rege, vi et armis extorserunt, ac tandem Bohemorum Moravorumque copiis coniunctis contra ius, fasque, contra præstitum coronationis Regiæ tempore fidelitatis homagium, *nullius alterius fidelitate salva*, sacrosancte observandum, Imperatoriæ Maiestati, vi iniusta arma intulerunt.

Nunc vero, ut quod Deo hominibusque aversantibus temere cæperunt, non sine causa cæpissee videantur, Scribæ nonnulli ac forenses rabulæ, seditionum flabella, prætextum, fucum ac mangonum disquirunt, quibus apud

való méltóságos erekléjeket a' hohérok által is meg ganéba és a' Bokatius házának való moslékba eltemették.

A Nagyságos Dóczi Andrást, Király és Császár ő Felsége Generális Kapitányát (ki abba az egybe volt bűnös, hogy a' kiknek nem kellett volna, fölöttébb hitt) undok rabságba vetették és (mellyet még a' Törököknek is, mellyek ő nálok böcsületesek, nem cselekesznek, ha rabbá esnek a' Keresztyéneknél) mint valami alá való rabot keményen vas békókba verték a Magyarország szabadságának (ha Istennek tettezik) boszszu álói. Végezetre kóborlással, prædálással, ártatlanoknak elnyomásával, szentség törésekkel mindeneket felforgattanak: a' következendő Király húsgére, erővel és fegyverrel mindeneket esküttettének és utolra a' Csehekkel és morvaiakkal eggyütt minden törvény és igazság ellen, a' Király koronázattyakor fogadtott húsgég ellen, mellyet minden más húsgég fölött illik megtartani, Császár ő Felségére támadván, erőszakkal és hamissan ellene fegyvert vontanak.

Mostan kedig hogy a' mit mind Isten s mind emberek ellen vakmerőképpen elkezdettenek, ne látassanak oknékül cselekedni, némely Irodeákok és piaczi csélcspapok, a' viszálkodásnak fujoi palástot, kendőzöt és álorczat

Tripart.
3. part. Tit. 5.

sibi similes, causam iniustum scelere eximant. Ac partim Cleri maximeque Illustrum totius Ungariæ Procerum famam infami scripto *Querelarum Ungariæ inscriptione*, sine teste, sine ullis documentis, vanissimo duntaxat verberum crepitum, ac obduratae frontis et oris temeritate dilacerant. Partim scripta, nescio quæ secretiora, conspirationes, technas, occultaque consilia continentia, inanissima fictione iactant. Partim denique responsione quadam Palatino Ungariæ, 23. Novemb. exhibita Sacræ Regiæ Maiestatis personam attingunt, quasi vel in Electione suæ Maiestatis, vel in administratione Reipublicæ, aliquid desideratum fuerit.

Cætera, que vel odiose ac sine ulla veri specie in Clerum conficta sunt, vel in Illustres Ungariæ Comites ac Barones, per summum convicium et inurbanam dicendi libertatem temere iactantur, libens prætereo: hæc enim omnia unica negantis, vel recriminantis vocula, convellere cuius proclive est. Et licet ea omnia falsissima cum sint, vera essent: nemini tamen ob privatas simul-

keresnek, mellyekkel magokhoz hasonlóknál a' gonosz igyet vétktől megmencsek. És rész szerént az Egyházi rendnek és az egész Magyarországbeli legfőbb és tekintetesebb Uraknak híreket neveket gyalázatos írással, mellyet Magyarország panaszol-kodásinak neveztenek, bizonyítás nékül, csak heáavaló beszédnek kifecsegetésével és megátalkodott homloknak és száinak vakmerőségével mardos-sák. Rész szerént, nem tudom micsoda titkos írásokat, mellyekbe öszve sugallásokat, alnokságokat és elrejtett tanácsokat mondanak lenni, csupa merő hiuságossan rebesgetnek. Rész szerént vége-zetre némely felelettel, melly a' Magyarország Nádor Ispánnyának, Mind szent havának huzon harmadik napján adatott, ō Felsége személyét illetik, mint ha ō Felsé-gének vagy választásába, avagy az országnak gondviselésébe valami fogyatkozás történt volna.

A többinek, mellyeket avagy gyűlölségből, semmi igazságnak színével az Egyházi rendre költöttenek, avagy a' Tekintetes Magyarországi Grófokra és Zászlós Urakra, nagy gyalázatos szi-dalommal és embertelen fecse-géssel vakmerőképpen csacsognak, örö mest békét hagyok. Mert azokat a' tagadónak, avagy trömfal ütőnek egy szavával, akárki is könnyen elronthattya.

tates, intestinum bellum conflare, Regiæque Maiestati debitam fidelitatem eiurare fas esset. Ea igitur solum, quæ in Conventu Posoniensi, non quidem a Statibus ac Ordinibus, sed a Scribarum liberrimis congesta sunt, Regiamque personam concernunt, libera ac sincera veritate ponderemus.

Duo igitur sunt, quibus præsentes motus Ungaricos, absque læsæ Maiestatis vitio excitari potuisse, Scribæ disputant. Primum est, quod Electio Regis Ferdinandi coacte ac miris artibus extorta fuit. Alterum est, quod regnandi conditiones Regiæ Maiestati oblatæ, et ab eadem acceptæ non fuerint a sua Maiestate observatae.

Primum illud caput nudis, sed odiosissimis inanissimisque rerum impertinentium commemo rationibus adstruunt, quæ prius quam ordine discutiamus, age ex publicis Regni constitutionibus, luce clarius demonstremus, nec vim, nec coactionem, nec subreptionem ullam in Electione Sacræ Regiæ Maiestatis obrepisse. Status et Ordines Regni ad Electionem suæ Maiestatis progre di

És ha szintén azok, noha merő hamissak, igazak volnának is: mind-azon-által senkinek szabad nem volna magán való viszálkodásért hazabeli hadat indítani és Király ő Felségének köteles hűvségét hamissan visza esküdni. Azokáért csak azokat, mellyeket a' Posoni Gyűlésbe, nem a' Statusok ugyan és Rendek, hanem a' nyelves Iródeák öszve hordottak és a' Királynak személyét nézik, szabad és nyilván való igazsággal megfontollyuk.

Két dolgot fejtegetnek az Iródeák, mellyeket azt mondgyák, hogy e jelenvaló magyarországi támadásokat, az ő Felsége sér téseknek vétke nékül szabad volt inditani. Első az, hogy *Ferdinand* Királynak választása erőszakkal, kéntelenséggel és csoda mesterségekkel lött meg. Más az, hogy az országlásra a' minemű Conditiókat beattanak Király ő Felségének és mellyekre igérte magát, meg nem tartotta.

Az első részt csak szintén Primus prætextus Rebellionis. csupa héaba való, de gyűlölséges dolgoknak elő számlálásával állattyák: mellyeket, minek előtte rend szerint megrostállyunk, az Országnak közönséges és nyilván való Végezésiből világosan mutassuk meg, hogy sem erőszak, sem kénytelen ség, sem alattomba való csalárd ság nem történt az ő Felsége választásába. Az országbeli Rendek és

antea noluerunt, quam speciali diplomate Imperatoris Matthiæ assecurarentur, conceptis verbis hæc quæ subnectimus, Regni constitutionibus inserta iri: *Universi Status et Ordines, Serenissimum Ferdinandum, Regem Bohemiæ, Sacri Romani Imperii Electorem, Archiducem Austriæ etc. ob excellentes et heroicas, quibus pollet, animi ingenique do tes, post plures eorum tractatus, iuxta antiquam consuetudinem et libertatem eorundem semper ob servatam, paribus votis unanimi que consensu, in Dominum et Regem ipsorum rite elegerunt, proclamarunt, invocatoque demum Numinis divini auxilio, feliciter etiam coronaverunt.* Quæ ipsissima verba in ipso capite Constitutionum anni 1618. collocata et Regis ac Regni totius approbatione firmata fuere. Et audet aliquis tam claram, tamque patentem Regni totius constitutionem mendacii arguere? ac neque paribus votis, neque unanimi consensu, electum Regem Ferdinandum blaterare?

Sed videamus tamen, quibus non quidem Argumentis, sed in anibus suspicionibus invitam ac coactam fuisse Electionem Suæ Maiestatis contendant Scribarum examina.

Statusok nem akarták előbb az ő Felsége választásához kezdeni, mig nem kiváltképpen való kötés levéllel Mátyás Császár reá fel lelné, hogy ezen igék az Ország nak végezésiben beirattatnak: Minden Statusok és Rendek a' Felséges Ferdinandot, Cseh országnak Királyát, a' Római Szent Imperiomnak Electorát, Austriának Herczegét etc. a' jelles és úri ajándékokért, mellyekkel szívében és elméjében felékesítetett, sok traktálások és végezések után, a' régi szokás és mindenkor megtartatott szabadságok szerint, egyenlő kivánsággal és akarattal magoknak Királyokká és Urokká igazán választották, kikiáltották és vég tére segétségül hiván az Isten, szerencséssen megis koronázták. Melly igék az 1618. esztendőbeli végezésekben legelől helyheztettenek és mind a' Királynak, s mind az Országnak jávallásával megerősítettenek. És mindenazon által merészli valaki az Országnak illyen nyilván-való és világos végezését meghazutolni és azt fecsegnyi, hogy nem egyenlő kivánsággal és akarattal választatott Ferdinand Király?

De lássuk mégis micsoda, nem mondomb bizonyításokkal, hanem heába való gyanakodásokkal vitattyá az Irodeákoknak raja, hogy az ő Felsége választása kedvetlenül és kéntelenül lött.

Principio exaggerant, quanta diligentia Dominus Archiepiscopus Strigoniensis electionem Regis Ferdinandi promoverit, non solum, quod vulgato scripto, splendorem virtutum, potentiam, nataliumque Serenissimi Regis Ferdinandi, adusque S. Stephanum Regem deductam originem commonstrarit; verum etiam, quod emensis maximis itineribus ex Comitatu uno in alium discurrerit, eoque rem deduxerit, ut Electionem Ferdinandæam nonnullis persuaderet. Verum, ut existimo, nullam hac in re culpam Dominus Archiepiscopus agnoscit, nec ipsum positi laboris, ac diligentiae unquam pœnituit; nihil subdole, nihil clancularie egit. Scriptum propalam Comitatibus direxit; publice ipsem in Comitatibus disseruit. Si male locutus est, testimonium perhibete de malo; si bene, cur tricamini? Quasi vero liberum non fuerit Archiepiscopo, quod cuique Nobili concessum est, ut Comitatus in quibus ius suffragii habet, vel per literas, vel voce viva conveniret, sententiam suam de re proposita aperiret, quod optimum ac Regno utilissimum arbitrabatur, aliis quoque persuaderet. Nihil igitur deliquit Archiepiscopus iure suo utens: Illi potius legum ac libertatum patriæ violatores censendi sunt, qui in crimine ponunt, quod con-

Elsőben azt forrallyák: minemű nagy szorgalmatossággal segítette az Esztergomi Érsek Ferdinánd Kyrály választását nem csak azzal, hogy ki adott irással megmutatta az ő jóságos cselekedetinek fényességet és hatalmasságát és a' Felséges Ferdinand Kyrály nemzetiségenek eredetit szintén Sz. István Kyrályig felvitte, hanem azon föllyül nagy útakon eggy Vármegyéből másba futosott és a' dolgot addig vitte, hogy Ferdinand választását némellyekbe bebeszéllette. De a' mint álitom, Érsek Uram e' dologba semmi vétkét nem esmeri, sem munkáját s fáradságát soha meg nem bánta; semmit ravassággal, semmit alattomba nem cselekedett; az írást nyilván adta be a' Vármegyéknak; ő maga is nyilván szóllott a' Vármegyéken. Ha gonoszul szóllott, bizonyitsátok reá a' gonoszt; ha jól, mit patvarkodtak? Mint ha nem lött volna szabad az Érseknek, a' mit akármelly Nemesnek megengednek, hogy a' Vármegyéket, melyekben helye es vox a vagyon, vagy levele által, vagy szemtől szembe való szóllással meg talállya, az ő ítéletit nyilván megmondgya és a' mit az Országnak hasznosbnak itél, egyebekkel is hitesse. Azokáért semmit nem vétett az Érsek szabadságával igazán élvén. Sőt azokat kell hazánk törvé-

cessa omnibus libertate Archi-
episcopus usus fuerit.

Addunt: Archiepiscopum cum Clero et suis Secularibus voluisse, ut Cæsar non expectata legitima vocatione, Ferdinandum Commissarii nomine expediret Posonium; cui tamen, illico solenniter fuit per Regnicolas contradictum, testibus literis superinde authenticæ emanatis. Deum immortalem! quanta hæc est cæcatæ mentis hebetudo? Nam ut omittam falli eos posse, qui temere effutiunt, vel Archiepiscopi, vel aliorum voluntate Commissionem illam Regi Ferdinando demandatam fuisse et. non nudo Matthiæ Cæsaris nutu; illud inconfesso est neminem Regnicolarum, adventui Serenissimi Ferdinandi, tamque Commissarii contradixisse. Comitatum aliquorum Nuncii, sub ingressu suæ Maiestatis: Protestationem a Iudice Curiæ, scripto extraxerant, cuius authenticum ac Iudicis Curiæ singrapha sigilloque munitum exemplar, dum hæc scribo, pro oculis habeo hæcque ipsa verba continet: *Quod cum præfata Sacra Cæsarea Regiaque Maiestas, loco sui Serenissimum Dominum Ferdinandum, Regem Bohemiæ etc. pro Commissario in medium Statuum et Ordinum Regni expediverit: Ob*

nyinek és szabadságinak rontónak tartani, kik vétek ké teszik, a' mit mindenek engedtetett szabadság szerint cselekedett az Érsek.

Azt is hozzá adgyák, hogy az Érsek az Egyházi renddel és az ő hozzá tartozó Világi Urakkal azt akarta, hogy a' Császár nem várva a' törvény szerint való hivatalt Ferdinádot ugymint Comissariust, Posonba küldené: mellynek mind azon által az országbeliek ellene mondottanak, mellyről bizonyoság levél is költ. Élő Isten! minemű nagy tompasága ez a' megvakult elmének? Mert, hogy azt elhadgyam, hogy megcsalatkozhatnak, a' kik vakmerőképpen azt fecsegik, hogy az Érseknek avagy egyebeknek akarattyából adatott az a' Comissio Ferdinánd Királynak és nem csupán Mátyás Császárnak indulattyából. Az nyilván vagyon, hogy senki az Országbeliek közzül ellene nem mondott Ferdinánd ugymint Commissarius jövetelének. Némely Vármegyéknek követi az ő Felsége bejövetelekor protestatiót irva vettek az Ország Birájától; melly írás az Ország Birájának keze írásával és pecsétvel megerőssítetvén, midőn ezeket irom, szemem előtt vagyon, és ezen igék vadnak benne: Mivel hogy a' megnevezett Kiráyi és Császári Felség maga helyett a Felséges Ferdinádot,

hoc prætactus Nuncius, eundem Serenissimum Dominum Ferdinandum Regem, pro Commissario eiusdem Cœsareæ Maiestatis acceptat et omni, quam par est reverentia et honore, venerari, acceptare et recognoscere, tamquam suæ Maiestatis Imperatoriae Domini clementissimi, fratrem, patruelem, filium ac Commissarium (salvis constitutionibus et libertatibus Regni quibusvis permanentibus) vult humillime; Ita quidem et eatenus, ut percepta suæ Cœsareæ Maiestatis voluntate et medio eius fienda propositione, in omnibus se libertatibus, legibus, constitutionibus Regni ac Instructioni eius accommodare, et ab iis ne latum unguem discedere vult, prout idem Nuncius iam antea protestatus est, ita nunc quoque protestatur. Hic tenor est, hæc forma Protestationis, cuius Scribæ meminerunt. In qua vides, nullam contradictionem contineri; vides, summo honore ac veneratione Regnicolas acceptasse Regem Ferdinandum, tamquam Commissarium.

Queruntur Scribæ, Plenipotentiā rerum tractandarum Sere-nissimo Regi Ferdinando datam fuisse; negocia tamen omnia per Cardinalem et Molardum tractata. Sed crassa hæc est et supina re-

Chehországi Királyt etc. Commissarius gyanánt az országnak Statusi és Rendi közibe elküldötte: Azért a' megnevezett követ azon Felséges Ferdinánd Királyt, azon Császári Felségnek Commissariusa gyanánt jó néven veszi és minden illendő böcsülettel és tisztelettel böcsülleni, fogadni és esmerni akarja alázatosan, úgy mint Császár ő Felsége a' mi kegyelmes Urunk ötcsét, bátya fiát, fiát és Commissariusát (heleyén maradván az országnak végezési és szabadsági); De úgy és a szerint, hogy megérvén az ő Felsége akarattyát és ő általa kiadandó Propositiót, mindenekbe magát az Országnak szabadságihoz, törvényihez és végezésihez és az ő Instructiójához tarcsa magát, és azoktul csak egy körömnyire is el ne távozzék, a' mint ugyanazon követ immár ez előtt protestált és most is protestál. Ez a Protestatiónak módsznya és formája, a' mellyről az Iródeák emlékeznek. Mellybe látod, hogy semmi ellenmondás nincsen, látod, hogy az országbeliek nagy tisztelettel és böcsüllettel fogadták Ferdinánd Királyt ugymint Commissariust.

Panaszolkodnak az Iródeák, hogy noha a' Felséges Ferdinánd Királynak Plenipotentia, az az, tellyes hatalom adatott minden dolgokról való végezésre, mind azon által minden dolgok Car-

rum gestarum ignoratio. Ad cætera negotia Diætalia pertractanda Regi Ferdinando fuit ab Imperatore data Plenipotentia. Verum, quia Imperator præmitti cæteris tractatibus electionem Regis Ferdinandi voluerat, nec decens aut commodum fuit, ut Ferdinandus suæ electionis negocium promoveret; ea quæ electionis negocium spectabant, ad eaque requieabant, aliis tractanda Cæsar commiserat. Sed, ut iudicio ac voluntate turbati sunt Scribæ, calumniarum textores, sic omnia confuse ac inordinate permiscenda sibi existimarunt.

Subnectunt: Liberam Electionem labefactatum ivisse Cæsarianos, iis Commissariis, quibus Serenissimus Rex Ferdinandus fuit inauguratus. Nam nec in propositionibus, de novo Rege eligendo ulla Electionis mentio fuit, nec voces illæ (Mere libere) ut Articulis insererentur, permisum. Hic quoque candorem Scribarum desideramus. Res ita acta est: In ea, quæ de novi Regis electione, nomine Matthiæ Cæsar is facta est, Propositione, Cancellaria Aulica, iisdem omnino loquendi formulis, iisdem præcise usa est vocibus, quibus in simili occasione usa fuerat, cum ab Imperatore

dinal és Molard által löttenek. De ez a' lött dolgoknak igen goromba és temérdek tudatlansága. A' több gyűlésbeli dolgoknak végezésére adott a' Császár Ferdinand Királynak Plenipotentiát. De mint hogy a' Császár azt akarta, hogy egyéb dolgokról való végezések előtt lenne a' Ferdinand Király választása és nem volt illendő, sem alkalmatos, hogy Ferdinand az ő választásának dolgát segitené; azokat, mellyek a' választásnak dolgához tartoztanak, egyebekre bizta a Császár. De a' mint hogy itéletekbe és akarattyokba felzavarottanak az Iródeák, hazugságoknak szövő takácsi, azonképpen mindenket réndnélkül öszve zurnak zavarnak.

Utánna vetik: A szabad választást megszegtek a Császár pártjára valók abban a Gyűlésben, mellybe a Felséges Ferdinand Király megválasztott és megszenteltetett. Mert sem az új Király választásáról való Propositiókba nem lött semmi emlékezet a Választásról, sem amazigéket (Csupán szabadon) nem akarták, hogy az Articulusokba betegyék. Itt is kivánnuk az Iródeákknak igaz mondásokat. A dolog így lött: Abba a Propositióba, melly Mátyás Császár nevével lött az új Királynak választásáról, az Udvari Cancellaria a' szóllásnak azon mod-

Rudolpho Matthias, cum a Maximilano Rudolphus, eligendi proponebantur. Quod vero, nulla arte, sed solum imitatione prædecessorum contigerit, ut Electionis verbum in Propositione non haberetur; id vel ex eo constare potest, quod Dominis Consiliariis Ungaris Propositio hæc communicata, antequam in publicum datur, nec ab iis emendata fuerit. Præterea, quod suæ Maiestatis nomine declaratum fuit, nihil Maiestatem suam, Iuribus, libertatibus, constitutionibus Regni, præiudicatum hoc facto velle. Nec arbitrari Maiestatem suam, ita Dominos Ungaros, liberam electionem astrarere, ut nullam sanguinis Regii, nullam tot beneficiorum Domus Austriacæ, rationum habendam existiment, cum Leges Ungariæ, magnam utriusque rationem habendam decer-
nant: Anno 1485. art. 1. 2. 3. Anno 1547. art. 5. Anno 1552. art. 1. Anno 1569. art. 33. Quæ ubi Regnicolæ accepissent, aperte renunciarunt, mentem ipsorum non fuisse, ut nulla Regii sanguinis, nulla benemeritorum Inclytæ Domus Austriacæ ratio haberetur: solum veterem Liberæ Electionis usum, ac facultatem retinere velle. Quocirca, cum nec Regnicolæ novum aliquid expeterent, nec Cæsar ulla ex parte veteres Regni libertates imminutas vellet; magno omnium assensu conlusum fuit,

gyával, azon igékkel élt, mellyel hasonló alkalmatosságokban élt volt, midőn Rudolphus Császár Máttyást, midőn Maximilian Rudolphust proponálta, eleikbe adta es bemutatta a' választásra. Hogy kedig az semmi mesterséggel, hanem csak szintén az előbbélieknek követéseért történt, hogy a' választásnak igéje a' Propositiókba ne téttetnék, az abból is teczhetik, hogy a' Magyar Tanács Urakkal közölték ezt a Propositót, minek előtte nyilván kiadnák, és azuktól meg nem másoltatott. Annak fölötté, hogy ő Felsége nevével megjelentették, hogy ő Felsége semmit azzal az ország törvényi, szabadsági és végezési ellen nem akar cselekedni. És hogy nem álltia ő Felsége, hogy a' Magyar Urak úgy vitassák a' szabad választást, hogy semmi tekintet ne legyen a' Királyi vérre és az Austriai Háznak sok jo téteményére, holott a' Magyar ország törvénye azt kivánnya, hogy mind a' kettőre nagy tekintet legyen: Anno 1485. art. 1. 2. 3. Anno 1547. art. 5. Anno 1552. art. 1. Anno 1569. art. 33. Mellyeket, mikor az Ország megértett volna, nyilván megjelentette, hogy nem az volt az ő igyekezete, hogy a' Királyi vérre és a' nevezetes Austriai Háznak jótéteményére tekintet ne lenne: hanem hogy csak a' régi szabad választásnak szokását és szabad-

ut tam ex Tripart. part. I. tit. 3. quam ex Decretis Vladislai et Matthiae secundi, voces ac clausulae omnes seligerentur, quibus Libera Electio expressa aliquando fuit, eaque omnes in ipso Articulonum vestigio figerentur, ea ipsa, quam antea recensuimus, formula. Hæc ita gesta, ex Actis Diætæ Anni 1618. exscripsi; nec ullus, qui Diætæ interfuit, aliter actum dixerit. Atque ex hac nuda gestæ rei narratione constat, quam inconsiderata libertate a Scribis dictum sit, aliquid de antiquo Liberæ Electionis Iure decerpit cogitatum fuisse iis Comitiis, quibus Serenissimus Rex Ferdinandus inauguratus fuit.

Nonnullos Comitatuum Nuncios sugillant Scribæ, qui corrumpi se passi sint ac contra datam Instructionem Electioni Serenissimi Regis Ferdinandi consenserint. Verum nihil attinet hosce Nuncios longa oratione defendere. Supersunt plerique, et forte etiam Posonii sunt præ-

ságát akarja megtartani. Azokáért holott sem az ország semmi újítást nem kivánt, sem a' Császár az országnak régi szabadságit semmi okon meg nem akarta kiszebbíteni; közönséges akaratból azt végeztek, hogy mind a Tripartitumból, parte I. tit. 3. s mind László és második Mátyás Király Decretomiból minden igéket és szóllásnak formáit szedegtnének, mellyekkel valaha a Szabad Választás megmagyarázatott és azokat mind az Articulusoknak kezdetire helyheztenék azon formán, a' mellyet az előtt megmondottunk. Ezek, hogy így löttenek, az 1618. esztendőbeli Gyűléseink historiából irtam ki, és senki, a' ki jelen volt a' Gyűlésben, nem mondgya, hogy különbén történt. És ebből a' dolognak nyilván való megbeszéléséből kiteczik, mely maga gondolatlan szabadsággal mondottak az Iródeákok, hogy a régi szabad Választásnak törvényéből valamit el akartanak csipni abban a' Gyűlésben, mellyben a Felséges Ferdinand Király felszenteltetett.

Némelly Vármegyék követi ellen zúgolódnak az Iródeákok, hogy meghatták magokat csalni és a' nekiek adatott Instructio ellen a' Felséges Ferdinand Király választását javallották. De nem szükség ezeket a Követeket sok beszéddel menteni: sokan azok közzül megvagynak és talán

sententiam; tam his facile est dicere, mentiri Scribas ista comminiscentes, quam facile fuit effutire inconsultam calumniam.

Rixas etiam, imo et cædes, Germanos inter et Ungaros Comitiorum tempore factas, commemorant. Quasi vel novum, vel aliis Comitiis insolens fuerit cædes eiusmodi perpetrari.

Concedamus etiam, minas a' quibusdam iactatas, contra eos, qui Républicam perturbare ac rebus infectis abscedere tentarent. Certe diffiteri non possunt, multo graviora atrocioraque a Lutheranis minarum plastra in Catholicos coniecta: Sed nemo sapiens iudicaverit, privata nonnullorum inter se iurgia, publicæ tranquilitatis perturbandæ, iustum causam esse.

At enim Primatis Regni Hungariae publica vox fuit, præstare, ut totum Regnum feræ inhabitent, quam ut Hæreticorum in eo feratur permansio. Interrogatus Dominus Archiepiscopus Strigoniensis Primas Hungariae, an hæc fuerit publica vox ipsius? Sancte affirmat, nunquam sibi nec in os, nec in mentem istud venisse. Huiusque rei testes adhibet omnes, qui Comitiis præ-

mostan jelen is vadnak Posomban; olly könnyen mondhatták ezek, hogy hazudnak az Iródeákok, mikor efféléket költnek, a' melly könnyű volt balgatagúl patvarkodni.

A Németek és Magyarok között-való vetekedéset, sőt emberöléseket is előhozzák, mellyek a Gyűléskor löttenek: mintha újak a' vagy szokatlanok löttenek vóna egyébhai Gyűlésekben afféle emberhalálok.

Azt is engedgyük meg, hogy nemellyek megfenyegették azokat, kik az Országot fel akarták háboritani és félbehagyván a dologt, el akartak menni. Bizony, nem tagadhatták, hogy sokkal nehezebb és iszonyúbb fenyegetéseket töttenek a' Lutheránusok a Katholikusok ellen: de semmi eszes ember azt nem itéli, hogy nemellyeknek magok-között-való bántolódások méltó okai legyenek a közönséges csendességnek felháborítására.

De a' Magyarországi Primásnak nyilván-való szava volt, hogy jobb, hogy az egész Magyarországot vadak lakják, hogy sem mint az Eretnekeknek benne-való maradást engedjenek. Megkérdetvén Esztergami Érsek Uram, Magyar-országnak Primássa, ha mondotta-é ezt nyilván? Esküszik, hogy soha az, se szájába, se elméjébe nem jött. És bizonyágúl vészi mindazokat, kik a'

sentes interfuerunt. Aliud quipiam, longe diversum, saepius a se publice dictum non diffitetur. Cum enim in eo puncto versarentur: An Rustici contra voluntatem Dominorum terrestrium, Templa occupare ac pro libitu alienæ religionis professioni applicare possent? Identidem Dominus Archiepiscopus repetit: malle se, ut subditi ipsius, desolatum pagum relinquant, quam ut contra Iura Patronatus sui, Rustici tempa sibi vendicent. Licet enim, posteaquam publicis legibus Professionum diversitas tolerata fuit, nemini subditorum suorum causa Religionis molestiam intulerit: Templa tamen Rusticis occupanda permittere nullo modo voluit. Viri graves, qui Comitiis interfuere, recognoscunt, nihil aliud a Domino Archiepiscopo dictum. Sed Scribæ, calumniarum consarcinatores, ut odiose traducant, non ut solida veritate nitantur, elaborant.

Non absimilis calumnia alibi in eundem Dominum Archiepiscopum iactatur. Quod is apud Regnicolas promoverit, ut decem et septem conditiones Ferdinando Regi exhiberentur. Quicumque,

Gyűlésben jelen vóltanak. Nem tagadgya, hogy más, de igen különbet gyakorta nyilván mondott. Mert midőn abban a czikkelyben forganának: Ha a Parasztok az ő Földes Uroknak akarattyok-ellen az Templomokat elfoglalhattya-ké és magok akaratty-a-szerint más hitű vallásnak adhattya-ké? Gyakorta mondotta azt Érsek Uram, hogy inkább akarja, hogy az ő Jobbágyi pusztán hadgyák az falut, hogy sem mint az ő Templomon-való igasága-ellen az Parasztok a Templomokat magoknak foglallyák. Mert noha, minekutánna közönséges végezésből az Vallásoknak külömbözése elszenvedtetett senkit jobbágyi közzül az hit dolgáért nem háborgatott; mindenkorál semmiképpen nem akarta engedni, hogy az Parasztok a' Templomokat elfoglallyák. Fő emberek megvallyák, kik az Gyűlésben vóltanak, hogy semmit egyebet Érsek Uram nem mondott. De az Iródeákok, az hazugságnak kohlói, nem munakodnak abban, hogy valóságos igazsághoz támaszkodjanak, hanem hogy egyebeket gyűlölségesen gyalázzanak.

Hasonló hazugságot kottyanak másutt is azon Érsek Uram ellen, hogy ő az Ország előtt azt vitatta, hogy Tizenhét Conditiót adnának Ferdinánd Királynak. Valakik jelen voltak az Gyűlés-

Diætæ præsentes interfuerunt, meminisse possunt, Archiepiscopum diu multumque omni conatu restitisse, ne conditiones aliæ Regiæ Maiestati propone-rentur, quam quæ antea Regibus proponi solebant, quæque in ipsa Regii Iuramenti formula distincte continentur, ut nimirum iura libertatesque priscas Regni tueatur. Sed cum non posse se resistere animadverteret, in eo laboravit, ut ad æquitatem, quam posset, maxime, Conditiones infleteret.

Sed mutilatis, inquiunt, neque satis integris votis Electio Regis est peracta: Palatinus siquidem creatus ante non fuit, cui primam in Electione Regis vocem edere incumbebat. Verum id quoque inane est prorsus, atque evanidum. Nam non diffiteor legibus Ungariæ sancitum: *Quod si quando Regium semen deficere contigerit et de Electione novi Regis tractetur, in ipsa Electione Palatinus, ex officii dignitate, primam vocem semper habeat.* Verum enim vero, in eo casu (Deo gratiæ) non fuimus, de quo lex agit. Neque enim Regii seminis defectus apud nos fuit, cum Sere-nissimus Rex Ferdinandus II. per lineam rectam, a' Ferdinando I. avo paterno, descendat. Quid? quod nostra ac parentum memoria complures factæ sunt Regum in-

ben, reáemlékezhetnek, hogy az Érsek sokkáig erősen minden igyekezetivel elleneállott, hogy más Conditiókat Király ő Fel-sége-eleibe ne adnának azokenkívül, az mellyeket azelőtt szoktanak az Királynak adni és az mellyek nyilván bevadnak fogalva az Királyi esküvésének formájába; tudni illik, hogy az Országnak régi törvényit és szabadságit megtartya. De midőn eszébe völle volna, hogy ellene nem állhat, azon törekedett, hogy mentől jobban lehetne az Con-ditiókat megigazítaná.

De, azt mondgyák, hogy csonka és nem szintén tellyes vótumokkal lött az Király választása: mert az Nádor-Ispán előbb nem választatott, kinek elő voxának kellett volna lenni az Király választásában. De ez is tellyességgel semmirekellő és erőtlen fogás. Mert nem tagadom, hogy Magyarország törvénye-szerint elvagyón végezve: Hogy ha valaha a Királyi mag történet-szerint elfogyna és az új Királynak választásáról végeznének, az Választásban az Nádor-Ispánnak tisztnék méltósága-szerint mindenkor első voxá legyen. De (hála az Istennek) nem vóltunk abban az állapotban, melyről a' végezés szóll; mert nem vólt minálunk az Királyi maghak fogyatkozása, holott az Fölséges Második Ferdinánd Király igyenes lineán az

- augurationes, absque interventu Palatini: quas tamen nemo sapiens, vel mancas, vel imperfectas fuisse dixerit. Nam, ut taceam ab obitu Thomæ Nádasdi, qui Anno 1562. die 2. Iunii, fatto suo concessit, Palatinum nullum fuisse in Ungaria usque ad annum 1608., quo Illyesházi electus fuit: Interea tamen Anno 1563. die 8. Septembris *Maximilianus*; Anno 1572. die 25. Septembris *Rudolphus*, absque ullius Palatini interventu, Reges Ungariæ furerunt inaugurati. Nuper etiam Matthias Secundus, felicis memoriæ, absque Palatino electus fuit: peracta siquidem Regia electione, Palatinus postmodum fuit nominatus.
- Decreto
fol. 568.
- Decreto
fol. 620.
- Decreto
fol. 699.

Denique odiosissimis verborum aculeis exasperata dictione addunt, clerum et seculares, sub signis Pazmanianis merentes, Articulum Viennensem, de Libertate Religionis, fortiter oppugnasse.

Első Ferdinándtól, attyáról való ősítől származott. De mit mondgyak? Mi magunk és Atyáink nem emlékezünk-é reá, hogy egy néhány Királyoknak felszentelések történt Nádor-Ispán nélkül: mellyeket mindenkorral semmi okos ember csonkáknak, avagy fogyatkozással - valóknak nem mondhat. Mert hogy elhallgasam, hogy Nádasdi Tamás halála után, ki Ezer ötszáz hatvan-kettődik esztendőben, Sz. Iván havának Második napján holt meg, csak egy Nádor-Ispán sem volt Magyarországon, mint Ezer hatszáz nyolcadik esztendeig, mellyben Illyesházi választatott. Mindazonáltal azonközbe Ezer ötszáz hatvan-harmadik esztendőben, Sz. Mihály havának Nyolcadik napján, Maximilian; Ezer ötszáz hetvenkettődik esztendőben, Sz. Mihály havának Huszonötödik napján, Rudolphus Magyarországi Királyá szenteltetének Nádor-Ispánnak segítsége-nélkül. Minap is, a bóldog emlékezetű Második Mátyás Király, Nádor-Ispán-nélkül választatott: Mert meglévén az Királynak választása, azután neveztetett az Nádor-Ispán.

Végezetre gyűlölséges mardosó beszéddel azt adgyák hozzá, hogy az Egyházi rend és Pázmány zászlója-alatt vitézkedő világi urak a vallásnak szabadságáról való Béchi Articulust erősen ostromlották.

Cæterum, hic quoque res longe aliter se habet. Nam tametsi Clerus ab initio concessæ huic Libertati, palam ac aperte reclamarit et contradixerit: cum tamen intelligeret, sapientis non esse frustra nitendo odia colligere, Articulum illum Viennensem sibi oppugnandum non sumpsit, sed novis tantum Adversariorum conatibus, sese pro viribus ex debito conscientiæ, opposuit.

Quod ut clarius intelligatur, causæque Catholicorum æquitas omnibus innotescat, age rem ipsam ab origine retexamus.

Anno 1606. concessa fuit in Viennensi Pacificatione libertas Religionum Magnatibus, Nobilibus, Liberis Civitatibus, Confinariis militibus Hungaris, Oppidis privilegiatis, immediate ad Coronam spectantibus: Nulla tunc Plebi Rusticæ, nulla Oppidis a Villis Dominorum libertas data.

Postmodum Anno 1608. tempore coronationis Matthiæ Secundi, extensa hæc libertas fuit ad Pagos et oppida, adeoque ad Plebeios etiam ac Rusticos Dominorum. In his vero omnibus concessionibus, ita Libertas permissa fuit, ut nulla Templorum

De itt is sokkal külömben vagyon a dolog: Mert noha az Egyházi rend eleitől-fogva ennek az szabadság engedelmények nyilván ellenemondott és nem javallotta, mindenkorál midőn eszébe venné, hogy nem okos emberhez illendő heába-való ellenkedéssel csak gyűlölséget keresni, azt az Béchi Articulust nem igyekezte ostromlani, hanem az ellenkezők új igyekezetinek ereje és lelki esméreti-szerint ellene-állott.

Mellyet, hogy nyilvábban megértsünk és az Katholikusok igyének igazsága kitessék, az dolgot eredetitől-fogva hánnyuk meg.

1606. Esztendőben az Béchi megbékélésben az Vallásokban-való Szabadság megengedtetett az Uraknak, Nemeseknek és Szabad Városoknak, az Végekbéli Magyar vitézeknek és az Privegiomos a vagy Szabados Mező-városoknak, mellyek közbe-vetés-nélkül az Koronához tartoznak; akkor semmi Szabadság nem adatott az Parasztságnak, sem az Urak Mező-városinak és Faluinak.

Azután Ezer hatszáz nyolczadik Esztendőben az Második Mátyás Király koronázattyakor, ez az Szabadság kiterjesztetted a' Falukra is és az Mező-városokra, és ahoz-képest az Urak Jobbágyira és Parasztira. Mindezekbe kedig az engedésekbe úgy

mentio haberetur; ac proinde Ius in Templa eo in statu relictum fuit, in quo ante has concessiones fuerat. Primum in Comitiis Anni 1618. urgere cæperunt Adversarii, ut peculiari lege in ipsa quoque Templa ius Subditis permetteretur; ita quidem, ut licet Dominus Catholicus, imo etiam Ecclesiasticus foret, si tamen Subditis ita adlubesceret, Templa Catholicorum Domino eripere ac eorum usum (introducto Prædicante) pro se vendicare possent. Hoc vero suum intentum, duplificatione admittendum suadebant.

Primo: Quia liberum Religio-
nis exercitium haberi sine Temp-
lis non potest. Cum igitur Ru-
sticis exercitii libertas permissa
sit: consequens est, ut Templa
quoque ipsis permissa intelli-
gantur.

Secundo: Nam etsi Viennensi
Pacificatione aliisque Constituti-
onibus Templorum mentio non
habeatur: tamen in quodam Archi-
ducis Matthiæ (postea Imperatoris
ac Regis) Diplomate, Anno 1606.
die 27. Septembris Viennæ dato,
Templorum quoque fit mentio.
Siquidem eo Diplomate explicat

engedtetett az Szabadság, hogy az Templomokról semmi emlékezet nem volt. Azokáért az Templomokhoz való igazság abba az állapotba maradott, az mellyben ezek az engedések-előtt volt. Legelsőben az Ezer hatszáz tizenyölczadik Esztendőbeli Gyűlésben kezdették vittatni az Ellenkező párra valók, hogy kiváltképpen való végezéssel az Templomokra is Jobbágyoknak szabadság engedtetnék, elannyira, hogy noha az Urok Katholikus, sőt még ha Egyházi ember lenne is, minden-azon-által ha az Jobbágyoknak úgy tetteknek, az Templomokat az Katholikus urtól elvehetnék és azzal-való élést (Prædikátort bélivén) magok számára foglalhatnák. Ezt kedig az ő igyekezeteit, Két okoskodással akarták el-hitetni.

Elsőben: Mert az Vallásoknak szabadsága az Templomok-nélkül nem lehet. Azokáért, holott az Parasztoknak megengedtetett az Szabadság, következik, hogy azon az Templomoknak megengedését is értsük.

Másodszor: Mert noha az Béchi békéllésben és egyéb végezésekben az Templomokról-való emlékezet nincsen, minden-azon-által Mátyás Herczegnek (ki az-után Király és Császár volt) nemelly levelébe, melly Béchben, Ezer hatszáz hatodik esztendőben, Sz. Mihály havának huszon-hetedik

sua Serenitas, postremam illam I. Articuli Viennensis clausulam, qua cavitur, ut absque præiudicio Catholicæ Romanæ Religionis intelligatur concessa esse Libertas Religionum. Declarat itaque illud, *non mala fide adiectum esse; sed ut utraque pars in eorum Religione, confessione, usu, exercitio et Templis non turbentur.*

Cæterum Catholici nullo negotio ad ista respondebant. In primis enim, si ad Liberum exercitium Religionis Templa forent necessaria, cur Leutsoviae, Eperjesini, Bartfæ, Cremnitii, aliisque compluribus locis, ubi Catholici haud contemnendo numero inveniuntur, nulla Templa Catholicis permittuntur? Accedit, quo Dominis Terrestribus eripi volunt Templa Adversarii, eaque Rusticis permitti et nihilominus liberæ Religionis usum Dominis Terrestribus adimere se velle haud dicent. Quidni igitur et Rusticis suæ Religionis libertas, etiam sine Templis, constare possit?

Ad Diploma illud Viennensis Articuli expicatoriumque quod attinet; Catholici vivo adhuc, ac valente Imperatore Matthia, absque

napján adatott, az Templomokról is vagyon emlékezet; mivelhogy abba az Levélbe megmagyarázza ő Fölsége, hogy az Első Béchi Articulusnak végső czikkelyét, mellyben az kivántatik, hogy az Római közönséges hitnek káranélkül értessék a' Vallásoknak szabadsága. Magyarázza azokáért, hogy az nem csalárdsággal adatott hozzá, hanem hogy mind az két fél az ő hitekben, vallásokban, szokásokban és Tempalomokban ne háborgattassék.

Az Katholikusok kedig ezekre igen könnyen megfeleltenek. Mert Elsőben: ha a Vallásoknak szabadságára szükségesek volnának az Templomok, miért Lőchén, Eperjesen, Bártfán, Körmöczön és sok egyébb helyeken, melyekben nem megvethető számú Katholikusok találtatnak, semmi Templomok az Katholikusoknak nem engedtetnek? Továbbá: ha az Földes Uraktól el akarják venni az Templomokat az ellenkezők és azokat az Parasztoknak akarják engedni, és minden-azonáltal nem mondgyák, hogy azzal az Földes Urakat meg akarják fosztani az Vallásban-való szabadságtól; miért nem maradhat meg az Parasztok Vallásának is szabadsága az Templomok nélkül?

A mi illeti a' Béchi Articulusnak magyarázó Levelét, az Katholikusok még az Császár éltében és egésséges korában,

ulla Suæ Maiestatis læsione, palam professi sunt, illo se Diplomate non teneri, eo quod Legibus Regni sancitum sit, Diplomata ac Privilegia, ab eo, qui Regio diademate insignitus non fuerit, profecta, Vim ac vigorem habere haud posse. Certe si Archiducis conclusio rata per se ac stabilis esse potuisset, absque Coronati Regis calculo; nihil attinebat Viennensis Pacificationis confirmationem ab Imperatore ac Rege Rudolpho, felicis memoriae expetere: Quanto ergo magis secreti illius Diplomatici, ab Archiduce solo, postquam Plenipotentia sua perfunctus iam fuerat, dati confirmatio a Rege petenda fuerat, si robur habere debebat. Sed, etsi concedatur, Diploma illud validum esse, certe Catholicis patrocinatur: Nam Diplomate illo explicatur Viennensis Art. I. ac proinde iis tantum deservit, quibus Viennensis ille Articulus. Clarum est porro, ex verborum apto contextu, Primum illum Articulum Viennensem Statibus et Ordinibus, Magnatibus, Nobilibus, Liberis Civitatibus, Præsidiariis Militibus, Oppidis Coronæ duntaxat deservire, non autem Rusticis, quorum nulla eo Articulo mentio habetur. Quocirca iuxta Diploma prædictum, non Rusticis, sed Dominis ipsorum usus Templi committitur. Et licet (ut diximus) Libertas

ő Felsége sértése-nélkül nyilván megvallották, hogy arra az Levére nem kötelesek, azért, hogy az Ország Törvényibe végezés vagyon, hogy azoknak az Leveleknek és Privilégiomoknak, melyek nem Koronás Királytól származnak, erejek és foganatosságok ne légyen. Bizonyára, ha az Herczeg végezése, ő-magába erős és foganatos lehetett vóna az Koronás Királynak javallása nélkül; nem szükség lött vóna az Béchi Békéltetésnek megerősítését, az bóldog emlékezetű Rudolphus Király és Császártól kivánni. Mennyivel inkább tehát annak az titkon-való Levélnak, mely csak az Herczegtől engedtetett, minek utánna Plenipotentiajának vége volt, megerősséítését az Királytól kellett vóna kérni, ha erejének kellett vóna lenni. De bátor ugyan megengedgyük is, hogy az a' Levél foganatos, bizony a' Katholikusokat óltalmazza: Mert azzal az Levéllel az Béchi első Articulus magyaráztatik-meg, és azokáért csak azoknak használ, az kiknek az a' Béchi Articulus szolgál. De nyilván vagyon minden igéknél rendiből, hogy ez a' Béchi Első Articulus csak a' Statusoknak és Rendeknek, a' Nagyságos és Nemes Uraknak, Szabad Várasoknak, Végházbéli vitézeknek és az Koronához tartozó Mezővárosoknak szolgál s nem a'

Religionis ad Rusticos quoque extensa fuerit, in Articulis Anni 1608 : De Templis tamen, arbitrio Rusticorum permittendis, nec tunc, nec ullo unquam tempore, quicquam constitutum fuit.

Rationes porro quam plurimas adferebant Catholici, ob quas nec possent, nec deberent, Libram de Templis suis disponendi facultatem Rusticis permittere. Nam in primis, cum libertas Religionis non solis Rusticis concessa sit, sed et Dominis; vigore huius concessionis non possunt Rustici potiori ratione prætendere Tempa, quam Domini; quin potius cum omnis ratio postulet, ut caeteris paribus Dominus præferatur Subdito: ex vi Constitutionum liberum usum Religionis permittentium, potius Dominus terrestris debet usum Templorum pro se ac suæ Religionis exercitio habere, quam Subditi. Deinde iure Hungarico Rustici in terris, quas incolunt, præter laborum mercedem nihil Iuris habent, sed totius terræ, quam incolunt, proprietas ad Dominum pertinet.

Tripart. parte 3. tit. 30.

Parasztoknak, kikről abban az Articulusban semmi emlékezet nincsen. Azokáért az megnevezett Levél-szerint nem az Parasztoknak, hanem azok Urainak engedtetik a' Templomokkal-való élés. És noha (a' mint megmondók) az Vallásban-való Szabadság az Parasztokra is kiterjesztetted az Ezer hat száz nyolczádik Esztepdőbeli Articulusok szerint; mindenazonáltal arról, hogy az Templomokat a' Parasztoknak engedgyék, sem akkor, sem más üdőbe, soha végezés nem lött.

A Katholikusok kedig sok okait adták, mellyekért nem kellettnek engedni és nem is engedhetnék az Parasztoknak akaratnyára az Templomokról-való rendelést. Mert elsőben, holott az Vallásnak szabadsága nem csak az Parasztoknak engedtetett, hanem az Uranknak is; ennek az engedésnek erejével ninchen több igazságok az Parasztoknak az Templomokhoz, mint az Uranknak. Sőt minthogy minden okosság azt kévánnya, hogy egyébiránt hasonló állapotban lévén, az Ur megelőzze az jobbágyot: következik, hogy az végezéseknek erejéből, mellyek az Vallásban-való Szabadságot engedik, inkább kellessék az Földes Urnak magáért és az ő vallásáért az Templomot elfoglalni, hogy sem mint az Jobbágyoknak. Továbbá az Magyari Tör-

Si igitur nec fundus, in quo ædem fixit, est Rustici, quæ ratio suadet, ut contra voluntatem Domini Templorum usum ac proprietatem ipse habeat? Ad hæc Domini tamquam Patroni Ecclesiarum nec possunt, nec debent cogi, ut Iuri patronatus renuntient, illudque in suos transferant Rusticos: quod sane fieret, si ad ad nutum Rusticorum contra primævam fundationem, ac contra voluntatem Domini Terrestris, Ecclesiæ conferrentur. In eo siquidem vis et substantia Iuris patronatus consistit, ut Patroni iuxta primævam Temporum fundationem iis, quibus volunt, Ecclesiasticis personis, Beneficium ac Templum administrandum conferant. Denique si cætera omnia deessent, illud ad æquitatem causæ Catholicorum sufficeret, quod in omnibus superiorum Annorum tractatibus, nunquam Rusticis potestas in Templa nostra concessa fuit; quod ex oculari Statutorum inspectione et ex facto Adversariorum liquido constat. Si quid enim hac de re statutum est, cur contenti non sunt, ut vetera Statuta maneant, sed novum de recenti hoc postulato, scribi volunt Articulum? Quod cum ita sit, Iure suo usi sunt hucusque Catholici in bonis propriis, Templa iis, quibus libitum fuit, conferendo: Iure suo et nunc utuntur, cum eripi sibi et

vény-szerint az Parasztoknak ninchen semmihez igazságok az földön, az mellyet mivelnek, hanem csak az munkájoknak juttalmához; hanem az egész földnek, az mellyet mivelnek, tulajdonsága az Urhoz tartozik. Ha azért még az föld is, az mellyen házat chinált, nem az Paraszté; micsoda ok hiteti azt el, hogy az Urának akarattyá ellen az Templomoknak tulajdonsága és vélle-való élése övé légyen? Annak-fölötté nem méltó s nemis lehet, hogy az Földes Urak úgymint az Egyházaknak Megyés Urai megfosztassanak az Templomokon-való igazságuktól és azt az Parasztoknak engedgyék: az mint meglenze, ha az Parasztoknak akarattyok-szerint, az Templomok, az régi fundálások és Uroknak akarattyok-nélkül nékiek adatnának. Mert abban áll az Szentegyházakon-való igazságnak ereje és állapattya, hogy az Megyés Urak az Templomoknak régi fundálások-szerint azoknak az Egyházi személyeknek, az kiknek akarják, adgyák a Beneficiumot és az Templomba-való szolgálatot. Végezetre, ha semmi egyéb nem volna is, az elég volna az Katholikusok igényeknek igazságára, hogy ez elmúlt Esztendőnek végezésiben, soha az Parasztoknak az mi Templomunkra-való szabadság nem engedtetett; melly nyilván kitetczik

in Rusticos transcribi nolunt, tot seculis continuatam Iuris patro-natus possessionem. Ac proinde per summam iniuriam petitur ab Adversariis, ut hisce suis Iuri-bus Catholici inviti spolientur.

Hæc summa capita sunt Controversiæ, quæ postremis hisce duobus Comitiis de negotio Religionis intercessit. Ex quo apparet, subdole ac fraudulenter a Scribis dici, oppugnatum fuisse per Catholicos Articulum Primum Viennensis pacificationis: Nulla enim de eo Articulo disceptatio fuit, sed novæ ac multis nomi-nibus iniquæ postulationi Adver-sariorum de Templis recens exci-tatæ, sese ut debebant, constanter opposuerunt Catholici.

minden Végezéseknek szemes fel-keresésből és az ellenkezőknek cselekedetekből. Mert ha valami Végezés lött ez dolog felől, miért nem engedik meg azzal, hogy az régi Végezések helybe marad-gyanak, hanem ez mostani ki-vánságokkal azt akarják, hogy új Articulust irjanak? Azokáért, mivelhogy ezek így vannak, eddig az Kathólikusok az ő igazságokkal és szabadságokkal éltenek az ő jóságokban, az Templomokat azoknak adván, az kiknek akarták: most is igazságokkal élnek, midőn nem engedik, hogy tőllök elvonnyák és az Parasztoknak adgyák az Megyességről-való szabadságot, mellyet ennyi esz-tendőtől-fogva birtanak. Azoká-ért nagy- boszszúságos hamis-sággal kérík az Ellenkezők, hogy az Katholikusok illyetén igazsá-guktól megfosztassanak.

Ezek fő eredeti az Ellenkezés-nek, melly ez két utolsó Gyűlésben az Vallás dolgából támadt. Mellyből kitetczik, hogy álnokúl és hamisan mondgyák az Ir-deákok, hogy az Kathólikusok ostromlották az Béchi Békellés-béli Első Articulust: Mert semmi vetekedés arról az Articulusról nem volt, hanem az Ellenkezők új és sokképpen hamis kévánságának, melly az Templomokról újonnan támadt, az mint ké-vántatott, álhatatossal ellene-állottanak az Katholikusok.

Et hæc sunt (scilicet) solida illa ac firma Indicia, quibus Scribarum audacissimi, primum suæ Rebellionis prætextum adstruunt. Deum Immortalem ! quæ hæc est ratiocinatio ? Archiepiscopus multa satagendo persuasit non-nullis Electionem Regis Ferdinandi ; Rex Ferdinandus tamquam Cæsareæ Maiestatis Commissarius Posonium venit ; De Electionis Regiæ iure, de Templis Catholiconorum Dominorum propriis, varie disputatum ; Præcessit Regia Elec-tio Palatinalem ; Privatae rixæ et homicidia inter Germanos et Ungaros acciderunt ; quidam mutuo minas iactarunt : Ergo Rex Ferdinandus coacte ab invitatis Electus fuit.

En ut perdita fidelitate Regi debita, etiam iudicium perdant homines. Eligite, quid vultis. Vel Status et Ordines Universi contra mentem locuti sunt, cum publicis Regni Decretis inseri curarent, *Unanimi consensu, paribus votis* Electum esse Ferdinandum in Regem ac Dominum ; vel Scribas falli et fallere contrarium asse-rendo. Evidem, si nuda asse-veratio invitæ Electionis sufficit ad velandam Rebellionem ; nemo erit, cui non semper promptum sit Rebizzare. Certe antequam seditiosi hi motus in Ungaria concitarentur, nemo fuit, qui co-

És ezek (hogy már) amaz erős és valóságos Jenlenségek, mellyekkel az vakmerő Iródeákok az ő Pártolásoknak Első fogását állattyák és bizonyíttyák. Élő Isten ! micsoda okoskodás ez ? Az Érsek sokat szorgalmatos-kodván, elhitette némellyekkel az Ferdinand Király választását ; Ferdinand Király, úgymint Császár ő Felsége Commissariussa Posonban jött. Az Király választásának törvényéről, az Kathólikus Uraknak Templomiról sok-keppen vetekedtenek. Megelőzte az Király választása az Palatinusét. Magán-való viszálkodások és ember-halálok történtek az Németek és Magyarok között. Némellyek egymást fenyegették : Tehát Ferdinand Király erőszakkal az kétélenektől választatott.

Ime, miképpen elvesztvén az emberek az hívséget, mellyel az Királynak tartoznak, az értelme-keket is elvesztik. Válasszatok az mit akartok : A' vagy az Statusok és Rendek minnyájan hazudtanak, midőn az Országnak kö-zönséges Decretomiban iratták, hogy Egyenlő akarattal és kéván-sággal választották Ferdinandot Királyokká és Urokká, avagy az Iródeákok megbotlanak és hazudnak ellene-mondván. Bizonyára, ha az kétélen Választásnak csú-pán csak mondása elegendő az Pártolásnak befedezésére ; senki nem leszen, a ki könnyen pártot

actam fuisse Regis Ferdinandi Electionem somniaret. Quin potius Universi Status et Ordines pro vero ac legitimo Rege Maiestatem Suam agnoverunt. Diætam per Maiestatem Suam intimari petierunt. Diætales Articulos Suæ Maiestatis confirmandos transmiserunt. Ad celebratiōnem Diætæ Plenipotentiam pro Palatino a sua Maiestate petierunt; honestissimis legationibus innumerisque publicis ac privatis actibus pro vero ac legitimo Rege suam Maiestatem palam professi sunt.

*

Ad Alterum Rebellionis huius prætextum veniamus :

Accusatur Serenissimus Rex Ferdinandus, quod verbum suum Regium nihili æstimarit, Conditionesque (quarum observatiōnem, dato Diplomate receperat) minime observari. Gravis accusatio et vel a privatis personis graviter vindicari solita iniuria; quæ tamen in Regibus tanto gravior censenda est, quanto illos dictorum conventorumque constantia magis decet. Possum uno calami ductu, totius huius calumniæ asperginem obducere et uno velut ictu confertam accusatiōnum struem evertere. Nam in

ne üthessen. Bizony minek-előtte Magyarországban ezek az pártoló támadások nem indultanak, senki nem vólt, az ki azzal álmodoznék, hogy Ferdinánd Király választása kételenségből lött. Sőt minden Statusok és Rendek, igaz és törvény szerint-való Királyoknak vallották ő Fölségét. Kérték, hogy ő Fölsége az jövendő Gyűlést ki-hirdettesse. Az Gyűlésbeli Articulusokat az ő Fölsége megerőssítésére küldötték. A Gyűlésnek szolgáltatására az Nádor-Ispánnak Plenipotentiát kértenek ő Fölségétől. Böcsülletes követségekkel és számtalan közönséges és magán-való dolgokkal igaz és törvény szerint-való Királyoknak nyilván vallották.

*

Az Pártolásnak második fogásához járúllyunk :

Azzal vágolyák az Felséges Ferdinánd Királyt, hogy az ő Királyi fogadását semmire böcsüllötte és a Conditiókat (mellyeknek megtartására Levele-által kötelezte magát) semmibe meg nem tartotta vóna. Súlyos vágolás és oly boszszúság, melyért még az magán-való személyek is keményen boszszút szoktanak állani; mellyet az Királyokban annyival nagyobbnak kell tartani, mennyivel inkább illik ő-hozzájok az beszédekben és alkuvásokban való álhatalosság. Eggy penna-vonyással mind eltörölhetném ezt

Secundus
Prætextus
Rebellionis.

Generali totius Regni Diæta, Anno 1619. die 13. Augusti conclusa, communis est illa vox Statuum et Ordinum universorum publicis Regni Constitutionibus inserta: *Sacræ Regie Maiestati Domino et Regi ipsorum clementissimo, Status et Ordines Ungariæ, immortales humillime agunt gratias: quippe cum videant Suæ Sacræ Maiestatis erga eosdem fideles Status et Ordines eam esse benignitatem, ut sua Maiestas nihil omnino èorum, quæ vel vigore Diplomatis sui Regii, vel Articulorum, tempore felicis suæ Coronationis Anno superiore sancitorum, stabilita fuerant, in sese desiderari patiatur.* Hucusque Status in tabulas Regni relata sanctione, Lubet hic a Scribis Regis Ferdinandi calumniatoribus sciscitari: verane hæc sint, quæ a toto Regno ac Statibus universis in Articulos relata sunt, an falsa? Certe nisi Regnum universum, per summam iniuriam mendacii arguant fidemque deinceps omnem Statibus, Statutisque Diætalibus adimant, vera esse fateantur necesse est. Porro si verum est in Rege Ferdinando, Domino nostro Clementissimo, nihil desideratum esse eorum, que vel vigore Diplomatis, vel Articulorum stabilita erant: Falsa igitur ac calumniosa est accusatio Scribarum, qua suam Maiestatem non observati Diplomatis reum

az hamis vádolásnak fechkendezését és eggy chapással az vádolásoknak tömött rakását mindenestől felfordíthatnám. Mert az egész Országnak közönséges Gyűlésében, melly Ezer hatszáz tizenkilenczedik Esztendőben, Kis-Asszony havának Tizen-harmadik napján végeződött el, közönséges szava az minden Statusoknak és Rendeknek, melly az nyilván-való Ország Végezésibe bé is irattatott: Az Szent Királyi Fölségnek, az ő Kegyelmes Uroknak és Királyoknak Magyarországnak Statusi és Rendi nagy alázatossan meghalhatatlan hálákat adnak, mivelhogy láttyák ő Fölségének ugyanazon hűv Statusihoz és Rendihez ollyan kegyességét, hogy ő Felsége azok-közzül, mellyek a'vagy az ő Királyi Levelében, a'vagy az Articulosokban, mellyek az ő bóldog Koronázattyakor ez elmúlt esztendőben végeztetvén, megerőssítettenek, tellyességgel semmi fogyatkozást nem tölt. Eddig az Statusoknak, az Ország könyvébe bé-irattatott Végezések. Kévánom itt az Irodeákoktól, kik Ferdinand Királyt hamissan vándollyák, érteni: Igazak-é ezek, mellyek az egész Országtól, és minden Statusuktól az Articulosba bé-irattattanak, a-vagy hamisak-e? Bizony, hanem ha az egész Országot tekélletlenül meg-hazuttollyák és minden hiteltől ezután mind az Statusokat és mind

pronunciant, scilicet ut hac ratione Rebellionis suæ maculam eluant.

Sed, demus Regiam Maiestatem ad effectum non deduxisse, quæ Diplomate suo promiserat: Nego ea de causa suam Maiestatem accusari merito posse. Nam cum ad Electoralem Conventum Majestas Sua proficiseretur; ad instantiam Regni, amplissimam et ut publicæ Regni Constitutiones, hoc Anno 1619. stabilitæ habent: *Absolutissimam de omnibus Diætalibus negotiis agendi, tractandi, deliberandi et ad benignam suæ Maiestatis ratificationem concludendi potestatem Palatino concessit.* Anne igitur suæ Maiestati imputandum, quod nihil conclusum, nihil fuerit effectuatum? Minime gentium. Ipsi enim Status et Ordines, publicis Regni Constitutionibus, Articulo Primo ita statuerunt: *Status et Ordines decernunt, ut omnia negotia, tam scilicet effectuatio Conditionum in Diplomate Suæ Maiestatis com-*

az Győlésbéli végezéseket megfesztyák, szükség, hogy igazaknak mondgyák. Ha pedig igaz, hogy Ferdinándba, az mi kegyelmes Urunkba semmi fogyatkozás azokba nem volt, mellyek a-vagy az ő Levelének, a-vagy az Articulusoknak erejével végeztettek: tehát hamis és tekélletlen az Iró-deákok vágolása, mellyel ő Fölségét azért vadollyák, hogy Kötéslevelének eleget nem tött; tudni-illik, hogy ez okkal az ő El-pártolásoknak rútságát elmossák.

De engedgyük meg, hogy Király ő Fölsége véghez nem vitte, az mit Levelével fogadott volt: Tagadom, hogy azért ő Fölségét méltán vadollhassák. Mert, midőn az Elektorok Győlésére ment ő Fölsége, az Országnak kévánságára, bősséges és az mint ezen Ezer hat száz tizen kilenczedik Esztendőbéli, Országnak közönséges Végezési tartyák; Tallyes hatalmat adott a Nádor-Ispánnak minden Győlésbéli dolgoknak tractálására, tanácskozására és az ő Fölsége kegyes javallására-való végezésekre. Az okáért ő Fölségrére kellé vetni, hogy semmit nem végeztenek és semmit végbe nem vittenek? Semmiképpen nem. Mert ő-magok az Statusok és Rendek az Országnak közönséges végezésiben, az Első Articulusban, imigyen végeztenek: Az Statusok és Rendek azt végezik, hogy minden dolgok, tudni illik

*prehensarum, quam vero sublatio
Gravaminum habita ratione præ-
sentis temporis differantur, ac in
futuram Diætam ante omnes alios
tractatus definienda, complananda
effectuandaque reserventur.*

Videtis, Scribarum inconsultis-
simi, non Suæ Maiestatis neglectu,
sed publico Regni Decreto factum
esse, ut ea, quæ vos impleta non
esse causamini, differrentur.

Sed agamus liberaliter et car-
ptim ea, quæ magis odiosa videri
possent, in Maiestatem suam con-
torta spicula singillatim confrin-
gamus.

In Prima acie velut robur ac-
cusationis, illud statuitur: *Quod
Maiestas Sua promiserit, absque
consensu Regnolarum in nullam
partem administrationis Regni sese
intromissuram: Et tamen Episco-
patus contulit; Nicolao Eszterházi
et Gasparo Horváth officia digni-
tatesque est elargitus.* Hic vero
Scribæ accusatores manifestum
falsi crimen admittunt. Neque
enim Regiam promissionem, ut
in se est, memorant, sed muti-
lant, ut fraudem suam occultent.
Regia promissio Conditione 17.
expressa est, *quo Vivente Cæsa-*

mind az Conditóknak véghez-
vitele, mellyek az ő Fölsége
Kötés-levelébe foglaltatnak, s'
mind a Gravamináknak a' vagy
nehezségeknek elvétele ez mostani
üdőknek állapattyára tekéntvén,
elhaladgyanak és az következendő
Gyűlében minden egyébb végezé-
sek-előtt elrendelteszenek, meg-
igyaniesíttessenek és véghez-vites-
senek.

Látyátok-é, ítélet-nélkül-való
Iró-deák, hogy nem ő Fölsége
elmulatásából, hanem az Ország-
nak közönséges Végezéséből lött,
hogy azok, az mellyeknek bé-
tellyesítéséért panaszolkodtak, el-
haladnának.

De légyünk bőv-kezűek és az
melly ő Fölsége-ellen hagyított
lövő-dárdák-közül leggyűlölsé-
gesbek, eggyenként, csak futó-
félyben tördekkük el.

Az Első seregben, úgy mint
az Vádolásnak erősségét azt hely-
heztetik: Hogy ő Fölsége azt
igérte, hogy az Ország javallása
nélkül az Országnak igazgatásába semmi részből magát nem
áttya: És mindenáltal Püspök-
ségeket osztogatott, Eszterházi
Miklósnak és Horváth Gáspárnak
tiszteket és méltóságokat adott.
Itten kedig az vádoló Iró-deák
az irás meghamissításának vét-
kében esnek. Mert az Király igé-
retét nem úgy hozzák elő, az
mint ő-magában vagyon, hanem
meg-csonkíttyák, hogy álnokságo-

rea Maiestate in administrationem Regni sese non intromittet; absque suæ Maiestatis benigna voluntate Regnicolarumque assensu. Hoc vero sua Maiestas adeo sancte observavit, ut nec Scribarum dicendi licentia quidquam memorare ausit, in quo Sua Maiestas administrationi Regni sese immiscuerit, vivo Cæsare Matthia. Ea enim quæ enumerant, omnia post obitum Cæsar is Matthiæ acta fuerunt. Verum criminatores Scribæ, cum viderent, ruere per sese hanc calumniam, si integre Pro missionis verba referrent; maluerunt suffurari verba illa (Vivente Cæs: Maiestate). Nam post mortem Matthiæ Cæsar is, ipso Electionis ac Coronationis iure administrationem Regni Serenissimo Ferdinando incubuisse, ipsum quoque Regnum in nuperis Comitiis agnovit. Quæ in Illustres viros Nicolaum Eszterházi et Gasparum Horváth, inquisimè iactantur scommata, retorqueri cum fœnore possent, si Scribarum ac Forensium rabularum furori componi indignum non existimaremus.

Luculentum et illud falsi crimen est: Reges ex Domo Austriaca

kat elfödözzék. Az Király igérete, melly az Tizen-hetedik Conditióban vagyon, ez: hogy Császár ő Fölsége éltében az Országnak igazgatásába magát nem átta és az Országnak javallása-nélkül. Ezt kedig ő Fölsége olly szentül megtartotta, hogy még az Iródeákok szemtelensége sem mér semmit mondani, az miben ő Fölsége magát béáttotta vóna az Országnak igazgatásába Mátyás Császár éltében. Mert azok, az mellyeket előszámlálnak, Mátyás Császár halála-után történtek. De midőn látnák az patvarkodó Iró-deákok, hogy magától leomolna ez az patvarkodás, ha az Igéretnek igéit egészen előhozták vóna, inkább akarták elorozni amaz igéket. (Császár ő Fölsége éltében). Mert hogy Mátyás Császár halála-után, az Választásnak és Megkoronázásnak törvénye-szerint, az Országnak igazgatása az Fölséges Ferdinandra szállott légyen, ő-maga az Ország is ez minapi Gyűlésbe megismérte. Az minémű gyalázatos tréfákkal, tekélletlenül lővöldözik az Nagyságos Eszterházi Miklóst és Horváth Gáspárt; vissza-adhatnók, ha méltatlannak nem álitanók, hogy az Iró-deákoknak és piaczi csélcsapoknak dühösséggéhez hasonlóknak tartassunk.

Az is nyilván-való kezes-lábas hazugság: Hogy az Austriai

spontanea voluntate, promoven-
darum suarum practicarum gratia,
Sexaginta pagos Turcis conces-
sisse; Et aliquot Arces cum po-
tiori Regni parte medio Capitanei
Comaromiensis eidem Turcæ pro-
missee.

Insignis est hæc calumniandi
licentia, quæ tamen non Sere-
nissimum Regem Ferdinandum,
sed generaliter Reges ex Domo
Austriaca petit; nec Arcem ullam,
nedum ut potiorem Regni partem
Turcis promisit. Ut imperitum
vulgus in odium Regis Ferdinandi
asperarent, confinxerunt quidam
Vacuum et quædam alia Ungariæ
loca medio Illustris Domini a
Reifenberg Gubernatoris Coma-
romiensis Turcis promissa esse.
Quod impudens figmentum, nul-
lis indiciis, mera calumniandi
libidine excogitatum fuit. Nec
dubito, quin Illustris Dominus
a Reifenberg coram et in faciem
mendacii reum aget quicunque
dicere audeat per ipsum Turcis
Arces alias promissas fuisse.
Quod Pagi Sexaginta tributum
Turcis pendant, id qua ratione
factum sit paulo superius est
demonstratum. Sed ut res eva-
dat clarior:

Házból-való Királyok, szabad-
akarattyok-szerint az ő prakti-
kájoknak elő-vitelekért Hatvan
Falut adtanak az Törököknek:
És eggy-nehány Várat az Ország-
nak nagyobb részével-eggyütt az
Komáromi Kapitány-által azon
Töröknek igértek.

Nagy gyalázatos vádolásra való
szabadság ez, melly mind-azon-
által nem az Fölséges Ferdinand
Királyt, hanem közönségesen az
Austriai Házból-való Királyokat
illeti. Mert ő Fölsége semmi Fa-
lukat nem adott az Törököknek
és semmi Várat, nem hogy az
Országnak jobb részét, nem igért
nékiek. Hogy az tudatlan közsé-
get az Ferdinand Király gyűlö-
ségére fellázasztanák, némellyek
hazugúl azt költötték, hogy Vá-
czot és Magyarországnak egyébb
némely helyeit az Komáromi Gu-
bernator az Nagyságos Reifen-
berg úr-által az Törököknek
igérte. Melly szemtelen hazug-
ságot semmi jelenségekből, ha-
nenem csak patvarkodásra-való ké-
vánságokból költöttek. Nem is
kétem, hogy az Nagyságos Rei-
fenberg Uram nyilván és szem-
től-szembe meghazuttollya, valaki
azt meri mondani, hogy ő-általa
az Törököknek eggy-nehány Vá-
rat igértenek. Hogy Hatvan Fa-
luk adót fizetnek az Töröknek,
az mi módon lött légyen, oda
fel megmutatók. De hogy az
dolog világosban kitessék:

Primum illud hoc loco considerandum: Pagos illos non eo modo Turcis esse datos, quo modo Lippa ac alia annexa Præsidia longe maximo cum Pago rum numero Turcis assignata fuere. Nam Sexaginta Pagi per missi solum sunt, ut tributum, quo suam redimant securitatem, Turcis pendant: id quod pagorum illorum incolæ, maximis sæpe precibus contenderunt. Cum alias ob metum excursionis Turcicæ, nullam vitæ ac facultatum suarum securam horam haberent, Turcis assidue exitium minitantibus. Quin et a Comitatensibus ad Commissarios Cæsareos Tyrnaviam Emericus Liptai expeditus fuit, regatum ut minori in commodo, graviora pericula redimantur; ac pagi illi censem pendere permittantur potius, quam vel in assiduo metu versentur, vel alios quoque pagos secum una in ruinam ac vastitatem trahant; præsertim cum ex quo tempore de Pagis sexaginta tractatur, pene totidem iam pagos Turcæ deditios fecerint.

Secundum illud considerandum est: vigore Articuli 15. 16. 17. Pacificationis ad Sitva-torok, cum Turcis conclusæ a Georgio Turzo (qui ex Ungaris ei tractui præfuit) plus quam Septin-

Elsőben azt kell itten meggon dolni, hogy azokat az Falukat nem úgy adták az Törököknek, mint Lippát és több hozzátartozó Véghelyeket sokkal nagyobb számú Falukkal. Mert az Hatvan Faluknak csak azt engedték, hogy magok bátorságoknak megváltásáért adót fizessenek az Törököknek, mellyet azoknak az Faluknak lakosi gyakorta nagy kéremés-szerint kívántak, holott egyébképpen az Török csatáktól való féltekbe semmi bátorságos órájok, sem életekről, sem marhájokról nem lehetett, mivelhogy az Törökök szüntelen rablással fenyegették őket. Sőt az Vár megyéktől is, az Császár Com missariusihoz Nagyszombatban, Liptai Imre küldetett, hogy kisebb kárral nagyobb veszedelmet felváltsanak és inkább megengedgyék, hogy azok az Faluk adót fizessenek, hogy sem mint avagy szüntelen való rettegésben légyenek, avagy több Falukat is magokkal eggyütt romlásra és pusztulásra vonnyanak; kivált képpen, minthogy az üdötl-fogva, mellyben az Hatvan Falukról végezgetnek, nem sok heával annyi falut hóoldtattak meg az Törökök.

Másodszer azt kell eszünkbe vennünk, hogy Sitva-toroknál az Törökkel lött Békellésbe-való Tizen-ötödik, Tizen-hatodik és Tizen-hetedik Artikulusoknak erejével, (melly Végezésbe Turzó

gentos pagos Turcis esse simili ratione datos. Nam nisi Regestra, quæ ad manum habeo, fallunt, tributa pendere concessi sunt, vigore illius tractatus in Comitatu Strigoniensi Pagi 34, in Comitatu Comaromiensi Pagi 36, in Comitatu Barsiensi Pagi 51, in Comitatu Hontensi utroque Pagi 45, in Comitatu Nogradensi Pagi 159, in Comitatu Tornensi Pagi 14, in Comitatu Aba-Uvariensi Pagi 21, in Comitatu Borsodiensi Pagi 93, in Comitatu Hevesiensi Pagi 137, in Comitatu Tolna et Barania utraque Pagi 25; ad Albam Regalem et Canisam ex Comitatis Cisdanubianis Pagi 125. Hi igitur omnes Pagi (quorum nomina in Regestris annotata habeo) vigore Pacificationis Sitvatorokianæ, Turcis eodem modo tributarii concessi sunt, quo Pagi illi Sexaginta. Proinde trabem in oculis propriis non vident qui optimi ac integerrimi viri, Lajslai Pethe famam iniquissime depreciant.

Tertium illud circa hos Sexaginta Pagos considerandum venit:

György volt az Magyaroknak előttök-járója) Hétszáz Falunál többet adtanak illyen módon az Töröknek. Mert ha az Lajstromok, mellyek kezemnél vannak, meg nem csalnak, annak az Végezésnek erejével megengettetett, hogy adót fizessenek Esztergom Vár-megyében Harmincz-négy Falú, Komárom Vár-megyében Harmincz-hat Falú, Bars Vár-megyében ötven-eggy Falú, Nagy és Kis Hont Vár-megyében Száz ötven-kilencz Falú, Nógrád Vár-megyében Száz ötven-kilenc Falú, Torna Vár-megyében Tizennégy Falú; Aba-Ujvár-megyében Huszon-eggy Falú, Borsod-Vármegyében Kilelenczven-három Falú; Heves Vár-megyében Száz harmincz-hét Falú, Tolna és az két Baranya Vármegyében Huszonöt Falú; Feir-várhoz, és Kanisához az Dunáninnen-való Vár-megyékből Száz harmincz-öt Falú. Ezek azért minden Faluk (mellyeknek nevek az Lajstromokba nálam vannak) az Sitva-toroki Megbékellésnek erejével, az Töröknek hasonló-képpen adófizetésre engedtettek, mi módon amaz Hatvan Falú. Annak-okáért az gerendát magok szemekbe nem láttýák, kik az jámbor és tekélletes Pethe László Uramnak hírét-nevét hamissan gyalázzák.

Harmadszor azt kell ez Hatvan Faluk-felől eszünkben vennünk,

Totam culpam deditorum Sexaginta Pagorum eius fuisse, qui pacis ad Sitva-torok tractatui præfuit. Nam perniciosa quadam inadvertentia aut quoquo tandem modo Literæ Trucicæ, Capitulationes pacis continentes in plurimis punctis, longe aliter sese habuerunt, quam literæ Maiestatis Cæsareæ. Atque inter alia circa Articulum 16 ea utriusque Diplomaticis differentia fuit; quod Cæsaris Maiestatis Diploma eos solos Pagos ad Strigonium dedititios permisit, qui tunc tributa pendere soliti erant, quando Strigonium a' Christianis receptum fuit. Hi vero pagi numero paucissimi fuere, nam durante bello Turcico multi sensim Pagi a' tributaria solutione liberati erant. Turcicæ vero literæ, quæ examussim cum Cæsareis concordare debuerant, longe alium sensum referebant. Eum nimirum, ut Pagi, qui Dedititii fuerunt, antequam a Cæsare Strigonium occuparetur, deinceps quoque tributa penderent. Cum igitur Turca iuxta suas se Literas pacem servare velle, nec quid Literæ Imperatoris haberent morari pertinacissime contenderet, Pagosque 158, quos antea Dedititios fuisse, exhibitis Regestris conprobabat, nunc quoque tributarios facere vellet; ægre tandem trienniali tractatione effectum, ut Sexaginta Pagorum tributo contentus esset.

hogy az Hatvan-Faluk megadásának vétke azé volt, az ki az Sitva-toroki Végezésbe fő volt. Mert veszedelmes gondviseletlenségből, a-vagy akármi módon az Törökök Levele, melly az Békességnak summáját magában foglalta, sok czikkelyekbe külömbözött az Chászár ő Fölsége Levelétől. És az többi között az Tizen-hatodik Articulusban; az a' külöombség volt az két Levélközött, hogy az Császár ő Fölsége Levele csak azokat az Falukat engedte, hogy Esztergamhoz hódololyanak, mellyek akkor szoktanak adózni, mikor Esztergamot az Keresztyének megvötték. Ezek kedig az Faluk számszerint igen kevesek voltanak. Mert az mig az Törökkel-való hadakozás tartott, apródonként sok Faluk szabadultanak meg az adó fizetéstől. Az Törökök Levelének kedig, mellynek tellyességgel eggyezni kellett vóna az Császárával, sokkal külömböző értelme volt; tudni illik, hogy azok az Faluk, melyek meghódolva voltanak, minek előtte az Császár megvötte Esztergamot, azutánis adót fizessenek. Midőn azért az Török az ő Levele szerint akarná az Frigyet meg-tartani és megáltalkodván, semmitazzal nem akarna gondolni, mi vóna az Császár Levelében és az Száz ötven nyolcz Falut akarná meghódoltatni, melyeket az Lajstromból bizonyított, hogy

Quartum denique illud hic animadvertisendum; Cæsarem Matthiam, antequam hos Pagos tributa pendere permetteret, paratum fuisse aperto Marte a' Turcarum oppressione vindicare, atque eo nomine Lincium advocatis Principibus ac Provinciarum Legatis exposuisse innumeratas, quas Turcæ inferebant, molestias. Sed Ungarorum Legatorum suasu pax etiam incommoda belli incommodis prælata fuit. Atque adeo quidem invite Pagi illi Turcis promissi fuere, ut me audiente Centum aureorum millia Turcis oblata fuerint, dummodo ab horum Pagorum tributis abstinerent: cum tamen facta supputatione intra induciarum Vicennium, vix aut ne vix quidem, dimidium illius summæ ex horum Pagorum tributis excrescerent. Hæc vera ac certa est rerum circa Sexaginta pagos gestarum narratio, quam iis testibus conprobare promptum est, qui res ipsas tractarunt, Scripturis quoque per omnia assentientibus. Ut ut tamen res acta fuisse, certe a Serenissimo Rege Ferdinando acta non fuit; atque ita ne ipsa quidem Calumnia Maiestatem suam hic incusare potest.

az-előtt meghódolva voltanak; végtére Három Esztendei végezéssel nehezen vitték véghez, hogy Hatvan Falúnak adójával megelégednék.

Negyedszer végezetre azt kell itten eszünkbe vennünk, hogy Mátyás Császár hogy sem mint megengedné, hogy ezek az Faluk adót fizetnének, kész vólt őket nyilván-való hadakozással az Török sanyargatásából kiszabadítani és azért az okért Linczbe hiván az Fejedelmeket és Tartományoknak követit, eleikben adta az számtalan sok csintalanságot, mellyet cselekedtenek az Törökök. De az Magyar Követeknek intésből az káros békesség is jobbnak láttatott az hadakozásbéli alkalmatlanságoknál. És olly nem örömost engedték az Törököknek azokat az Falukat, hogy én halomásomra Száz ezer Aranyat igértenek azokért az Törököknek, csak hogy megszünnyenek azoknak adó-kérésétől: holott megszámlálván az Húsz esztendői Frígy alatt annak az Summának csak fele is alig telnék ki azoknak az Faluknak adójából. Ez az igaz és bizonyos historia az Hatvan Faluk dolga felől, mellyet könnyű megbizonyítanunk azokkal, az kik azt a dolgot végezték és az erről költ Irások is mindenekben egyeznek. De akár mint lött légen, bizonyos az, hogy a' Felséges Ferdinand Királytul nem lött; és

Sed pergo et in cæteris quoque non observati Diplomatis Conditionibus, Scribarum vaniloquentiam commonstro. Obiter perstrin-gunt Scribæ, qui Regia Maiestas in persona ad Comitia non vene-rit; quodque Palatini Authoritati non satis exacte consultum fuerit. Sed absentiam hanc Suæ Maie-statis necessitate proficiscendi in Imperium extortam æquo animo acceptarunt Regni Ordines. Palatino autem haud scio an tantum unquam Authoritatis attributum ab aliquo Rege fuerit, quantum a Serenissimo Ferdinando. Atque utinam, qui tanti æstimate videi volunt Palatinalem authoritatem, æstimarent re ipsa non ad in-a-nem speciem duntaxat. Plura non addo: res enim est in aperto.

Regreduntur religiosissimi Scribæ ad Religionem, in qua se tur-bari a Clero et Secularibus Do-minis Catholicis lamentantur. Si a Clero et Secularibus Dominis: Ergo non a Rege Ferdinando, ad quem referre debueratis, si a quopiam turbabamini, non ad Rebellionum actutum convolare. Sed nec verum est a Clero et Catholicis turbatos vos fuisse in negotio Religionis: Passive vel

ekképpen az Patvarkodás sem vadolhattya ebben ő Fölségét.

De élébb megyek és az Iró-deákoknak az Levél egyébb Con-ditióinak meg nem tartása-felől heába-való csácsogásokat meg-mutatom. Csak futó-félbe orrol-lyák az Iró-deákok, hogy Király ő Fölsége, személye-szerint el nem jött az Gyűlésre, és hogy az Nádor-Ispán méltóságára nem tellyességgel viselt gondot. De ezt az el nem jövetelt jó szűvvvel vöttek az Országnak Státusi és Rendi, mivelhogy az ő Fölségének az Imperiumba-való szükséges menetele miatt lött. Az Nádor-Ispánnak kedic, nem tudom, ha soha annyi méltóság adatott valamelly Királytól, mennyi az Föl-séges Ferdinandtól. És vajha azok, kik ennyire akarják böcsülleni az Nádor-Ispán méltóságát, völ-taképpen böcsüllenék, nem csak valami heába-való színnel. Többet hozzá nem tészek. Mert nyilván vagyon az dolog.

Visszatérnek az Hit-óltalmazó Iró-deákok az Hit dolgára, mellyben panaszolkodnak, hogy há-borgattatnak az Egyházi rendtől és az Katholikus világi Uraktól. Ha az Egyházi rendtől és az Világi Uraktól: Tehát nem Fer-dinánd Királytól, kinek eleiben kellett volna adnotok, ha valaki-től bántástok vólt és nem mind-gyárást elpártolnotok. De nem is igaz, hogy az Egyházi rend és

ut Iuristæ dicunt, Defensive sese habuerunt Catholici, in omnibus, quæ de Religionis negotiis versatæ fuerunt controversiis.

Concessiones vobis factas non oppugnarunt, summam illam quidlibet credendi licentiam, cum Legibus permissam viderent, non sine ingenti commiseratione reuentum, patienter ac quiete tollerarunt: Vos libertate vestra non contenti, magna cum iniuria Catholicorum Duo quædam nova extorquere voluistis, quæ nusquam Legibus permissa hucusque fuerunt: Alterum, ut in Bonis Catholicorum Dominorum Templa pro libitu Rusticorum adimeretis. Alterum ut Iesuitas Regno exturbaretis. Nova hæc sunt vestra postulata, quibus Catholici supra mensuram gravari se sentiunt. Itaque pro officii conscientiæque suæ ratione (cum sine damnationis æternæ reatu, deesse iustæ suæ defensioni non possent) novis istis nec ulla Lege sanctis votis Adversantium, constanter restiterunt. Quæ hic vestra vexatio? quod incommodum? Turbatis aquam Lupi et Agnum incusatis. Iudicet ac vindicet Dominus.

az Katholikusok háborgattanak titeket az Hit dolgában: inkább csak óltalmazták magokat az Katholikusok minden vetekedő dolgokban, melyek az Hitet illették.

Az mit ti-néktek engedtenek, nem ostromlották; azt a nagy Szabadságot, hogy ki-ki mind azt higgye, az mit akar, látván, hogy irott Törvénynel megengedték, azokon igen szánakodván, békességgel és csedesen szenvedték. Ti meg nem elégedvén Szabadságtokkal, az Katholikusoknak nagy boszszúságokkal két új dolgot akartatok kifacsarni, melyek soha ekkédig irott Törvényel meg nem vóltanak engedve: Eggyik az, hogy az Katholikus Uraknak Jószágokban a Tempomokat az Parasztoknak keván-ságok-szerint elvennétek. Másik az, hogy az Jesuitákat az Országból kivethnétek. Ezek az ti új kévánságok, melyekkel az Katholikusok fölötté igen érzik magok terheltetését. Azokáért tisztek és lelki ismrétek szerint (mivelhogy örök kárhozat-alatt tartoztanak magokat igazán óltalmazn) ez új és nem irott Törvény-szerint-való kévánságokban az Ellenkezőknek állhatatoson ellene-állottanak. Micsoda bántás-tok vagyon itten? micsoda károtok? Ti Farkasok zavarjátok a vizet és az Bárányt vágollyátok. Itéllye-meg és ályya boszszúját az Úr.

Nam quod contra Iura Regni receptos esse Jesuitas Tyrnaviam causamini; id quoque longe alter se habet. Regni Articulus contra Jesuitas latus, mansionem in Hungaria liberam ipsis permisit: Bona possessionaria habere vetavit. Nec quiquam contra hanc Legem ab ipsis peccatum; licet enim Tyrnaviensem ædem ad inhabitandum a Cæsare Matthia acceperint; nulla tamen possessionaria Bona habuerunt, sed meritis catholicorum eleemosynis sustentati fuerunt.

Quod vero Catholicorum non nulli libere affirmarint, Serenissimum Regem Ferdinandum, nova prorsus et iniqua ista postulata adversariorum, minime confirmaturum; id non exinde factum, quasi secretorum Serenissimi Regis consiliorum consciī forent, sed quod scirent æquitatis ac Iustitiæ amantissimum Regem, nemini iniuriam facere velle. Summa autem foret iniuria, si vel Tempa Dominis Catholicis invitis eriperentur; vel eorum Sacerdotes, ad nutum et arbitrium adversariorum, absque ullo crimine, vel delicto cum summo dedecore proscriberentur. Literas privati hominis, quas interceptas dicunt, cuiusnam fuerint, non explicant. Ne dubita, si Clari alicuius viri fuissent, ultro

Mert hogy azt mondgyátok, hogy az Ország Törvénye-ellen fogadták-be Nagyszombatban az Jesuitákat; az is sokkal külömben vagyon. Az Jesuiták ellen való Ország Végezése szabad lakást enged nékiek Magyarországban: Tiltotta, hogy örökös Jószágok ne légyen. Semmit ez Végezés-ellenőrök nem vétettek, mert noha az Szombati Házat Mátyás Császártól vötték lakójul; mind azáltal semmi örökös Jószágok nem volt, hanem chupán csak az Katholikusoknak alamisnájokkal táplálták magokat.

Hogy kedig némelly Katholikusok bizvást mondották, hogy az Fölséges Ferdinánd Király ezeket az Ellenkezőknek új és hamis kévánságokat semmiképpen meg nem erősséti és confirmállya; az nem abból történt, mintha Fölséges Királynak titkos tanácsában részesek löttek vóna, hanem hogy tudnák, hogy az Igazság-szerető Király, senkit boszszúsággal nem akarna illetni. Igen nagy hamis boszszúság vóna kedig, hogyha az Katholikus Uraktól elvennék akarrattyok-ellen a' Templomokat; a'vagy azoknak Papjai az Ellenkezőknek kévánságok-szerént semmi bűn a'vagy vétek-nélkül, nagy gyalázattal számkivetésbe küldetnének. A' magán-való ember Levelét, mellyet mondgyák,

nomen propalassent. Sed quisquis tandem ille fuerit, qui libérius de actionibus Matthiae Cæsar is pronunciarit, quam privatam personam decuerit; nulla eius facti culpa penes Suam Maiestatem residet, ut ipsi quoque Scribæ facile intelligunt.

Ultimum caput accusationis est: quod Regia Maiestas Militem ex Ungaria contra Bohemos Ungarorum confoederatos, eduxerit. Serenissimus Archidux Leopoldus, scriptis ad Palatinum literis, Coronam Posonio transferri per Rudolphum a Tiffenbach voluerit. Haidones medio Andrea Doczi et Andrea Lónyai eradicare et evertere sategerit. Civitates liberæ Montanæ ac Posoniensis variis modis turbatæ fuerint.

Sed facilis est ad hæc responso: Militem suo ære conducere et extra Regnum, quo libuerit educere, liberum semper fuit Regibus Hungariæ; prout ex Decretis Andreæ Hierosolymitani aliisque deinceps Regni Statutis, liquido constat. Quocirca, cum a Moravis, Austriaisque in postrema Regni Diæta instanter pesteretur, ut militum ex Hungaria

hogy elfogtanak, kié lött légyen, meg nem magyarázzák. Hidd meg énnékem, hogy ha valami tekéntetes emberé lött vóna, jó akarattyokból is kifakasztották-vóna az nevét. De akárki lött légyen az, aki nagyobb szabadsággal szóllott Mátyás Császár dolgairól, hogy sem mint magánvaló emberhez illett vóna; abba semmi vétke ő Fölségének ninchen, az mint ő magok az Iródeák is könnyen által-értik.

Az Utolsó része az Vádolásnak az, hogy Király ő Fölsége, Magyar-országból az Vitézlő népet az Csehek-ellen, kikkel az Magyaroknak szövetségek volt, kivitte. Az Fölséges Leopold Herczeg levelet irván az Nádor-Ispánnak, az Koronát Posomból másuvá akarta vitetni Tiffenbach Rudolph által. Az Hajdukat, Dóczi András-által, és Lónyai András-által ki-akarta gyökerözni és veszteni. Az Bányai Szabad Városok és Pósony sokképpen háborgattattanak.

De ezekre könnyű az Felelet. Vitézlő népet maga pénzén fogadni és az Ország-kívül az hová akarja, kivinni, mindenkor szabad volt az Magyar-országi Királynak, a' mint az Jerusalémi András Királynak decretomiból és az után-való egyébb Ország Végezések ből nyilván kitetszik. Azokáért, midőn az Morvajak és Austriaiak az utolsó Ország Gyű-

contra ipsos eductio prohibetur, responsum fuit: Prohiberi Regiam Maiestatem non posse, quo minus iure suo hac in parte uteretur. Demus autem, quod Serenissimus Leopoldus aliquid de Corona Palatino Ungariæ scripsерit: Non dispuo, in hac rerum constitutione, id merito prudenterque fieri potuisse. Illud certum est Regem Ferdinandum istud factum proprie non concernere. De Hajdonibus quod additur, ad invidiam excogitatum figmentum est: sine teste, sine ulla probatione, temere effutitum. Nec unquam vel Scribæ, vel Lonyai, vel quisquam alias indicium proferre poterunt, quo Serenissimum Regem Ferdinandum Hajdonibus exitium machinatum esse, testatum reddant. Circa Liberarum quoque Civitatum Iura, quid actum aliquando fuerit, non dispuo; licet non sint defuturi, qui acta omnia æquitati consona fuisse ostendent; ubi reſ postularit: Illud dico Rebellionis contra suam Maiestatem concitatæ causam hic nullam esse, nam ea omnia, quibus se læsos Cives queri possunt, sub felici Regimine Suæ Maiestatis accidisse nemo dixerit.

lésében erőssen kérnék, hogy az Vitézlő népnek ő ellene-való kivétele megtiltatnék, azt feleték nekiek, hogy Király ő Fölségét arról el nem tilthatni, hogy az ő igazságával ez dologban ne élhessen. De ám engedgyük meg, hogy az Fölséges Leopold Herczeg az Korona felől írt valamit az Nádor-Ispánnak: Nem vitatom, hogy az dolognak illyen állapattyában azt méltán és okosan cselekedhette. Az bizonyos, hogy ez a dolog Ferdinánd Királyt tulajdonképpen nem illeti. Az, mit a' Hajduk-felől mondanak, csak gyűlölségnek okáért gondoltatott: bizonyás és bizonyítás nélkül vakmerőképpen kifejezettet hazugság. Es soha, sem az Irodeák, sem Lónyai, sem más, akárki legyen is, jelét nem mutathattyák, mellyel megpróbálhassák, hogy az Felséges Ferdinánd Király az Hajdúknak veszedelmekre igyekezett volna. Az Szabad Várasoknak igazságok-felől mitörtént légyen valaha, arról nem vetekedem; lépsznek, az kik megmutattyák, hogy semmi törvénytelen dolog rajtok nem eset; vala-mikor kévántatik: azt mondjam, hogy innen ő Fölsége ellen-való Pártolkodásra ok nem adatott; mert valami rajtok esett dolgokért panaszolkodnak az jó Polgárok, senki nem mondhatta, hogy az ő Fölsége birodalmának idejében történt.

Atque hæ sunt graves illæ ac iustæ (scilicet) Causæ, quibus Scribæ (neque enim Status ac Ordines, quibus plus inest sapientiæ, quam ut has Nænias profundant) persuadere sibi similibusque nituntur iustum Rebellionis causam seditiosos quosdam habuisse. Quæ tamen quam frivola, quam a veritate ac ingenua sinceritate sint aliena, vel ex iis solis, quæ carptim attigimus, nullo negotio cordati viri deprehendant.

Nam quæ de rebus Regni Sclavoniæ congerunt, cum in eius Regni negotiis versatus ipse non sim, ea attingere nolui. Non derit rerum illius patriæ gnarus, qui eas quoque querelas diſiiciat. Illud in genere dico, quod per se sufficit, ut constet nullam a Serenissimo Rege Ferdinando rebellandi occasionem datam esse: Vetera omnia esse, etiamsi vera forent, quæ commemorantur. Nam quod Dalmatia tota sit amissa, quod Clyssa perdata; quod per Páradaiserum Canisa prodita; quod Dominus Comes Tersaczky Banus factus; quod Segniâ Usocci pulsi, hæc inquam omnia (quæ tamen potissima sunt accusationum capita) eiusmodi sunt, ut Serenissimo Regi Ferdinandi imputari non possint, quippe quorum nihil ipso re-

És ezek (hogy már) amaz méltó és igaz Okok, mellyekkel az Irodeákok (mert nem a Statusok és Rendek, kikben több okosság vagyon, hogy sem mint illyen kábaságokat hintenének) magokkal és magokhoz hasonlókkal el akarják hitetni, hogy nemelly zenebonás embereknek igaz okok volt az Pártolkodásra. Mellyek mindenkorálta, melly igen semire-kellők légyenek, melly távol estenek az igazságtól, csak azokból is, mellyeket futó-félbe érengettünk, nagy könnyen eszekbe vehetik az okos emberek.

Mert az mint az Tótországi dolgok-felől öszve-hadarnak, mi-velhogy annak az Országnak dolgaiban ném forgottam, azokat nem akarom illetni. Lészen, az ki annak az Országnak dolgait értvén, azokat is az panaszokat lerázza. Azt mondom közösségesen, mellyből eléggé kitetszik, hogy az Felséges Ferdinánd Királytól az elpártolásra-való semminémű ok nem adatott, hogy azok, az miket beszélnek, ha igazak vónának is, mind régi dolgok. Merőt hogy egész Dalmátia oda vagyon; hogy Klissa elveszett, hogy Paradaj-szer Kanisát elárulta; hogy az Tersaczki Gróf Uram Bánná lött; hogy Szegnyából az Uzkokat kiúzték: ezek, mondám, mind (noha az Vádolásnak legfőbb részei) olyanok, hogy az Felsé-

gnante acciderit. Seculum effluit, ex quo Dalmatia avulsa fuit per Venetos: Errati huius pœnam luat rex Ferdinandus? Imperatore Rudolpho Clyssa et Canisa perdita: Rebelletur eam ob causam Regi Ferdinando? Ab Imperatore Matthia Comes Tersaczki Banus factus est; et Segniâ educti Uscocci: Ideone Regi Ferdinando Homagio obstricta fidelitas denegetur? o mores! o iudicia hominum! Sed ita res habet: iniqua causa insulsis fulcienda est argumentis. Certe si quid vel in Sclavonia, vel in Croatia per abusum irrepsit, idipsum emendaturam Regiam Maiestatem non dubitamus: Hucusque quod emendari nihil potuit, partim temporis, quo regere Sua Maiestas cœpit, brevitas; partim absentia et moles ingens negotiorum, partim Statuta Ungariæ, in futuram Diætam omnia gravamina reiicientia, obstitere.

ges Ferdinánd Királynak nem tulajdoníthat्यák, úgymint, kinek birodalma alatt semmi azokközül nem történt. Száz eszten-deje elmúlt, hogy Dalmatiát az Velenczések elszakasztották. Ennek az véteknek büntetését Ferdinand fizesse? Rudolphus Császárságába veszett el Klissa és Kanisa: azért pártollyanak-é el Ferdinandtól? Mátyás Császár idejében lött Bánná az Tersaczki Gróf, és Szegnyából kivitték az Uzkokat: azért kell-é az Ferdinandnak adatott húvségről-való kótelességet megtagadni? Oh erkölcsök! ó embereknek ítéleti! De igy vagyon az dolog: az hamis igyet esztelen bizonyítássokkal kell támogatni. Bizonyára, ha a'vagy Tót, a'vagy Horvátországba valami mód-nélkül történt, nem kétlyük, hogy azt Király ő Felsége helyére hozza. Hogy eddig semmit jobb állapatra nem hozhatott, rész-szerint az üdőnek, mellyben ő Felsége birodalma kezdetett, rövid-vólta; rész-szerint távúl-vólta és nehéz dolgoknak sokasága; rész-szerint Magyar-országnak Végezési cselekedték, mellyek az Gravaminákat a'vagy nehézségeket mind az jövendő Gyűlésre halasztották.

VINDICIAE ECCLESIASTICÆ

QVIBVS EDITA A PRINCIPE
BETHLEN IN CLERVM HVNGARIÆ Decreta, Diuinis humanisq,
legibus contraria, ipso jure nulla esse,
demonstrantur.

AVTHORE

PETRO PAZMANY Archiepi-
scopo Singtoniense.

P. Steph. Psalm: 108. v. 28. Lepidus
Viennæ
Domine, maledicent illi & tu benedices,
qui insurgunt in me, confundentur servus
autem tuus lætabitur Induantur qui de-
trahunt mihi pudore'

VIENNÆ AVSTRIÆ

Ex Officina Typographica Wolfgangi
Schump. Typographi Aulici Anno 1620.

VINDICIÆ ECCLESIASTICÆ

QUIBUS EDITA A PRINCIPE BETHLEN IN CLERUM HUNGARIÆ
DECRETA, DIVINIS HUMANISQUE LEGIBUS CONTRARIA, IPSO IURE
NULLA ESSE, DEMONSTRANTUR.

AUTHORE


PETRO PAZMANY

ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSE

RECENSUIT

IOANNES KISS,

IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



VIENNÆ AUSTRIÆ.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA WOLFGANGI SCHUMP TYPOGRAPHI AULICI.

ANNO 1620.

Psalm. 108. v. 28.

*Domine, maledicent illi et tu benedices, qui insurgunt
in me, confundentur, servus autem tuus lætabitur. Indu-
antur, qui detrahunt mihi, pudore.*

Comitia per fideles Gabrielis Bethlen principis Transsylvaniae et comitis Siculorum anno 1620. Neosolii habita, religioni et ecclesiæ catholicæ in Hungaria iniuriosa condiderunt, quæ dein princeps Bethlen, per eadem comitia in regem Hungariæ electus, confirmavit et publicavit. Contra hæc decreta scripsit Petrus Pázmány opusculum „Vindiciae Ecclesiasticæ, quibus edita a principe Bethlen in clerum Hungariæ decreta divinis humanisque legibus contraria, ipso iure nulla esse, demonstrantur“ illudque adhuc ipso comitiorum anno 1620. Viennæ sub proprio nomine publicavit. Argumentum libelli ipso titulo clare exhibetur. Exemplaria præsto sunt in bibliothecis : Musei nationalis Hungarici Budapestini, Reg. scient. universitatis Budapestini, Lycei archiepiscopalis Agriæ, Musci Transsylvaniae, archiepiscopalis Colocæ, romani catholici lycei Claudiopolii, in bibliotheca archiabbatiae Montis Sacri Pannoniæ, item in bibliotheca Georgii Ráth.

INDICULUS CAPITUM.

Cap. I. Consilii mei rationes in hac scriptione.

Cap. II. Quæ Iura Ecclesiarum eversa Betlenii Sanctione.

Cap. III. Defectu competentis Iudicis ac Legislatoris, Statuti Betleniani nullitas evincitur.

Cap. IV. Defectu legitimi processus, Constitutionis Betlenianæ vanitas comprobatur.

Cap. V. Defectu Iustitiae, Sententia Betleniana eliditur.

Cap. VI. Ob falsas et insufficientes allegationes, Decreta Betleniana exploduntur.

FERDINANDO II.

ROMANORUM IMPERATORI AUGUSTO,
GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ ETC. REGI ETC. VITA,
VICTORIA, FÆLICITAS.

Nihil Sublimi fastigio, ac statione, quam temperas, dignius agitare potes, Auguste Imperator, quam, si labantem, funestisque domesticarum calamitatum turbinibus rotatam Rempublicam Christianam, rebellionum monstros purgatam, in optatissimæ quietis portum, velut postliminio reposueris; si concessis a Deo optimo victoriarum adoreis, ad eius gloriam amplificandam, utendum existimaveris. In utrumque hunc scopum, nauiter curas, cogitationesque Maiestatis Vestrae defixas esse, notius est, quam ut quæsitis a me firmamentis approbari debeat. Quis enim nesciat, in hisce obvia cuncta obterentium seditionum procellis, Maiestatem Vestram, ad publicæ quietis asylum, tanquam ad Cynosuram, cunctas actiones assidue direxisse? Dei vero præpotentis Religiosum cultum, velut unicum Regnorum tuorum Palladium, tanto semper studio promovisti, ut illo servato, etiam inter duros præcipitis fortunæ ictus, tuta omnia, ac secura esse, illo neglecto, maturos etiam Victoriarum fructus corrumpi, ac victricis fortunæ impetum inhiberi, nullus dubitares.

Extra dubium est, publicam quietem sarciri haud posse, nisi luxata, ac suis mota locis membra reponantur, hoc est, bonis ac laribus, nec non famæ et honoribus per vim expuncti, restituantur; virtuti pretium reddatur; Fidelitatis et Constantiæ hucusque pro ludibrio habitis, suus honos constet; ademptaque rapinarum licentia qui vel cuniculis, vel machinis tranquillitatem, præsertim Ungariæ, oppugnatum eunt, ningidarum alpium claustris, unde proruperant, coercentur. Divino

Numini debita veneratio, Cultusque publicus requirit, ut res, ac personæ Sacræ, ab omni maleficio et iniuria asserantur. Hæc omnia Maiestatem Vestram summo studio, summa animi moderatione procurare, neminem nostrum latet. Nam et errata delinquentium, paterno affectu castigata voluisti, et in omnibus expeditionibus, non tanquam ad hostes debellandos, sed tanquam legitimus Princeps, ad officium cogendos subditos, militem destinasti, ut Deo dicatæ ædes, Sacerque Ordo ab omni iniuria, fæminarum pudor a vi asserantur, ut innoxiae plebis cædibus, ac oppressioni temperetur, sedulo edixisti. Cumque pro Tua singulari sapientia facile intellegeres, beneficio potius, quam metu animos alienatos in obsequio retineri, et populos superiorum temporum furore exerrantes, tractu temporis mitigatos, officio responsuros, ita clementia ac benignitate imperium temperasti, tantamque hominum antea infestissimorum de Te fiduciam concitasti, ut plus in Maiestatis Vestræ clementia securitatis, quam in armis suis præsidii repositum arbitrarentur. Macte virtute Imperator Auguste, generosum hunc impetum sequere, hanc novæ laudis gloriam occupa, supplicibusque indulgendo effice, ut eos non emendati citius erroris pœniteat, seque nisi periculosa belli alea periissent, perituros, læti fateantur.

Cum igitur hæ quoque quas pertexo Status Ecclesiastici Vindiciæ, ad publicæ quietis, ac Divini cultus rationes pertinere videantur, merito Maiestatem Vestram, velut Agonothetam, imo Hyperaspisten agnoscere debuerunt. Postquam enim violentis suggestionibus, ita obreptum est Gabrieli Betlen, ut totam Ecclesiastici Ordinis dignitatem in Ungaria convellendam fictisque criminibus obruendam sibi sumpserit, talia in Sacrum Ordinem decreta fixit, ut ubi veritatem inter tanta partium odia demersam, eluctari viderit, eorum pœnitudinem ipsimet subituram, non dubitem. Hæc ergo Betlenii Statuta, quantum rerum acerbitas patietur, leni oratione profligare debui. Quamobrem, cum non ignorem, in varias incursum reprehensiones quod molior, præpotenti patrocinio adversus malignorum obtrectationes opus erat: quæ ipsa causa est, cur hoc tempore adire M. V. inscriptioneque exigui operis alloqui debuerim. Sed et accerimo perspicacissimoque Maiestatis Vestræ iudicio, censuræque limatissimæ, in examine eorum quæ a me dicentur, stare constitui.

Illud vero opportune hoc loco M. V. in memoriam revocandum venit, mirum non esse, si Calvini asseclæ, male de Sacerdotibus,

male de Clero Catholico sentiant, ac loquantur, quorum Dux et Antesignanus, pessime de Patriarchis, deque Apostolis, de Diva Virgine, deque Deo ipso senserit, scripseritue. Abrahamum ¹Uxor ¹Calv. Genes. pudicitiam male prodidisse, coniuge prostituta; ²illicito concubitu ^{12. v. 11. c. 20.}
^{v. 2.} fœdatum fuisse, scribit Calvinus. Saram, a Petro Apostolo Christianis ²Calv. Genes.
^{16. v. 3.} fœminis velut exemplar propositam, Calvinus ³connubii legem perver-
^{18. v. 1.} tisse, lectum coniugalem polluisse, dicit; ⁴neque enim credibile est,
⁴Calvi. Gen.
^{12. v. 15.} quum homo libidinosus eam habuerit in manu, pepercisse eius pudiciæ. Isaacum similiter ⁵uxorem propriam alienis prostituisse, pronun-
⁵Calvi. Gen.
^{20. v. 7.} ciat. Itaque Calvinus Iudice, lenones ac libidinum pararii fuere Patri-
⁶Calvi. Inst. 1.
^{ca. 14. n. 10.} archæ, prostitutæ Patriarchissæ. Idem ipse Calvinus fidenter scribit,
⁷Calv. 2.
^{Corin. 1. v. 9.} Ioannem Evangelistam ⁶stupore prostratum, Angelis tribuisse, quæ
⁸Calvi. Acto.
^{15. v. 38.} nonnisi Deo debebantur. Paulum Apostolum ⁷perversæ confidentiæ,
⁹Ibid v. 40.
¹⁰Calvi. Luc.
^{1. v. 34.} ac temeritati obnoxium, ⁸violento contentionis impetu abreptum.
¹¹Calvi. Matt.
^{24. v. 36.} Marcum Evangelistam ⁹vocationis suæ desertorem, Apostatam
¹²Calvi. Matt.
^{26. v. 39.} fuisse. Deiparam Virginem ¹⁰maligne restingere Dei potentiam.
^{Calv. lib. 1.} Nec laborandum, ut eam purgemus ab omni vizio. Christum
^{Instit.c. 18.} Dominum ¹¹Ignorantiæ subjectum fuisse, ¹²inter violentos tenta-
^{n. 1. 2.} tionum fluctus vacillasse, votum subito elapsum castigasse,
^{Tertull.} revocasse. Demum nequid ad summum præcipitis insanæ deside-
^{Apolog. cap. 5.} raretur, Fœdarum cupiditatum, et eorum que Satan, ac scelesti
^{Cap. 48.} latrones perpetrant, Deum Authorem esse, libero ore pronunciat
^{C. 26.} Calvinus.

Qui sanctos utriusque fœderis, qui Deiparam, Deumque ipsum
 sic proscindit, ab eius fœtura famam existimationemque Cleri
 adrodi, nemo sapiens admirabitur. Ego sane Tertullianæum illud
 identidem animo versare soleo: Talibus damnatoribus nostris etiam
 gloriamur, qui enim scit vos, intelligere potest, nonnisi grande
 aliquod bonum a vobis damnari. Et ut est æmulatio Divinæ rei,
 et humanæ, cum a vobis damnamur, a Domino absolvimur. Et
 cum hoc omne finio, Deum religiose venerans, ut Maiestatem
 Vestram diu feliciterque imperantem tueatur in terris, ac sero
 tandem meritis ingentibus cumulatam cœlis inserat. Viennæ Austricæ
 26. Decembris Anni 1620.

Sacratissimæ Maiestatis Vestrae

*Humilis ac fidelis Capellanus
 Archiepiscopus Strigoniensis.*

VINDICIAE ECCLESIASTICAE,

Quibus edita a Principe Bethlen in Clerum Hungariæ Decreta, Divinis humanisque legibus contraria, ipso Iure nulla esse, demonstrantur.

Caput primum.

CONSILII MEI RATIONES IN HAC SCRIPTIONE.

Novizoliensia Betlenii Principis Decreta, quibus Sacrum Ordinem truculenta vastatione, si licet, deletum iuit, serius quam par erat nactus, procul odio, procul amore, legi: paginas aliquot virulentissima proscriptione infectas reperi, quæ ad Ecclesiastici Status famam, dignitatem ac libertatem labefactandam, merito castiganda coniuratione, conspirabant. Nam in iis universus Ecclesiastici Ordinis Ungariæ Status ab imis convellitur fundamentis: Episcopatus abrogantur: Iura Ecclesiarum violantur: tolluntur Privilegia: bonorum possessio Sacerdotibus adimitur, Fisco addicitur: denique quidquid vel dignitatum, vel facultatum, plena manu, orthodoxorum Vetusta pietas Ecclesiæ contulerat, totum rapax et profana Novitas, per summam Divini, Humanique Iuris contemplationem depeculata, in suum vertit compendium. Ac ut tanto conspectius crimen foret, interspersæ etiam causæ, mera calumnia asperatæ, ob quas, vel bonorum possessione deturbati, vel Patria extorres facti sunt Sacerdotes. Nimirum, quos fortunis exuerat aliena cupiditas, eos famæ quoque, ac existimationis iacturam subituros vanissime arbitrabatur, quasi ita hebes, ac obstipa capitis cucurbita reperiri possit, ut vel Acatholicis Clerum accusantibus, ac per fas, nefasque bona Ecclesiarum decoquentibus, credendum, vel fidem coronato Regi debitam abdicantibus, fidendum, existimare possit.

Aequidem diu anceps animi hæsi, reponeremne aliquid, ut suus veritati honos constaret? An, Davidicum illud sequerer, *Pfal 38. v. 2.*
Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.
Obmutui et humiliatus sum, et silui a bonis. Etsi enim obmutescere et abstinere ab iniuriis, constitutum erat, tamen, num et a bonis (ne illa ipsa in calumniam odiumque raperent obtrectatores) abstinentem esset, magnopere dubitabam. Ea tempora incidisse videbam, quibus sententiam aperuisse veritati consentaneam, modestiæque ad finem, maximum sit scelus. Sciebam conscientiam virtuti satis amplum theatrum esse, satis disertum patronum. Obversabatur et illud animo: *Iusti esse dissimulare, tenere bonum fructum conscientiæ, plus committere bonorum iudicio, quam criminantis insolentiæ.* Hoc est silere a bonis, quia bene sibi conscius falsis non debet moveri; nec æstimare, plus ponderis in alieno esse convicio, quam in suo testimonio. Quocirca mecum ipse tacitus ita cogitabam: Magni rerum moderatoris vox illa est, *Mihi vindictam et ego retribuam.* Habes Deum ultorem, cuius gladius retundi, *Rom. 12. v. 19.* cuius ictus elidi nequit; *Ferent illo vindice confusionem suam, qui Pfal. 39. v. 16.* dicunt tibi *Euge Euge.* Obdura: Magno perfer animo falsitatum virulenta rabie infectas calumnias. *Faciet Deus Iudicium iniuriam patienti; Humiliabit calumniatorem.* Magni viri sæpe non alio defensore ac patrono, quam constanti silentio, dignitatem suam ab obtrectatorum maledictis vindicarunt. Opportuno interdum, gravique silentio, rumpuntur invidi: multo autem verborum apparatu ansa malevolis præbetur, novæ reprehensionis, ac demum acrioris obtrectationis: sic iniuria ex iniuria nectitur, sic magis exulcerantur animi, quos taciturnitas, temporisque diuturnitas sanavisset. *Laqueos fera dum iactat, adstringit. Aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt.* Nullum est tam arctum ingum, quod non minus lædat ducentem, quam repugnantem. Unum est levamentum malorum ingentium, pati, et necessitati obsequi. Nobile vincendi genus est, patientia: nec ullo validiore ictu invidorum malevolentia percellitur, quam æquanimitate. *Idcirco Tertull. lib. de Patientia.* quis te lædit ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum eius everteris, non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Tunc non solum illæsus ibis quod solum tibi sufficeret, sed insuper adversarii tui et frustratione oblectatus, et dolore defensus. Socrates tunc se in pretio apud homines esse censuit, cum alienam subiit invidiam. Seneca virtutem latere dixit

Ambros. 1.
Officiorum.
cap. 5.

Seneca lib. 3
de Ira

Tertull. lib. de
Patientia.

Seneca
Epist. 79.

nisi accipiat iniuriam, tunc effulgere, cum læditur. Quid? Nonne

¹ Lucæ 23. v. 2. salutis nostræ assertor ac vindex Christus, et ¹ subversor gentis

Ibid. v. 5. Iudaicæ, et *populum commovens*, et meribibus, et ² Seductor, et

² Matth. 11. v. 19. ³ Samaritanus, hoc est idololatra et infami Dœmonum commercio

³ Matth. 27. v. 63. notatus audivit? Nonne tot falsorum testium criminacionibus ado-

Ioan. 8. v. 48. brutus, tot blasphemis ac maledictis in ipso mortis articulo pressus,

Isai. 53. v. 7. quasi Agnus coram se tondente obmutuit? Ea lege Christianam militiam adiimus, ut tunc beati existimemur, *cum maledixerint*

Matt. 5. v. 11. *nobis homines, et persecuti nos fuerint, et dixerint omne malum adversus nos, mentientes.* An non hæc via trita magnis illis

Actor. 16. v. 20. Christianitatis Antesignanis? Quoties velut conturbatores civitatum,

Actor. 17. v. 6. velut urbium concitatores, non a confusa multitudine, sed quod

Actor. 13. v. 48. mirere, a *Religiosis et honestis et primoribus civitatum*, concussi,

Actor. 5. v. 41. exturbati, pene ad interencionem cæsi? *Et ibant ipsi gaudentes,*

quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Hæc animo versanti, immanes convictionum ac proscriptionum Novizoliensium mugitus, ac bruta fulmina, surda aure prætervehi, ac silentio castigari debere, non immerito videbantur: præsertim cum ubi *pellitur e medio sapientia, vi geritur res*, stylo ac solida veritate nihil profici, nimium imperitus sim, si non intelligam. Nec vero magnum operæ prætium videbatur, si in eo convellendo, nervos Orationis intenderem, quod Magni Imperatoris, ac Coronati Regis Ungariæ, potenti dextera excandicatum, stirpitusque convulsum et protritum erat, dum acta omnia, tractata, et conclusa in Posoniensi ac Novizoliensi conventiculo, Regali edicto cassavit. Nominatim vero, *quidquid contra Ecclesias Dei ac Statum Ecclesiasticum, contra fideles suæ Maiestatis tam Ecclesiasticos quam Sæculares, quoquomodo statutum, decretum ac definitum fuit, id totum penitus annullavit, illegitimum, iniustum, invalidum pronunciavit, nec ullo unquam tempore robur aliquod habere voluit.*

Augustinus
Tom. 4. libro
de bono
viduitatis.
c 22.

Verum enimvero, aurem mihi vellicat magnus Antistes Hippomensis. Non sunt, inquiens, audiendi, sive sancti viri, sive fæminæ, qui quando reprehenduntur, et in malam veniunt suspicionem, unde vitam suam longe abesse sciunt, dicunt: *Coram Deo sufficere sibi conscientiam; Æstimationem hominum non solum imprudenter, verum etiam crudeliter contemnentes.* Concludit sanctus Doctor: *Proinde, quisquis a criminibus flagitorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, is et in alios est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra,*

aliis fama nostra. Hinc factum, quod veteres illi, Christianæ Religionis athletæ fortissimi, Iustinus, Melito, Atthenagoras, Theophilus, Tertullianus, Minutius Felix, Origenes, Arnobius, aliquique deinceps propemodum innumeri, calumniantium proterviam eruditis represserint Apologiis. Magnus ille gentium Doctor, et Apostolus, dum contra leges plecteretur, aperte ac libere Iudicem alloquitur: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* *Sedes iudicans me* Auctor. 23. v. 3. *secundum legem, et contra legem iubes me percuti.* Alibi non solum diserte ac constanter se defendit, sed et cum Iudicis iniquitate Auctor. 25. v. 11. innocentiam suam periclitari animadverteret, Cæsarem appellavit: Quid de Christo Servatore dicam? Cum per summam dicendi libertatem, Dæmonium habere diceretur, nonne palam ac constanter depulit calumniam? Ad tribunal Pontificis, dum innoxius cæderetur, Ioan. 8. v. 49. nonne percussoris execrandam impietatem iusta castigatione flagellavit? Amplexor illud Senecæ, ac modis omnibus sequor: *Vir sapiens* Ioan. 18. v. 23. *omnem temporum difficultatem strenue superabit.* *Habebit in animo* Seneca de vita beata. *retus illud præceptum Sequere Deum.* *Quisquis enim quæritur, et plorat, et gemit, imperata facere vi cogitur, et inuitus rapitur ad iussa nihilominus.* Quæ autem dementia est, potius trahi, quam sequi? *Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno animo excipiatur.* Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare nostræ potestatis non est. Attamen, Naturæ ius, ac gentium leges, Iustum sui defensionem, nemini interdicunt: vim illatam retundere, nocere volentem repellere, famam existimationemque tueri ac vindicare, non sinunt modo, sed suadent, imo iubent. *Contemptu famæ, virtutes contemni,* vulgatum est, et verum. Accusantium criminationibus, silentio connivere, culpam agnovisse, reum semet constituisse, conscribi solet.

Tacitus 4.
Annal.

Hæc atque alia quam plurima, in eam duxere sententiam, ut nec officio, nec conscientiæ satisfactum a me arbitrarer, nisi oppressam et criminationum pondere fatiscentem Cleri innocentiam, gravissimis, iustissimisque rationibus vindicarem, Statutique Novizoliensis circum quæstus et officinas expositi, calumnias, solida et libera oratione abominarer, ac reprimere.

Quod dum facio, nolim Status ac Ordines universos Ungariæ, invidia Decreti Novizoliensis laborare. Nec ea quæ a me scribentur, ita accipienda, ut iniquissimi Statuti infamiam, tota ferat Natio Ungarica. Etsi enim Betlen, Statuum Regni Hungariæ nomen, velut mangonium suis appendat sanctionibus, nemo tamen est qui

nesciat, Ecclesiastici Status indignam stragem, maiore et saniore Regni parte detestante, per Betlen, ac immaturos ipsius parasitastros, exortæ rebellionis authores, sancitam esse. Nemo Catholicorum eversionem ordinis Ecclesiastici approbavit. Imo cum videant, ita secum agi, ac si Lupina feritas vigiles canum custodias ab Oviariis submoveret, iam nunc animo praesagiunt, remotis Sacerdotibus sensim Catholicam Religionem pessum ituram, charamque posteritatem suam, cuius salutem, non minus quam propriam, curare, Divina ac naturæ lege debet cum certissimo salutis æternæ dispendio, per devia erroris novitii præcipitia, raptandam. Ideoque, et palam gemunt, et tacite suspirant, et avitam Religionis Catholicæ libertatem restitutam, votis omnibus expetunt. Vetus ac verum verbum est: *Qui bona fide Deum colit, amat Sacerdotes.* Norunt et illud Catholicæ, Bona Ecclesiastica adimi, Sacerdotum immunitatem violari, sine Sacrilegio ac Excommunicationis lethali vulnere, haud posse. Nec reatum tanti sceleris relaxari, nisi facta damnorum omnium refusione; atque ideo, qui reipsa, non nomine tenus est Catholicus, Statuta Betlenii suo assensu firmare haud potuit. Permulti etiam a nostra Religione alieni, hoc est omnes maturi, graves, ac prudentiæ obtutum longius protendentes, tam barbara ac inhumana, tam aculeata ac æstum furoremque iuvenilem spirantia Decreta, palam aversantur, eversasque totas Ungariæ leges ac libertates, libere conqueruntur.

Quod si liberius aliquid pro veritate dixisse videbor, veniam haud gravate dabit Princeps Betlen, si animo recoluerit, quid prius in nos dixerit ipse feceritve. Ego sapientiæ æternæ decretum illud,
Eccl. 4. v. 24. Sacerdotali libertate sequor, *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.*

Caput II.

QUAE IURA ECCLESIARUM EVERSA BETLENII SANCTIONE?

Ex quo Catholicæ Religionis fundamenta apud Hungaros iacta, hoc est, ab eo ipso tempore, quo gens nostra, Scytica feritate deposita, Reges ac Leges habere cœpit, summo studio actum est, ut et sacrosancta Religio Catholica inviolata conservaretur, et ordo Sacerdotalis amplissimis libertatum ornamentis effloresceret. Ita

enim omnes existimarunt, tamdiu felices fore Reges, quamdiu in Deum pii, in Ecclesiam et Ecclesiæ ministros, decessorum suorum exemplis, munes essent.

Proto-Rex noster Sanctus Stephanus, quanto Catholicæ Religionis conservandæ studio æstuaret, produnt aurea quibus filium alloquitur hortamenta. *Præcipio*, inquit, *consulo, suadeo, fili charissime, si Regalem cupis honestare Coronam, ut fidem Catholicam et Apostolicam diligenti custodia conserves. Qui enim false credunt, vel fidem bonis non implet operibus, nec hic honeste regnant, nec in æterno Regno participant.* Et adiicit æternum valitura lege: *Ad Regalis dignitatis ordinem, non oportet nisi fideles, et Catholica fide imbutos, accedere.* Nec solum legibus Hungariæ generatim sancitum, universos damnatae hæresi adhærentes, criminis læsæ Divinæ Maiestatis reos, et *Infidelitatis nota maculatos esse: Verum, ad solam Lutherani nominis famam, adeo zelus Catholicissimæ gentis exarsit, ut sæpius repetitis Regni Decretis, velut certissimam patriæ pestem ac perniciem, longissime arcendam, concordi omnium suffragio decernerent. Anno 1523. Articulo 4. lege lata, hunc in modum statuitur: Omnes Lutheranos, ei illorum fautores, ac factioni ipsi adhærentes, tanquam publicos Hæreticos, hostesque sacratissimæ Virginis Marice, pœna capitis, et ablatione omnium bonorum, Maiestas Regia, velut Catholicus Princeps punire dignetur.* Anno vero 1525. Art. 4. ita rursus: *Lutherani omnes de Regno extirpentur, et ubicunque reperti fuerint, non solum per Ecclesiasticos, verum etiam per sacerdotes personas libere capiantur et comburantur.* Lues interim Sacramentaria emersit, contra quam Anno 1548. lex undecima hunc in modum lata: *Anabaptistas et Sacramentarios procul expellendos esse de omnium bonis, nec amplius illos, aut quenquam illorum, intra Regni fines esse recipiendos.* Eiusdem Anni lege sexta, *Hæreses ubique tollendæ, et Religio ad pristinam normam redigenda, præscribitur.* Sed ubi contra tot legum munimenta, irrumperet nihilominus coluber tortuosus, ac ut cancer serperet novitiorum dogmatum colluvies, rursum, Anno 1550. lege 12. stabilitum fuit: *Enitendum esse modis omnibus, ut sancta et Catholica fides, ac Religio, Deique cultus iuxta veterem Sanctorum Patrum doctrinam, longo tempore, per universum orbem Christianum recepta et approbata, ubique in Regno restituatur. Evulsisque undique hæresibus, et impiis doctrinis, sanctæ Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ, quæ unica est, sibi perpetuo constans, errare non potest, omnes ex*

*s. Steph. lib. 1.
Decretor.
cap. 1.*

*Tripart.
parte 1.
Titt. 14.
Matth. 1.
Dec. 1.
Artic. 2.
Vladis.
Decr. 2.
Art. 4.*

*Anabapt.
De vide
Ann. 1556.
Art. 26.*

omnibus Ordinibus et Statibus Regni, perpetuo adhæreant. Denique ne singula recensendo, tedium pariam, Anni 1552. Artic. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1554. Art. 7. Anni 1563. Art. 32. prædictæ Constitutiones omnes renovantur, ac rursum stabiuntur.

Et licet Catholicorum lenitate factum sit, ut legum præsidio, segnius quam par erat, gliscenti errori occurreretur, nulla tamen legibus nostris libertas novitiis dogmatibus permissa, ante annum 1606. Tunc demum, 23. Iunii, ad redimendam importunissimæ rebellionis vexationem, Turcicaque ac Bochkaiana arma avertenda, Viennensi tractatione, extorta fuit, contradicente Statu Ecclesiastico, omnium libertas Religionum, maximo Politizantium Catholicorum errore, quos experientia sero docuit, nunquam Religionis præiudicio, publicam Regnorum securitatem redimi, sed novis ac gravioribus revolutionibus viam sterni. Iusto Dei præpotentis Iudicio eos verberante, qui suam quietem Religionis detrimento mercari volunt. Verum ea ipsa concessione reservatum fuit, ut *absque*

^{Artic. 1. Vienn.} *præiudicio Romance Religionis* libertatem usurpent Novatores, et ^{Ibidem. Art. 6} *ut Clerus ac Templa Catholicorum intacta maneant.* Præterea, facta de Titularibus Episcopis insolita restrictione, non solum ut

^{Originalis litteræ apud Palatinum assertur, n. 4. 5.} cæteri in suo gradu persistant, verum etiam *ut Præposituræ et Abbatiae maneant in suo Statu, et fundatione, sancitum.* Atque ut

maior foret huius Statuti firmitas, Regnum Bohemiæ, Moravia, 6. 7. Silesia, Austria superior, et Inferior, authenticis Diplomatibus, partim 25. partim 26. Septembris, eodem anno 1606. datis, vades se, ac fideiussores observationis Statuti Viennensis constituerunt. Vicissim Ungari, tam qui in fide Imperatoris Rudolphi perstiterant, quam qui Bochkaio adhæserant, totius Ungaricæ gentis nomine, 23. Septembris, strictissimis reversalibus sese obstrinxerunt, quod Capitulationes Viennenses, tam ipsi, quam Successores ipsorum, inviolabiliter observabunt. Neque his tot cautelis contenti, Anno 1608. cum Archiducatu Austriæ Posonii prima die Februarii, cum Moravis autem Aevansitii decima nona Aprilis, arctissimam iniere confœderationem Ungari, qua id unicum cavebatur, ut memoratas Viennenses capitulationes omni ope defenderent. Denique, Ungariæ Reges, qui post Viennensia Statuta, legitima via ac ratione Corona insigniti fuerunt, dum inaugurate, ad eadem Viennensia pacta observanda, peculiari rescripto semet obstrinxerunt.

Iam vero Ecclesiastici Ordinis ornamenta, Iura, Privilegia, legibus nostris comprehensa, longissimique temporis usu ac præ-

scriptione roborata, vix brevi oratione, percenseri possunt. Deli- Tripart. part.
babō summa capita, ut constet orbi universo, quantum a patrita 1. Titt. 2.
maiorum pietate degener posteritas abierit.

Principio igitur, de personis Ecclesiasticis, ita leges loquuntur: ¹ Idem habetur
Quamvis personæ spirituales personis sacerdotalibus digniores haben-
tur, tamen omnes Domini Prælati, ac Ecclesiarum Rectores, ac
Barones, et cæteri Magnates atque Nobiles Regni, ratione Nobili-
tatis, et bonorum temporalium, ¹ Una, eademque libertatis, exem-
ptionis, et immunitatis prærogativa gaudent. Et sane, Proto-Rex ^{parte 1. Titt. 9.}
noster, Sanctus Stephanus ² a quo libertas tam Nobilium, quam ^{fin. Parte 2.}
aliorum, instituta, Ordinem Pontificum, Principibus, Baronibus, ^{2 Decreti Aud.}
Comitibusque præire ³ diserte sancit; ac non interruptus logissimi
temporis usus, in literis Regiis, sessione, suffragiis, dignorem ^{2. 2. præam-}
semper Ecclesiasticis locum præbuit, unico Regiæ Electionis casu
seposito, in quo ⁴ si Palatinus tunc fuerit, ipsius suffragium præ- ^{3 Lib. I. De-}
cedere, singulari statuto cavetur. ^{4 Anni 1485.}
^{Artic. 1.}

Illud quoque ad Ecclesiastici Ordinis dignitatem spectat, quod
⁵ Primas Regni, Summus et Secretus Cancellarius, ac Regiæ Maiestatis Personalis præsentia, sit Archiepiscopus Strigoniensis, qui ⁶ et
duos Iudices in Sanctori Senatu Iudicantium, habere solet, et si ipse-
met ('qui unus est ex Iudicibus Regni ordinariis) non intersit Iudiciis, ⁷ Anni 1538.
⁸ Locum tenens, qui sigillum Iudiciale Regiæ Maiestatis tenet, quique ^{Artic. 15.}
hodie personalis vocari consuevit, eius absentiam supplet. ^{8 Matth. 1. De-}
^{cret. 6. Art. 68.}

Prærogativam dignitatis Ecclesiasticæ et illa continent, ⁹ quod Vladis. Decret.
in actionibus personalibus, a sacerdotali Iudice conveniri non pos- ^{1. Art. 42.}
sunt, sed Iudices Clericorum Archiepiscopi sunt, vel Episcopi: ^{9 Decret. Co-}
¹⁰ quod si Clerici testimonia dicentes, ad puritatem conscientiæ ^{10 Tripart. par.}
aliquid affirment, iuramenti instar habeatur. ¹¹ Archiepiscopus vero ^{2. Titt. 40. et}
Strigoniensis, ne id quidem in propria persona, sed per Officiales, ^{Anni 1537.}
præstare tenetur. Denique ¹² quod, ut statuta Regni vim legis obti- ^{Art. 5.}
neant, Prælatorum assensus concurrat, oportet. ^{11 Anni 1550.}
^{Art. 64.}

Finem non facerem, si longo ordine percensere vellem singula, quæ leges Hungariæ de officio ac Iurisdictione Prælatorum, de causis Ecclesiastici Tribunalis, de Ecclesiarum ac Monasteriorum visitationibus, denique similibus aliis rebus præscribunt. Quibus omnibus omissis, ea breviter annotabo, quæ de bonis Ecclesiasticis, sapientissime sunt nostris legibus constituta.

Multiplici lege lata sancitum est, licere cuique dotare Ecclesias, ac bona fortunasque suas illis elargiri, S. Stephani Decreto. 2.

cap. 5. S. Ladislai Decret. 1. cap. 5. et 23. Atque ideo (ut Ferdinandus primus, Decreto Anni 1560. sapienter dixit) non soli Reges Ungariæ, sed et alii pii et devoti erga Deum Religionemque Christianam, bonis et Iuribus possessionariis dotarunt Ecclesias.

¹ Tripart. par. 1. Tit. 84.
² S. Ladis. Dec. 1. c. 23. Part. 1. Titt. 10.
³ Colo. Dec. 1. cap. 1.
⁴ Vlad. Dec. 7. Art. 27.
⁵ Ann. 1559. Art. 21.
⁶ 2. parte Titt. 44. 51.
Vlad. Decret. 7. Art. 27.
⁷ Ferd. An. 1537. Art. 19.
⁸ Vlad. Dec. 3. Art. 55.
Maxim. 1567. Arti. 31.
Fol. 745. Decret.

Hæc autem largitas, ita facta, ut ¹ *Bona Ecclesiis in perpetuas Eleemosynas sint collata*, Ideoque vetitum, ² *Ne is qui res suas, aut prædia Ecclesiae dedit, ulla interveniente causa, ea subtrahere audeat*, sed neque Rex noster potest ab Ecclesia auferre bona, vel sequestrare: Nam ³ *Dotes ciuiuslibet possessionis Ecclesiis dispositæ, inconvulsæ remanere debent, nec ⁴ Bona Ecclesiæ amitti possunt.* Quocirca Ecclesiasticis ⁵ *in præiudicium suorum successorum, nemini quicquam de bonis et Iuribus Ecclesiæ concedere licet*; et ⁶ si Clericus crimen admiserit, ob quod sæcularia bona Fisco addici consveverunt, ipse quidem degradatus in persona punitur, bona tamen Ecclesiastica amittere haud potest. Hæc causa fuit, cur maiores nostri sanciverint, ⁷ *ut Regia Maiestas Ecclesias quæ in manibus Laicorum habentur, liberet, et ne aliquam earum cuiquam in futurum Inscriptat, ac sæpius repetitis Decretis caverint, ⁸ Ne sæculares Bona Ecclesiarum ullo pacto pro se usurpent.* Deinde Ferdinandus primus, pragmatica sanctione Anno 1560. declaravit, *Teneri Reges Ungarice, modis omnibus procurare, ne Bona Ecclesiastica semel Deo et eius cultui consecrata, in usus profanos convertantur: Concludit. Universa bona Ecclesiastica, quocunque nomine, cuicunque sæculari collata, et Donata, (quam donationem nullius roboris esse pronunciat) statim et de facto occupentur, ac Ecclesiæ restituantur. Sæpe alibi quoque Decretum, ut. Ecclesiastica bona Ecclesiis restituantur, *Decreto Huniadi Ann. 1446. Art. 2. Fol. 127. Szilagi An. 1458. Art. 1. Ferdinandi An. 1586. Art. 6. etc.**

Hæc tot et tanta Ecclesiasticorum Privilegia, ut eo sanctius illibata servarentur, quo arctius ad earum custodiam Regia Maiestas stringebatur, conceptis verbis, solemini formula, Regia Maiestas, dum inauguratur, iurat, *Quod Ecclesias Dei, Dominos Prælatos, in suis Iuribus, Privilegiis, ac Antiquis Bonis, et approbatis consuetudinibus, conservabit.* Regni quoque Palatinus, his ipsis verbis, publicum Iurisiurandi Sacramentum concipit, *Volo omnes Status huius Regni Ungarice, tam Spirituales, quam Sæculares, in eorum libertatibus et Iuribus, quatenus ad officium meum pertinet, tutari, protegere et defendere.* Nec solum S. Stephanus *Decret. 2. cap. 4.* diligenter iubet, ut Ungari animas suas ponant pro Sacerdotibus,

sed et crebris Regni Decretis iniungitur illibata Sacerdotalium privilegiorum custodia *Anno 1559. Art. 41.* etc.

Quid in hac, tam longa præscriptionis serie roborata, tot sæculorum usu, tantis legum firmamentis, tam arcto Regii ac Palatinalis iuramenti vinculo solidata Ecclesiastici Iuris firmitate, hirudines et vomicæ bonorum Ecclesiasticorum? Id agunt, quod hucusque actitavit, ubi pedem fixit, ac præevaluit, nuper nata novorum dogmatum pestilis. Rapacitate inaudita, bona Ecclesiarum depeculantur, ruptisque omnibus Divinæ et humanæ Iustitiae repagulis, per vim ac Iniuriam, bonorum possessione, et veteri dignitate, Ecclesiasticos universos deturbant. Et ut nihil ad summam malignitatem desit, quod nefarie perpetrarunt, iniquissimarum legum præsidio stabilire volentes, Statuta seu Decreta, ab omni, etiam urbana ac Civili humanitate alienissima, prorsus iniqua, invalida, ipso Iure nulla condunt, quibus rapina Ecclesiastica stabiatur, hoc est, Metamorphosi plusquam poetica, et Iudices, et Legislatores fiunt, legum omnium eversores notorii.

Tria sunt porro quæ unius, alteriusue præcipitis adolescentuli consiliis rotata Betlenii potentia, contra ordinem Ecclesiasticum, inique ac impotenter statuit.

Primum est. *Tractatus Viennensis, ac Articulorum Matthiae secundi, ac universas singulas particulas, Statutum Cleri Romano-catholici, et bona eorum, item ordinem Iesuitarum concernentes, penitus cassat, abolet, annihilat, sicut etiam passim in generalibus constitutionibus Regni sancitos Articulos.* Vident oculatissimi vulturii, quod si Ius et æquum retineatur, palam iniqua, ac legibus castigata ipsorum procacitas, ad Orcum rude nata, retrudetur; ideoque leges antiquissimas, uno spongiæ ductu oblitterant. Nempe ut fidem arbitrariam habent, ac id Sanctum est, quod ipsis adlubescit, ita leges nutu, ac palato suo metiuntur. En charitatem: En Iustitiae legibus cœrcitam Evangelicam, si Deo placet, mòderationem: ut, libertates, ut Iura Regni, Evangelico-Lutheranis, aut Epistolico-Calvinistis, illæsa permaneant, magnopere requirunt; ne cæteris leges suffragentur, impense adlaborant. *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Eodem pro te, et aliis pondere, eadem mensura, si non uteris, Deo abominandus constitueris, dignus ut patiare legem, quam ipse in alios tuleris.

Alterum Statutum est. *Ut bona Ecclesiastica omnia in usus Regni publicos applicentur, ita ut quæ potiora fuerint, semper, pro Nonizoliens. Art. 8.*

Conditione 1. a
Betlen
acceptata.

Proverb. 20.
v. 10.

peculio Coronæ retineantur, sicut et Decimæ, sive in arenda, sive in specie colligi consuetæ. Reliqua vero omnia et universa Bona Ecclesiastica, quæcunque, qualicunque, et cuiuscunque generis fuerint, aut ubicunque intra ambitum Regni Ungarie extiterint, inscribantur et Impignorentur.

Nonizol. Artic. 5. et 6. *Ad hæc Archiepiscopatus, Episcopatus, Præposituras, Abbatias omnino abrogant, præter tres Episcopatus, Titulo-tenus conservatos, Agriensem, Nitriensem, Iauriensem, singulis bis mille florenos ex Fisco deputantes.*

Constit. Novi- zol. Art. 24. 25. 26. 27. *Tertium Statutum est. Ut nominatim ego Archiepiscopus Stri- goniensis, aliique complures, nisi ante festum S. Michaelis Anni 1620. unioni subscribant, ac gratiam Betlenii exquirant, proscripti ac exilio mulctati simus.*

Hæc ego Statuta dum legerem, facile animaduerti, non tam verbis, quam re, et facto, exprobari nobis, errorem nostrum; et quæ a Catholicis pridem fieri oportuerant, non sine tacitæ reprehensionis acriore morsu, exemplo commonstrari: quin et in futu-
rum quid opus sit facto edoceri. *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi, retributionem quam retribuisti nobis.* Nec Evangelici succensere potuerunt, si quis Evangelium secutus, *eadem mensura, qua mensi sunt aliis, remetiatur illis*, si mensuram plenam, et confertam, et coagitatam, et superfluētem, dederit in sinum ipsorum. Sane Propheticum illud, tam Ecclesiasticus ordo, quam exteri indignissime tractati, audire sibi videntur. *Nocentes peribunt qui te vexaverunt, et qui gratulati sunt in tua ruina, punientur. Sicut enim gavisi sunt in tua ruina, et lætata est in casu tuo, sic contristabitur in sua desolatione. Et amputabitur exultatio multitudinis eius, et gaudium eius erit in luctum.*

Baruch 4.
v. 31. 34.

Sed Deo ista committo. Illud magnopere notandum moneo. Et Viennensis pacificationis Articulos, et Matthiae II. Decreta et Conditiones regnandi modernæ Cæsareæ Regiæque Maiestatis, quarum supra meminimus, in punctis haud sane paucis aut minutis, Bonorum Ecclesiasticorum ademptione, Episcopatum eversione, tot immerntium illegitima damnatione, convelli ac prorsus violari. Ex quo illud consequens est, et fideiussionem Provinciarum antea recensitam, penitus eliberatam; et confœderationem Posonii ac Aevansicij initam omnino rescissam: et regnandi Conditiones quas memoravimus eversas esse, eo quod his omnibus repugnantia sint Novizolii constituta: qui autem pactis non stetit, frustra ab aliis conventorum constantiam requirere, notius est, quam ut longiori probatione ostendi debeat.

Caput III.

DEFECTU COMPETENTIS IUDICIS AC LEGISLATORIS,
STATUTI BETLENIANI NULLITAS EVINCITUR.

Populus Ungariæ, dum adhuc ritu viveret gentilium, condendæ legis, ac constitutionis, potestatem ipse habuit. Verum posteaquam ad fidem Catholicam conversi, sponte sibi Regem elegerunt, tam legis condendæ, quam collationis possessionariæ, atque omnis Iudicariæ potestatis facultas, in Iurisdictionem Sacræ Regni Coronæ, qua Reges coronari solent, et subsequenter Regem nostrum legitime constitutum, translata est. Quanquam, ne ipse quidem Rex coronatus, ac legitime constitutus, suo nutu, constitutiones publicas, sancire potest, sed populi consensus acedat oportet, ac demum, quod et Regi et populo placuit, Statutum censetur. Populi autem nomine hoc loco intellige, Dominos Prælatos, Barones, Magnates, ac Nobiles.

Ex his legum Hungaricarum firmissimis fundamentis, constat, eum qui Corona Regni insignitus non fuerit, nec Constitutiones condere, nec suprema Iudicariæ potestatis facultate fungi posse: Nam hæc omnis potestas, in Iurisdictionem Sacræ Coronæ collata subsequenter Regi coronato attributa fuit. Quocirca, * privilegia et Statuta etiam Legitimorum Regum, ante coronationem edita, firma non esse, leges nostræ tradunt. Nec sufficit, si quis Regio diadema quounque modo redimitus fuerit, requiritur, *ut legitime constitutus sit in Regem.* Eapropter, etsi Stephanus Quintus, *Iunior Rex Ungariæ, et Dux Transylvaniæ,* diceretur, eius tamen acta, ante Regni gubernacula iuste suscepta, invalida declarantur. Denique ipse quoque Rex Ungariæ, legitime constitutus, ac rite coronatus, Prælatorum voto non expetito, Statutum condere haud potest, ut ex Patriis legibus audivimus.

Quæ cum ita sint, facile per se in oculos incurrit, Iudicis ac Legislatoris incompetentia, qui iniuste usurpata potestate, Statum Ecclesiasticum prægravat. Nam tametsi Betlen vani decoris aura transversum actus, temeritate sua quietem Ungariæ corrumpendo, tranquillitatem et alcedonia conturbarit, nihilque esse, quam non Regnum vel Scenica ostentatione degustare maluerit, ab hominibus

otiosis, et præcepta de prudentia propria opinione credulis fascinatus, Rex ludibrio creari voluerit: Constat tamen universis, ipsum nec sacra Regni Corona redimitum esse, nec Regium quem arrogat titulum legitime usurpare, nec denique solii Regalis capacem esse.

Primo quia legibus Ungaricis, ab ipso Proto-Rege S. Stephano,

S. Steph. lib. 1. libertatis ac Nobilitatis Ungaricæ fundatore, latis, cautum est, Ne cap. 1. ad Regalis dignitatis ordinem accedat, nisi fide Catholica imbutus.

Eam fidem Catholicam requirunt leges nostræ, in omnibus Ungariæ Regibus, quam S. Stephanus, secundum Deum, in Ungaria plantaverat, quam et hodie profitemur, ut ex ipsius S. Regis Decretorum lib. 2. cap. 9. 10. 11. 18. etc. liquido apparet. Cum igitur Betlen, ab avita Religione Catholica sit alienus, palam est, Regii fastigii capessendi suffragia, cadere in ipsum non posse. Legem vero Sancti Regis, tot Sæculorum non interrûpto usu roboram, abrogari Novizolii non potuisse, latius infra commonstrabimus.

Secundo iuxta antiquas legum nostrarum sanctiones, neque

1 S. Stephanus. Comitia legitima celebrari ¹neque Rex aut Princeps constitui potest, Dec. 1. cap 3. sine interventu Prælatorum. Sed neque coronatio Regis rite peragitur nisi per Archiepiscopum Strigoniensem. Nam ut vere scripsit

Petrus Revai de Sacra Corona Fol. 95. Dominus Petrus Revai, Reges gentis nostræ coronandi sacrisque Regalibus initiandi, ab initio semper, munus Archipræsulis Strigoniensis fuisse, et nunc esse, ei qui vel primis labris Historias, et Regni Hungaricæ constitutiones degustaverit, perspicuum est. Id quod et vetustissima Archiepiscopi Privilegia habent. Cum ergo nec electus a nobis sit Betlen, nec Comitiis quibus eligi voluit interfuerit primarius Regni Status, nec unquam ab Archiepiscopo Strigoniensi Coronam sperare possit, nullo iure usurpari a Betlenio Regia nomina manifestum evadit.

Tertio. Ut taccemus prærogativam Regii seminis, crebro legibus nostris repetitam, præsertim Anni 1485. Art. 1. 2. 3. de officio Palatinali. An. 1547. Artic. 5. Ann. 1552. Art. 1. An. 1569. Art. 33. Ne ipsa quidem negare potest impudentia, Sacratissimam Cæs. Regiamque Maiestatem Ferdinandum II. rite electum, ac Sacra Corona redimitum, legitimum esse Regem Ungariæ. Nam singulari Dei providentia factum, ut dum Anno 1618. Electio peragebatur, speciali diplomate assecurari voluerint Status Ungariæ, publicis Decretis Regni insertum iri, quod ipsi Serenissimum

Dominum Ferdinandum, Regem Bohemicæ, Sacri Romani Imperii Electorem, etc. iuxta antiquam consuetudinem, et libertatem eorundem semper observatam, paribus votis, unanimique consensu, in Dominum ac Regem ipsorum rite elegerunt, proclamarunt, invocatoque Numinis Divini auxilio, feliciter etiam coronaverunt. Quæ totidem verbis inter eius anni Statuta, publicis Regni Tabulis inserta leguntur. Hæc tam clara, tam firma totius Regni testificatio, verum, indubitatum, legitimum, more maiorum Electum, rite coronatum Ungariæ Regem esse Ferdinandum II. evidenter monstrat. Nemo igitur alius, Regii in Ungaria tituli capax esse potest. Nec in arbitrio subditorum positum est, ut quem semel Regem elegerunt, ludicra Metamorphosi, quoties collibuerit, abiiciant, præsertim cum Rex ipse, sancte et inculpate, iuxta legum præscripta, subditos moderatur. Id quod Ferdinandum II. exacte præstisset, Status et Ordines omnes Ungariæ, in Generali eorum Diæta, vix uno mense antequam Betlen Hungariam invaderet, his ipsis verbis contestati sunt: *Sacrae Regiæ Maiestati, Domino et Regi ipsorum Clementissimo,* Dieta An. 1619. *Status et Ordines Ungariæ, immortales humillime agunt gratias, quippe cum videant suæ Maiestatis erga eosdem fideles Status et Ordines eam esse benignitatem, ut sua Maiestas, nihil omnino eorum, quæ vel vigore diplomatis sui Regii, vel Articulorum tempore fælicis suæ coronationis sancitorum, stabilita fuerant, in sese desiderari patiatur.* En publicam de æquissimo, et undequaque inculpato Regimine testimonium. Quemadmodum igitur, Nobiles a Rege creati, et bonis donati, Iure nobilitari spoliari, aut possessionibus bonorum exui, sola Regis voluntate non possunt; Ita, potiori Iure, legitime coronato Regi, Ius Regium adimi, et ad nutum subditorum, in alium transscribi nequaquam potest, cum hic vel maxime locum habeat Iuris regula, *quod semel placuit, displicere non poterit.* Quocirca, etsi non sim nescius, *Regna minori periculo amitti, quam quæri, alias enim homines, ut vestes, sic honores, ac dignitates impune induere, ac exuere: Regna nonnisi cum vita deponi: Nam in solium intrantes, caput inferre, inde nisi pro tractum pedibus, qui semel intraverit, efferri non posse.* Si quis tamen etiamnum supereret Divini Humanive Iudicij metus in animo Betlenii, eum ego Christiano, ac Sacerdotali affectu, monitum cupio, Ne se, ne alias, si ulterius pertendat, præpostera ac morosa prudentia, in manifestum exitium præcipitet; Ne ministris furore cæcis et tanquam sub brevi imperio festinantibus in ruinam, credulas aures præbeat;

Thuan. lib. 70.
Hist.

Ne nova bellorum incendia spargat; Ne Regni Ungariæ eversionem floci faciat, ac dum inexplebili cupiditati morem gerit, attritis utrinque viribus, potentissimo simul et impotentissimo Turcarum tyranno, ad internetionem Christiani nominis viam aperiat, sed quem propriæ conscientiæ testificatione legitimum Ungariæ Regem intelligit, eidem sua Iura illæssa permittat, nisi Divinæ ultionis memorabile exemplum statui in se velit, aquo omnes discant ab omni maleficio, et iniuria temperare, Memores, quod cuiquam fecerint, id sibi a quovis expectandum esse.

Quarto. Nec legitimis Comitiis Electio Betlenii peracta est, nec ab Ordinibus universis, nec more maiorum, sed tumultuaria conclamatione seditiosorum, cum omnia metu ac trepidatione plena, cum Comitiorum locus armatis cinctus, cum certa mors abnuentibus denunciata fuisset. Comitia quidem authoritate Sacratissimæ Cæs. Regiæque Maiestatis Inducialium diplomatum vigore ut fierent, obtinuerant. Intelligebat siquidem, Regalibus literis, Regia duntaxat authoritate, legitima Comitia publicari ac celebrari posse. At vero postquam sua Maiestas animadvertisit, non ad quietem publicam conciliandam, (prout facturum se receperat) uti Betlenium his Comitiis, sed novis conspirationibus, et animos Regnicolarum magis magisque, a suæ Maiestatis obsequio abducere, et Rebellium Bohemorum factiones fovere; per Commissarios suos, et Diætæ finem Cæsar imposuit, et spe facta aliorum Comitiorum in quibus suffragia dici possint, acta omnia, ac deinceps agenda, ac concludenda Novizolii, Regia authoritate rescidit, ac prorsus abolevit. Posteaquam igitur legitima Comitia esse desierant, primo ac præcipuo Regni Statu Ecclesiastico absente, reclamantibus ac protestantibus multorum Comitatuum Legatis, quibus iniunctum a suis principibus fuerat, ut Sac. Cæs. Regiæque Maiestatis dignitatem, ac authoritatem, modis omnibus tuerentur, bonis omnibus abnuentibus, temeraria factiosorum acclamatione, Rex Betlen consalutatus fuit. Quæ cum ita sint, nemini dubium esse potest, Scenicam hanc, ac prorsus evanidam Betlenii Electionem, electioni vicinam, nullum Ius, nullam regendæ Ungariæ authoritatem, ipsi attribuisse, sed præsumptum, usurpatum, raptum, Tyrannicum esse, quicquid ipse sibi arrogat, ac impotenter exercet.

Quinto: Notorium ac publicum est, Betlenium dum *Anno 1613.* pulso Domino suo, in Principatum Transylvaniæ, Turcicis copiis vim et metum admoventibus, intruderetur, inter alias regnandi

conditiones Typis Claudiopoli in Transylvania publicatas, secundo loco, illud Iureiurando interposito promisisse, *Quod cum Romanorum Cæs. Maiestate, et Regno Hungaricæ, bonam vicinitatem, et pacem sollicite servabit*. Præterea, in utroque tractatu Tyrnaviensi Anno 1615. ac Anno 1617. fide publica, Diplomate principali, interposita assecuratione totius Transylvaniæ, Authenticis scripturis roborata, promisit idem Princeps Betlen, *Quod contra legitimos Reges Ungaricæ, Augustissimam Domum Austriacam, Regna et Provincias cum quibus sua Maiestas singularia pacta habet, nullo unquam tempore, aversam et hostilem prætensionem habebit*. Quod idem Princeps Betlen, una cum Statibus et Ordinibus Transylvanicæ promittit suæ Maiestati, suis Successoribus legitimis, Regno Hungaricæ, quod quandocunque necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes (excepto Turca) omni ope, auxilio, viribus et fidelitate aderunt, sed et illud pariter adpromisit. *Quod præsidia et Confinia Ditioni Transylvanicæ subiecta, nunquam a corona Regni Hungaricæ abalienabit*. Hæc omnia, tam sancte promissa, quam religiose observarit Princeps Betlen, me tacente, res loquitur. Illud fidenter dico, quisquis huiusmodi Iuramenta palam violarit, is, ne infimum quidem ac tenuissimum hominem, ullius culpæ aut delicti accusare, vel testificatione premere potest, nedum iudicare.

Sexto. Ea est primaria Nobilitatis Ungaricæ prærogativa, Tripart. part.1.
Tit. 9.
Quod Nobiles, nullius, præterquam Principis legitime coronati subsint potestati. Nobilium nomine hoc loco intelligendo, universos Dominos Prælatos, Barones, Magnates. Cum igitur Principis Betlenii, et adhærentium ipsius potestati, nemo Ecclesiasticorum, nemo vel minimus Nobilium de Iure subsit, nullam ab ipsis contra nos legem Statui, nullam proferri sententiam posse, rectissime contendimus.

Septimo denique, Patriis legibus cautum est, ¹ Ne in actionibus personalibus, per Sæcularem Iudicem conveniri possint Ecclesiastici: sed et illud additum ² *Testimonium Laici adversus Clericum, nemo accipiat*. Igitur iure nostro utimur, cum proscriptiones, depositiones, oppressiones Cleri, per Betlenium factas, temerarie præsumptas, iniuste usurpatas dicimus. Palam enim ac solemniter protestamur, Principem Betlen, et eius sequaces, Iudices personarum nostrarum esse non posse.

¹ Colon. De-
cret. lib. 1. c 5,
6, 14 S. Ladis.
lib. 3. cap. 25.

² S. Stephanus.
lib. 2. Decret.
11. c. 3.

Caput IV.

DEFECTU LEGITIMI PROCESSUS, CONSTITUTIONIS BETLENIANAE VANITAS COMPROBATUR.

Divini humanique Iuris interpretes universi, magno assensu pronunciant, Iniquam, Iniustum, penitus nullam esse, etiam competentis Iudicis sententiam, nisi præcedat legitima causæ cognitio, processusque Iuridicus: hoc est, nisi citatus, accusatus, auditus, ac denique Iure convictus fuerit qui condemnatur. Nam, ut quondam ab oratore summo dictum est, *quid indignius, quam qui neque adesse iussus sit, neque accusatus, de eius capite, ac fortunis omnibus, iudicetur?* Prudenter Tacitus, *Inauditos atque indefensos tanquam innocentes perire, dixit.* Nam

Tacit. 1. Histo

Seneca
in Medea.

*Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.*

Ammian.

Quamobrem et Lotharius II. ut incorrupti Iudicis partes exequi se ostenderet, symbolum illud prætulit. Audi alteram partem, et Alexander Macedo, quoties accusantem audiebat, alteram occludebat manu auriculam, defensori eam servatam volens. Cum itaque, *Nemo innocens esse possit, si accusasse sufficiat,* sapienter monuit Euripides, *Nihil utilius esse prudenti Incredulitate.*

Genes. 3. v. 11.
Genes. 18. v. 21.

Ioann. 7 v. 21.
51.

Deus ipse, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, etsi non ignorabat, quid contra suum interdictum, Adam et Eva perpetrassent, Evocavit tamen utrumque, et quasi quæstionem, cauſæque cognitionem instituit: utrumque audivit, ac tum demum in convictos, sententiam pronunciavit. Admirabilius illud, quod non contentus foedissimorum, sceleratissimorumque Sodomitarum clamore, *Descendam inquit et video, utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint, an non est ita? ut sciām.* Deus cui nuda sunt omnia, et aperta, non ignorabat scelera Sodomorum, et tamen, ut mortalibus Iurisdictionem exercentibus, exemplo præluceret, ne præcipitarent iudicia, sed audita relataque acriter examinarent, *Descendam inquit et video.* Iudæi quoque cum aliquando Christum ne sententiam præcipitarent, eo arguento evicit, quod secundum legem, nemo nisi auditus, damnari possit. Pari ratione, dum instanter

Apostoli Pauli perniciem urgerent Iudæi, Portius Festus, projectam ipsorum temeritatem ita repressit: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquam hominem prius, quam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

Actor. 26.
v. 25. 16.

Quid de legibus nostris dicam? nihil crebrius, nihil efficacius inculcant, quam ut nemo ad cuiusvis clamores, lamenta, querelas, nisi legitime citatus, accusatus, convictus, damnetur. Andreas Hyerosolimitanus, eo ipso Decreto, cuius ¹ Regii Juramenti for-
mula meminit, sancte promittit, ² nec se, nec posteros suos, Nobilem capturum, vel destructurum, nisi primo citatus, et ordine Iuridico convictus fuerit. Præterea in Tripartito primum illud ponitur Nobilium privilegium, quod etsi gravissimum crimen perpetrarint, si tamen de loco delicti aufugerint, non aliter nisi citatione mediante, processuque Iuridico, damnari et aggravari possint, Secundum Privilegium illud dicitur, quod Nobiles Regni, nullius præterquam Principis legitime coronati subsunt potestati, et ipse quoque Princeps, ad simplicem querelam, et sinistram suggestionem alicuius, nominem eorum præter viam iuris, et altera parte non audita, in persona, vel rebus suis, ordinaria autoritate impedire potest. Additur vero, Per Nobiles hoc loco intelligi generaliter universos Dominos Prælatus, Barones, Magnates. Tempus me deficeret, si recensere vellem, quoties hæc ipsa lex renovata, confirmataque fuerit. Videatur Decretum I. Vladis. Art. 11. Matthiæ 1. Decret 2.

Art. 18. et Decret. 3. Art. 10. etc. Atque in hoc verti cardinem libertatis Ungaricæ, non obscure indicarunt maiores nostri, dum hoc privilegium Nobilitatis, et expresso Regiæ Maiestatis Iureiurando roborari voluerunt, et aperte declararunt, quod si Rex ipse contrarium attentarit, tunc sine nota alicuius infidelitatis, liberam illi resistendi et contradicendi habent facultatem tam Episcopi, quam alii nobiles Regni, universi, et singuli; O libertas, tanto maiorum nostrorum sanguine parta, in quantam servitutem degenerasti? Non unus quis e promiscua nobilitate, sed primus ac supremus Nobilitatis Ungariæ Status universus, cruda, ac prorsus Dacica sanctione, nec citatus, nec auditus, nec ullius sceleris convictus, lata præcipiti, et inconsulta sententia, honoribus exxitur, bonorum possessione exturbatur. Una est eademque libertas status Ecclesiastici, ac reliquæ Nobilitatis Ungaricæ, ut superius ex patriis legibus monstravimus: perniciose itaque ad posteritatem exemplo, tota prorsus Ungaricæ Nobilitatis prærogativa eversa, ac subruta

¹ Decr. fol. 381.
² Decr. Anno 1222. Art. 2.
Parte 1. Titt. 9.

Tripart.
parte 1. Tit. 9.
Andr. Decret.
Anno 1222.
Art. 31.

Tripart. part. 1.
Tit. 2. 5. et 9.
2. part. Tit. 11.

est per Betlenium, dum nos nec citati, nec aggravati condemnamur. Et quod nobis hodie factum vides Ungara Nobilitas, id cras tibi futurum ne dubita. Quid enim? si hodie privilegia Nobilitatis in uno Regni membro violare licet Betlenio, an si libeat, non licebit cras in altero?

Perlatum ad me fuit, Betlenium avide bonis Ecclesiasticis inhiantem, in eo esse, ut Ordinem Ecclesiasticum Conventiculi Novizoliensis suffragio, bonorum possessione deturbaret; Ideoque mature ad eos qui Novizolii convenerant, binas exaravi literas, quarum alteræ, meam proprie personam, alteræ totum Statum Ecclesiasticum concernebant. Et licet ostensa innocentia nostra, et interpositis idoneis protestationibus, rogasse, ne præcipitarent, sed si quid erratum (cuius tamen nulla nos conscientia tangimur) cum leges ac iudicia non desint in Ungaria, debit is ac consuetis modis nos convenient, paratos innocentiam nostram omnibus testatam reddere, ac calumniantium criminationes everttere. Repræsentatae fuere hæ literæ per Dominum Ungariæ Palatinum, ac in publico perlectæ: prævaluit tamen Betlenii potentia, ac contra Divini, humanique Iuris ordinem, nec evocati, nec audit, nec convicti, a Iudicibus simul, et Accusatoribus, et Testibus, damnati, bonis spoliati, Patria proscripti sumus.

Ex his, vel ipsorum adversantium sensu, constare arbitror, Iniquam, Iniustum, Divinis humanisque legibus adversam, prorsus nullam esse Novizoliensem Betlenii contra nos latam sententiam: adeoque hoc solo facto, totam Nobilitatis prærogativam servili adulatione eversam, ac Betlenii Tyrannide oppressam; ob quod

Tripart. parte 1. Tit. 9. Andreæ Decr. Anno 1222. Art. 31.

solum facinus, *sine nota alicuius infidelitatis, Universos et singulos Nobiles et Episcopos, resistere, ac contradicere posse* Betlenio, non in eo solum in quo nunc est statu, sed etsi altius evectus foret, legum Patriarum testificatione scimus.

Caput V

DEFECTU IUSTITIAE, SENTENTIA BETLENIANA ELIDITUR.

Dubium non est, Iudicis sententiam legibus adstrictam esse debere; quamobrem, si manifeste aduersetur legibus, non iniqua solum, sed et vana, et invalida sit, oportet. Iam vero quis non

videt, contra omnia Divina, humanaque Iura, contra leges omnes fieri, quod Bona Deo dicata adimantur, quod sacerdotalibus addicantur? Divina lex est, *Ea quæ homines voverint Domino, mutari non posse.* * Omne quod Domino consecratur, sive homo, sive animal, sive ager, redimi non poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum erit Domino. Nempe ut Ioseph solam Sacerdotalem terram immunem, nec vendibilem esse voluit in Aegypto, sic Deus optimus, ea quæ sibi oblata forent, nec mutari, nec redimi, nec in usum alium verti posse, edixit. Seria etiam animadversione, Divina vindicta castigati, qui Deo oblata erectum iverunt. Nam et Rex Balthasar, quod prophanis usibus sacra vasa polluerat, inopinata morte periit: Et Heliodorus, quod violata Dei domo, pecuniam ibi asservatam diripere tentarat, flagellis examinatus. Ananias vero, et Saphyra, morte subitanea interempti, non quod partem suarum facultatum retinuerint, quas antea Deo consecrarent. Plenæ sunt veteres hystoriæ Ecclesiasticæ similibus Divinæ Iustitiæ testimoniis; Apostatæ Iuliani avunculus, Julianus et ipse dictus, statim ac vasa Sacra e templo Antiocheno abstulit sævo morbo correptus, putrefactis visceribus, toto corpore ebullientibus, ac scelestam carnem depascentibus vermis, non per solitos meatus, sed per os blasphemum ventris sordibus egestis, infelicem animam exhalavit. Quid de Leone quarto Constantinopolitano Imperatore dicam? Coronam auream in templo Sanctæ Sophiæ dedicatam, cui inæstimabilis precii Carbunculus inerat, abstulit prophanus Imperator, capiti proprio imposuit. Res mira: continuo pestilens et inflammatus in capite tumor, quem Carbunculum vocant enatus, hominem extinxit.

Iam, si sacros Canones, legesque Ecclesiasticas consideremus, nihil crebrius, quam anathemata, diras execrationes, maledicta in eos fulminata deprehendimus, qui bona Ecclesiastica rapiunt. Ea, quæ quotannis in die Cœnæ Domini publicari solet Bulla, *Excommunicantur omnes qui fructus, proventus, redditus, ad quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum beneficiorum pertinentes usurpant, vel quavis occasione, et causa sequestrant.* Sed et ante annos mille et amplius, in Concilio Romano ita decernitur: *Qui facultates Ecclesiæ sub specie Regiæ largitatis obtinent, nisi ea restituant, velut Hæretici anathematizantur.* Consimili ratione, in Concilio Turonensi, qui vel a Rege obtinent, vel sponte occupant bona Ecclesiæ, non solum excommunicantur, sed et Iudæ traditoris maledictionem incurrere, pronunciantur.

Levit. 27. v. 9.

* v. 28.

Gen. 47. v. 22.

Daniel. 5.

2. Machab. 3.

Actor. 5.

Histor. Tripart.

lib. 6. cap. 31

Zonar. Niceph.

Baron. Anno

Christi 780.

Plura vide apud

Baron Anno

536. 557. 572.

etc.

Bulla Cœnæ

Excom. 17.

Concil. Rom.

sub Symma.

Baron. An. 504.

Apud Baron.

An. 570.

Tripart. part. 1.

Tit. 84.

S. Stephanus Sed quid leges Ungariæ, quid ipsum naturæ Ius, ac lumen,
 lib. 2. Decr. 1. dictent videamus. *Bona Ecclesiis in perpetuam Eleemosynam sunt
 Tripart. part. 1. collata*, ait Ius nostrum. Si in perpetuum collata sunt, ad nutum
 Tit. 37. alterius tolli non possunt. Si eleemosynæ sunt, Dei intuitu, imo
 Deo ipsi datæ, et ut Proto-Rex, S. Stephanus loquitur, *Res
 Dominicæ, idest, Domino dominantium traditæ sunt*: Adimi ergo
 sine sacrilegio non possunt. Deinde, quæ Ecclesiastici possident, ea
 partim a Regibus donata sunt, partim a cæteris fidelibus. At legibus
 nostris cautum est, *Reges donationi semel factæ, non posse de Iure
 iterum refragari*. Sed et illud additum, de fidelibus cæteris, ¹ Ne
¹ S. Ladisl. *is qui prædia sua Ecclesiæ dedit, ulla interveniente causa, sub-
 Decret. 1. trahere audeat*. Quod si ii ipsi, qui Ecclesias dotarunt, lege prohi-
 cap. 23. bentur subtrahere semel donata, quanto magis arcentur cæteri, ad
 quos ea bona minus pertinent. Præterea crebro legibus nostris
² Vladis. inculcatur, ² Ne Sæculares, bona Ecclesiarum ullo pacto pro se
 Decr. 2. Art. 55. usurpent. Et annexitur: ³ Ob nullum crimen Ecclesiasticorum
 Maximil. Anno posse bona Ecclesiarum alienari.
 1567. Art. 31.

Ferdin. Naturæ quoque lex, ac ratio huc dicit: Siquidem, Iuri naturali
 Fol. 613. adversatur, ut quod alterius est, præter viam Iuris adimatur,
 Decret. præsertim, si spoliatus, coram competenti Iudice se defendere, ac
³ 2. part. Tit. 44. Vladis. ei, qui se læsum queritur, satis dare paratum exhibeat. Ad hæc,
 Decr. 7. Art. 27. Tripart. leges nostræ non uno loco tradunt, *unam eandemque libertatem*,
 1. part. Tit. 2. 9. 2. parte, Tit. 11. *exemptionem, prærogativam* habere Prælatos, Barones, ac Nobiles
 universos. Si igitur salva hac libertate adimi Ecclesiasticis sua
 bona possunt, quidni pari ratione adimi et Sæcularibus Dominus
 possint? Fac armatum Principem, Nobilitate delinita, Magnatum
 ordinem abolere, bona adimere: Fac, Magnatum, et Nobilium
 favore, Civilem Statum rusticitati accensere. Iurene id, ac licite
 fieri dicetis? At meminisse par est, Naturæ legem esse, ut quod
 tibi fieri nolis, alteri ne feceris.

Scio quid petulca, ac imperita Juventus, apud ignaram multi-
 Tripart. 2. tudinem mussitet. *Abrogari constitutiones priores, per posteriores*.
 parte. Tit. 2. Fuisse olim in favorem Cleri latas leges, eas nunc Novizoliensi
 statuto antiquatas esse: ac Rege novo, Leges novas editas. O cœca,
 ac præcepis temeritas quo ruis? Fateor, quibusdam in rebus,
 abrogari vetera nonis statutis posse, sed non ab alio, quam qui
 leges, et statuta nova condere potest: cum enim ipsa prioris statuti
 antiquatio, novæ constitutionis vigore fiat, clarum est, ab eo solum
 vetera tolli posse, qui Ius et potestatem nova Decreta condendi

habuerit. Atqui, iam antea commonstravimus, nec Betlenium, nec Novizolii collectos, ullam legis condendæ facultatem habuisse, cum leges nostræ, solis Regibus legitime coronatis, accedente consensu Prælatorum, Baronum, ac Nobilium, statuti condendi authoritatem attribuant. Deinde vetera statuta, ita novis editis tolli possunt,
¹ ut *salva semper Divina, et naturalis lex maneat.* ² *Humanæ enim leges, eatenus valent, quatenus non discrepant a Divinis, Lex ergo contra legem Divinam, nec populi assensu, nec consuetudine diuturna, est valida.* Denique et illud leges nostræ habent: *Statutum contra Ius canonicum, libertatem Ecclesiarum diuturnam, vel privilegia eis concessa, non valere.* Cum igitur Statutum Novizoliense, et Divinæ, et naturali legi, et sacris Canonibus, et diuturnæ Ecclesiarum libertati, ac privilegiis manifeste repugnet, nemini dubium esse potest, posteriori Novizoliensi Decreto, iniquissimam rapacitatem stabilire, non tolli priora Sanctissimorum Regum statuta.

¹ 2. part.
 Tit. 3.
² Prologo
 Tripart. §. De definitione
 legis.
 Prologo
 Tripart.
 §. Utrum
 valeat.

Caput VI.

OB FALSAS, ET INSUFFICIENTES ALLEGATIONES DECRETA BETLENIANA EXPLODUNTUR.

Nota est Iuris Regula, Sententiam ex falsis allegationibus, falsis, et insufficientibus causis, falsis testimoniis pronunciatam, ipso Iure nullam esse. Cum igitur Betlen sua illa Novizoliensi constitutione, falsas, evanidas ac omni ex parte insufficientes causas adferat, ob quas et generatim Ecclesiasticos, et quosdam nominatim bonis, honoribus, iuribus, fama denique spoliandos existimaverit, dubium esse non debet, inquam, invalidam et prorsus Tyrannicam esse hanc Betlenii sententiam.

Et ut ordine ac methodo rem expediamus, Primum ea videamus, quæ generatim Clero, mihiq; nominatim quasi cum cæteris communia, obiiciuntur. Deinde ad ea descendamus, quibus me solum Archiepiscopum Strigoniensem traducunt.

Causas quibus permotus Betlenius, Statum Ecclesiasticum, ac me quoque nominatim, fortunis, honoribusque spoliandum existimavit, his verbis complectitur. *Clerus abusus beneficiis, non ad promotionem Divini cultus, sed ad fomentum sui fastus, et nonnulli luxuriæ quoque ac in perturbationem patriæ usurpavit.*

Artic. 8.
 Novizoliensi.

Si quando consultationes, vel publice vel privatim, super communi bono, tutaque ac secura permansione Regni instituta fuissent, semper eas impedivit. Hæc in Clerum, sine ullis documentis, nuda accusantium dicam an calumniantium convictione, proferuntur. Eadem opera infinita, hisque longe graviora crimina affingi Clero poterant, quæ tamen omnia, simplici negatione depelli, efficacissime possunt. Nec aliud hic respondere necessum est, quam quod a competenti Iudice citati non fuimus; præcipitata sententia, ante legitimam causæ cognitionem, damnati sumus; meris igitur criminacionibus maligni pectoris accensenda sunt, quæcunque obtenduntur.

Ut tamen latæ contra Clerum sententiæ iniquitas, clarus elucescat, age exutiamus quatuor illa accusationum capita, quibus causam sententiæ adversus Clerum pronunciatæ complexus est Articulator.

Prima causa. *Clerus beneficiis non ad promotionem Divini cultus usus est.* Anxie questus erat Iudas, quod unguentum a Christi capite in terram defluens, grandi ære, in pauperes erogando, venditum non fuerit: id non idcirco ægre fuisse proditori, notat ^{Ioan. 12. v. 6.} Evangelista, quia de egenis cura illi esset, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Tu quoque Lector optime, nolim cogites, Betlenio, vel asseclis ipsius curæ esse, ut Divinus cultus, iuxta ritum Cleri Catholicæ promoveatur, quem totum penitus eversum cupiunt, et eos maxime oderunt Ecclesiastes, quos in hoc cultu promovendo impensis laborare deprehendunt. Bona Ecclesiastica, ut rapiant, illis cordi et curæ esse, certo scias. Tamen ut velare iniquitatem possint, Divinum cultum ea ratione obtendunt, qua egentium solatio, velut inducta larva, furacitatem suam Iudas vestiebat. Nihil magis odia Acatholicon in nos exacuit, quam quod viderint filios Ecclesiæ Catholicæ eo magis multiplicari, quo magis Pharaho Infernalis ipsos oppressum ibat. Rumpebantur dum cernerent Catholicum Dei cultum, maximos in Ungaria progressus facere, ac identidem illa Christi interfectoris ^{Ioan. 11. v. 47.} consilii verba revolvebant. *Quid facimus?* Quia totum Regnum fiet Papisticum: Hinc illæ lacrymæ, hinc odia, hinc furores. Audeo affirmare, Scholarum, Seminariorum, Alumnatum, Collegiorum, insolita, nec a maioribus nostris visa, fæcunda ac in dies succrescens felicitas, Doctorum hominum, Eloquentissimorum Concionatorum multitudo, exemplarium Sacerdotum frequentia, Cœnobiorum

utriusque sexus Religiosa disciplina. Denique exterior Templorum ædificatio, renovatio cultus, et ornatus, ita in Ungaria excrescebant, ut nisi Dæmonis invidentia, tam sanctis omnium conatibus remoram iniecisset, brevi ad veterem Ungaricæ gentis pietatem reflorescere posse videretur Pannonia.

Sed, fac aliquid pro humanæ conditionis imbecillitate remissius, aut vero etiam negligentius, per Clerum in Divino cultu administratum fuisse. Nego huius rei diiudicationem ad Betlenium vel Novizolienses pertinuisse: Nego idcirco vel potuisse, vel debuisse, Clerum bonis, et honoribus spoliari. Magnus erat filiorum Heli error, qui avida rapacitate, Deo sacratas carnes, immature eripiebant, sicque homines a sacrificando retrahebant. Nunquid idcirco Ordo Sacerdotalis, bonis, honoribusque spoliatus fuit? minime gentium: Puniti scelerum authores; nec patris indulgentia, erratis liberorum connivens, incastigata abiit; Ordini sacro nihil quidquam derogatum fuit, cum vitia personarum, gravare totum ordinem nec debeant, nec possint. Iudam proditorem contemplare, Ioan. 12. v. 6. loculos habebat, ea, quæ mittebantur portabat, sed et furabatur: adeone iniquus es in Christum et Apostolos, ut idcirco nihil Christo, nihil Apostolis tribuendum dicas, quod Iudas officio abutebatur? Apage cum hac insulsa ac insana ratiocinatione.

1. Reg. 2.

Secunda causa. *Clerus ad fomentum sui fastus, abusus est opibus Ecclesiasticis.* Venit in mentem, quid Christus, Iudæis, omnia in deteriorem partem trahentibus dixerit. *Cantavimus vobis Luceæ 7. v. 32.* *tibiis, et non saltastis, lamentavimus et non plorastis;* *Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis, Dæmonium habet.* *Venit filius hominis manducans et bibens,* *et dicitis, Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum.* Idipsum ego queri de Acatholicis possum, Nam quemadmodum, qui viciatam habent corporis constitutionem, innoxios etiam, imo salutares cibos, in exitialem humorem mutant, ita hi, male adversus Catholicam Ecclesiam affecti, quicquid in ea vident, malignitatis suæ materiam faciunt. Si pauperes, si omnium rerum possessione exutos, horride ac incompte cultos, corrogata stipe, exsuccam ægre vitam trahentes Sacerdotes viderint, quales in Ecclesia religiosos vident innumeros, dici non potest, quot illos sannis, quot acuelis, quot criminationibus perstringunt. Contra, si alios opulentos viderint, Apostolicam paupertatem in illis desiderant, fastum obiectant; Uno verbo, nihil in Ecclesia conspicere possunt,

quod ad salivam ac palatum ipsorum faciat, quod in odium ac Invidiam non rapiant.

Credo equidem, vetustis Temporibus eas fuisse in Ungaria opes ac facultates Cleri, ut ab invidis obtrectatoribus fastus obiici aliqua veri specie potuerit. Nunc adeo accisa, et eversa sunt omnia, ut si aliis Christiani orbis partibus componatur Ungaria, non fastus, sed summa egestas, ac pene mendicitas reicta Ungaris Episcopis videatur. Peritorum ac dignorum fide relatione constat, in una Hispania, undecim Archiepiscopos, sexaginta quinque Episcopos numerari, quorum annui redditus conficiunt Duodecies centena scutatorum millia, hoc est florenorum nostratum supra vicies quater centena millia: Canonorum et aliorum beneficia possidentium aliquanto amplius. Religiosorum vero proventus, longe longeque amplius efficiunt. Et ut cæteros taceam, solus Archiepiscopus Toletanus, supra Ducenta sexaginta millia Scutatorum, id est florenorum prope sexcenta millia percipit; Capitulum multo amplius.

Quid de Gallia dicam? Archiepiscopi in ea quindecim, Episcopi centum, et quod excurrit, censemur, et si Botero diligenti ac curioso talium indagatori credimus, redditus illorum, sex milliones, hoc est sexages centena millia Scutatorum, conficient. De Germania, deque Italia, ac vicina Polonia, nihil dico, cum vix reperatur, qui immensam, ac multis Principibus invidendam Ecclesiarum iis locis opulentiam, exploratam non habeat. Nec opes istas Sacerdotem dedecere arbitraberis, si attendas, in lege Mosaica maiores etiam fuisse Sacerdotum facultates. Nam præter Civitates quadraginta octo eorum proprias, Decimam rerum omnium, Primo-genita omnium animantium, Primitias frugum, Oblationes innume-

Gregor. Tolotras, Sacrificio destinatas carnes, percipiebant: ut proinde non san. de Rep. desint, qui ex Ezechiele deducere velint, dimidium omnium fructib. 3. c. 7. ex Ezech. 45. tuum ac emolumenterum terræ sanctæ, Sacerdotibus cessisse, reliqua medietate inter Regem et populum divisa. Sed Apostolici scilicet Novatores, ad Apostolos vocant; sequamur. Mentiar, si non ampliores Apostolica manu, vel nutu dispensatae opes fuerint, Actor. 9 v. 34. quam aliorum, qui postea secuti sunt Sacerdotum, *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum, erant inter Christianos, vendentes, afferebant pretium, et ponebant ante pedes Apostolorum.*

Videamus iam, quam amplæ sint Cleri Ungarici opes, quas in fastum insumi queritur Betlen. Ac ut de minoribus Sacerdotiis taceam, quæ vel ipsi adversarii tenuissima esse non inficiantur,

Boterus relatione de Hispania.

Boterus ibidem in Castella Nova.

Archiepiscopos duos habet Ungaria, Episcopos omnino duodecim. Ex his, residentiam Unus Archiepiscopus, quatuor Episcopi habent, reliqui per Turcas sedibus exclusi. Horum omnium, hoc est Archiepiscoporum, ac Episcoporum annui reditus, quos vel in pecunia, vel in rebus humano usui necessariis percipiunt ipsi, (quæ enim per abusum in milites, ac fiscum derivata sunt, non numero) sexaginta millium florenorum summam non attingere, post diligentem et exactam inquisitionem liquido mihi exploratum, affirmare audeo. Non sum nescius, a rerum imperitis, omnia in maius extollentibus, aliud vulgo circumferri, id tamen quod dixi, et libris censualibus, et aliquot annorum exacte calculatis rationibus comprobare, ac palam commonstrare me posse, recipio. En materia tanti fastus, tam odiose exaggerati.

De me illud fidenter dico, ex duorum annorum proventibus Archiepiscopalibus (quos solos integre percepit) nunquam in usus meos tertiam partem erogatam, sed longe duabus tertii ampliorem portionem Seminariis, Collegiis, Contuberniis pauperum, Alumnum, Egentium seu domesticorum, sive peregre proficiscentium sustentationi, Fabricæ item, ac ornamenti Ecclesiarum, impensum fuisse; idque productis tabulis dati et accepti, facile ac libenter cuivis volenti comprobabo. Hæc non ideo a me commemorantur, quod inanis alicuius gloriolæ fumum mercari velim; absit. Alienum dedi, magni patris familias dispensator inutilis fui, quod facere debui, (nec illud tamen exacte) feci: sed, *factus sum insipiens, vos 2. Cor. 12. v. 11. me cægisti* fastidiosa illa vestra fastus commemoratione. Quod si vero alicubi exerravi dum vel decorum personæ quam sustineo conservare, vel aliis satisfacere (*debitor enim sum sapientibus, et Rom. 1. v. 14. insipientibus*) vel securitati vitæ meæ ac aliorum, in tanta pululantium rebellionum impetigine per familiæ frequentiam consulere satago, id in primis a Divina Clementia condonari mihi impense oro: testem tamen conscientiam habeo, nihil ex fastu, nihil ex aliorum contemprice arrogantia me fecisse. Neque enim altiores unquam spiritus ex accessione dignitatis Ecclesiastice sumpsi, sed metum reddendæ rationis auxilium: externum omnem cultum, velut somnium existimavi. Si igitur fastus, externo apparatu, Statui ac consuetudini accommodo, aestimari debet, nonnulla forte eius diiudicatio Betlenio deferri potest: sin vero, affectus fastum, non census, non cultus facit, temerarium, præsumptuosumque est, quidquid de fastu Cleri oggeritur. Et licet aliquid et hic peccatum foret, Nego

id ad Betlenii tribunal ac cognitionem deduci debere; Nego ob id iure potuisse Clerum honore ac bonis spoliari.

Tertia causa. *Nonnulli ex Clero luxuriosi* fuere. Utinam Betlen, illud a magno Oratore sapienter dictum, animo reputasset, dum Articulos condebat. *Qui ab altero rationem vitæ exposcunt, legem sibi indicunt innocentie, continentie, cæterarumque virtutum.* Nam

Iuvenal.
Satyr. 2.

*Quis tulerit Grachos de seditione querentes?
Claudius accusat Mæchos? Catilina Cethegos?
Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.*

Sveton. Nero, foex ac sentina libidinum, suo pede cæteros metiebatur,
Eccl. 10. v. 3. nec quenquam castum ac continentem arbitrabatur, *Stultus enim in via ambulans. cum ipse insipiens sit, omnes stultos existimat.* Sed propositum mihi non est aliorum vitia renudare, Rem ipsam dico.

Utinam ea esset Ecclesiæ Christi felicitas, ut nulla ibi essent scandala, nulla morum corruptela occurreret: sed si Lucifer in cœlo, Adam in paradiſo cecidit; si nulla quantumvis selecta ac exigua familia fuit, in qua insignite improbi deessent; quid mirum, si in area magni patris familias, et paleæ reperiantur? E duobus Adæ filiis, alter fraticida fuit. E duobus Abrahæ filiis Ismael, E duobus liberis Isaac, Esau scelestus fuit. Iacobi soboles, non solum fraternali sanguinis proditrix, et voluntate fraticida fuisse, Gen. 37. v. 2. sed et a Iosepho accusata *de crimine pessimo legitur.* Quid de cœlesti illa Christi Scrvatoris duodenaria familia dicam? Nonne in ea a Christo toleratus Iudas, primo quidem fur nummularum, post etiam proditor Dei Incarnati, imo Diabolus? Et miraris, et turbaris, vel si duodecimus quisque Sacrorum ministrorum inveni-retur deliquisse, quod tamen absit vel suspicari, nedum ut vere affirmari a quoquam possit. Sed notum est orbi Universo ex musca Elephantes fieri ab adversariis fidei, ac levissima etiam Cleri vitia in immensum efferri: quibus si pœna talionis proposita, probanda forent quæ effutiunt, brevi paucos superesse calumniatores, orbis gratularetur.

Verum enimvero demus, nonnullos e Clero solute vivere, quos tamen si deprehendantur iusta castigatio non præterit; Ideone totus Cleri Status evertendus? Sapienter Augustinus, posteaquam dixisset, humana malignitate fieri, ut *siquis Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit,* omnes incusentur Ecclesiastici, subnectit, *Et tamen, etiam ipsi, cum aliqua maritata*

August
Epistola 137.

invenitur adultera, non proiiciunt uxores suas, non accusant matres suas. Audi quid Calvinus de suæ sectæ Prædicantibus dicat, *Pastores ipsi interdum sunt turpissima vel nequitiae, vel malorum aliorum exempla, ut mirer vulgi patientiam, quod non eos mulieres sterco-ribus operiant. Alii hospitio excepti, vel furto onusti clam abeunt, vel sollicitant ad stupra uxores etc.* Nefanda sunt, et omnes Caligulas, Nerones, Heliogabalos fœditate supererant, quæ Petrus Bornemisa, libro quem *De temptationibus Diaboli* scripsit, Calvinianorum, Lutheranorumque Prædicantium flagitia consignavit; nec ideo totum Ministerium gradu et dignitate deturbatur, bonisque spoliatur. *In Ecclesia quæ toto orbe diffusa est, inquit Augustinus, palea est: et frumentum. Inique, Invide, aream suspicis, qui totus in palea es, non tibi facile grana occurrunt. Quære et invenies. Vis invenire? Esto talis. Nam si non fueris, difficile est, ut non omnes tales tibi videantur, qualis es.*

Calvinus libro
de scandalis.

August. in
Psal. 34.

Nota sunt Acatholicorum artificia, qui modis omnibus id agunt, ut conflictis ac ex levissimarum suspicionum umbra collectis criminationibus, Ecclesiasticos contemptui obiificant. Subornarant olim impudicam fœminam, quæ Sanctissimo Præsuli Athanasio admissam secum libidinem obiectaret. Decepta item per hæreticos meretricula, ab alio gravidata, infantem ad templum defert, iurejurando Eustatii prolem esse profitetur: nefandæ criminationis finis fuit, ut innocentissimus Antiochiæ Præsul Eustatius, exilio muletaretur. Nec mirum si Calvinistis Clerus Catholicus non satis castus videatur, cum nec Abraham, nec Isaac, nec Sara, prostitutæ pudicitiae notam effugere Calvino Iudice potuerint. Quocirca, si vel Iosepho castior, vel Susanna pudoris tenacior Clerus foret, nunquam odiosas oblocutiones Acatholicorum effugeret, qui ostendunt quam sancte vivant, dum male de omnibus suspicantur. De me id solum dico, quod de se Augustinus. *De vita mea, vobis. quicunque me nostis, superflue loquor, ex iis quæ nota esse possunt hominibus. Qui vero me non neverunt, non ita iniqui esse debent in me, ut magis de me credant Petiliano, Betlenio, quam vobis. Nam si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti. Sane non defugio. Quin Betlen, fidum sibi quam maxime, adiungat, qui quotidianas totius vitæ meæ rationes, et occupationes exploret, nec temerariis, vel malignis garritibus, sed certæ testatæque veritati locum concedat.*

Socrates.
Ruffin.
Sozom.

Theodor. lib. 1.
c. 20. 21.

Hieroni. contra
Vigilant. initio.
August. lib. 3.
cont. literas

Petilia :
cap. 10.

Quarta causa. *Clerus est patriæ turbator. In publicis, ac privatis consultationibus, de bono communi, tutaque ac secura Regni*

permansione institutis, impedimento fuit. Christum Dominum cum vix alias neci dare possint Iudæi, hac ipsa calumnia exosum reddiderunt. Hunc invenimus inquiunt subvertentem gentem nostram.
Act. 16. v. 20. Eodem telo petiti Apostoli. Hi homines conturbant civitatem. Si hæc in patrem familias iactata ab improbis, quid mirum simili calumnia peti domesticos eius? Non est discipulus supra Magistrum.

Venit in mentem, quid in fabulis egerit Lupus, dum Agnino sanguine orexim lenire constitutum haberet: Aquam insigniter ab imo commotam alveo, sedimentorum fœcibus permiscuit; tum demum, truculento dentium rictu, turbatam ab Agno aquam, causatus, innoxiam devoravit. Eadem nunc fabula agitur. Fidei, fœderum, homagii vinculis violatis, Divinis humanisque Iuribus convulsis, in Regem optimum, ac undequaque immerntem, eiusque fideles, nefaria arma expediuntur; vi ac cædibus Regnum alienum occupatur; ferro flammaque omnia vastantur, Impiæ, Injustæ, sacrilegæ confœderationes, perquam foeda ratione, constabiliuntur; neglecta omni Nobilitatis prærogativa. Regii Officiales capiuntur, compedibus onerantur; Episcopi indigne raptantur, deluduntur, excruciantur; Sacerdotes mactantur; tempa prophananter: Leges ac Iura omnia susque deque versantur. Et authores tot criminum, in Ecclesiasticos culpam tantorum flagitiorum coniiciunt. O fas,
 3. Reg 18. o fides? Non nos turbamus patriam, Princeps Betlen, *sed tu, et*
 v. 18. *domus patris tui, ac complices tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baal,* novitia sectarum portenta, Calviniani cerebri Idola ac figmenta. Tu enim vir ille es, qui cum ad veram solidamque gloriam tendere debuisses, malo consilio consultari pessimo, vanis rerum imaginibus delusus, spem supra sortem, consilia supra fortunam, expeditionem supra vires suscepisti, qua tandem te, Regnumque olim florentissimum, in exitium lacrymoso fine præcipitabis: quibus tamen tam tristibus de patria dulcissima auguriis, ut exitus desit, ac validis adeo ruinarum initis remora iniiciatur, præcepsque ruentis ad Regni perniciem rotæ impetus sufflaminetur, Deum totis votis oro.

Scire saepius optavi, quibus rationibus vel me Archiepiscopum, vel cæteros Ecclesiasticos turbarum patriæ causas faciant calumniatores: Cum enim Deo, ac conscientia teste, certissimus essem, in nullius perniciem aut exitium nos capita contulisse; nullas vel clam, vel palam contra quempiam noxias machinationes orditos esse; neminem in vita, fortunis, aut honore læsisse; nullas

seditiones, turbas nullas movisse; haud sane occurrebat, quo prætextu veri specie obducto, tam crassam calumnia velare ingeniosa malignitas posset. Sed en tandem Betlenius causam profert, *Consultationes de bono communi, tutaque ac secura Regni permansione impediverunt Ecclesiastici*. Edissere clarius ista o bone: Consultationum materiam iudica, locum, tempus, occasionem designa: consilia per Ecclesiasticos impedita explica. Quæ fuere illa tam salutaria consilia? ubi? per quos? qua occasione? quo modo ac ratione impedita fuerit, prome. Id si feceris, nulla alia defensione opus erit. Sed pudore præpeditus, non facies.

Dicam ego quod res est clarissime. Dum Comes Turianus stativa in suburbanis Viennensibus haberet, Comitia Posonii celebrabamus: Ii qui Rebellionem Úngaricam postea concitarunt, salutari, (scilicet) consilio urgebant, ut causam nostram, rebellium Bohemorum causæ iungeremus, atque arcta confœderatione cum iis inita, pari passu (ita locutos memini) res Ungaricæ, ac rebellionum Bohemorum procederent. Huic tam perfido, tam nefario consilio, quo et homagium fidelitatis Regi præstitum violabatur, et rebellio manifesta continebatur, obstitere summo conatu Ecclesiastici, fidemque obedientiæ Regi debitæ inconcussam servare, vel cum præsentissimo vitæ discrimine elegerunt, qua salva, Rempublicam quoque aliquando salvam confidebant. Hinc illæ lacrymæ, quod salutaribus consiliis obluctari Ecclesiastici. Iisdem ipsis Comitiis consultarunt et illud Acatholici, ut Templa in bonis dominorum Catholicorum, alieno arbitrio Ministris Novantibus paterent, ut Iesuitæ Regno exturbarentur. Huic quoque consultationi, cum nec lure, nec more assentiri possent, constanter refragati sunt Ecclesiastici, id vel maxime officio Pastorali requirente. Hæc illa sunt iniusta, exitiosa, perniciosa, seditiosa consilia, quibus restiterunt Ecclesiastici. Sed quæ malum est ista præcipitis ignorantiae caligo? An idcirco quod quispiam ius liberum consulendi, vel suffragia ferendi habens, sententiis opinionibusque dissidet, et Bonorum publicatione, et honoris detimento plecti debet? Quæ hæc est libertas vocum, et suffragiorum, si ex dictamine conscientiæ, sententiam protulisse ingratam aliis, exilia rapinamque bonorum promeretur?

Scio tedium lectori generari, quod tam insulsis, falsis, et extra omnem rationis orbitam excurrentibus causis diluendis immoror; sed retundi tamen ista debuerunt, ne in ipso insaniae æstuario mersi, nimium sibi sapientes viderentur.

Præter has causas, quædam aliæ, pari pudore, pari fide annectuntur, de mea Archiepiscopi persona, quas carptim perstringam, ne meam potius, quam communem Cleri causam egisse videar.

Art. 8. Noviz. Primo : palam, ac notorie falsum est, *quod domum Sellensem Casparis Chuti, violenter ademerim*. Iudicis sententia fretus, Iudice consignante, ac per manus tradente domus illius possessionem Officiales mei adiere. Sententiam Iudicis authenticam, originalem, syngraphis ac sigillis more Patrio munitam, ad manum habeo, paratus videre cupienti exhibere. Eandem sententiam *Anno 1618.* in Comitiis Regni, publice productam, Status approbarunt, ac in consessu publico, literas quibus Ius suum contineri Chutius putabat, mihi consignavit, quas itidem ad manus habeo. Hic tu Lector optime, tecum ipse expendes, quantam in obscurioribus fidem illi adhibendam existimes, qui tanta præfidentia, transversum agitur in re notissima.

Art. 5. Poson. Secundo : Nulla tergiversatione excusandum falsi crimen est et illud, me *ab Evangelicis violenter occupasse Templam Sellie, Riben, Hinoran*. Quod si horum locorum Templam Iniustis possessoribus eripuisse, meum non alienum adimendo, iure meo usus fuisse, vim nemini intulisse. Sed ita non est. Ea ego templa non ademi; per Sacerdotes Catholicos administrata reperi; quod omnium iis locis commorantium testimonio comprobabo. Pudenda est hæc, et deploranda cæcitas, in rebus usque adeo claris, tanta libertate, et quidem publicis Decretis, exerrare. Nec dubito, quin detumescentibus sensim odiis, et summotis affectibus, quasi discussa nube, damnaturi sint et ipsi fabularum architecti, tantam Decreti falsitatem, qua sibimet viam fidei in rebus cæteris faciendæ, præcluserunt.

Ibidem. Tertio. Etsi vel hosti maledicere infra animi mei magnitudinem existimem, dicendum tamen quod res est: Pura puta falsitas est, quod *Templa in Zebeleb et Leszenie itidem violenter Evangelicis eripuerim*. Nam nec mei hi pagi sunt, nec quidquam iis locis de Templis a me dispositum. Idque Incolarum ac vicinorum omnium Iurato testimonio docebo. Et erit quispiam adeo tardus, ut Articulis Betlenianis, calumniam de rebus a communi notitia remotis, Clero intentantibus, credendum censeat, postquam fidem in rebus notissimis decoxerint?

Quarto. Falsis et illud accensendum, *me Templa in Eolved,*

Udvard, Martos, Szakallos, Mocs, violenter ademisse. Nam si veræ sunt Officialium informationes, loca illa, sæpius a Turcis vastata, in ipsis Turcarum faucibus sita, non Templa, sed rudera ac parietinas Templorum habent. Sed antequam ulterius pergo, sciscitari lubet, quid Principi Betlen fiet, qui Posonii, Tirnaviæ, innumerisque aliis locis, Templa nostra ademit, si tam severa Proscriptione, conficta Templorum occupatio, in me plectitur?

Ibidem.

Quinto. Fictum et illud, calumniosum, ac manifeste falsum est, *Diversis practicis in Archiepiscopatum Strigoniensem erectum me fuisse.* Supersunt hodie, et hic Viennæ præsentes sunt, viri maximi, arcanorum consiliorum Matthiæ secundi fœlicis memoriae consci: Ad eos provoco, qui pro sua æquitate palam testabuntur, nullam unquam vel exiguum practicam a me contextam fuisse; nullam nec verbo, nec scripto postulationem exhibuisse, qua Archiepiscopatum ambirem: sed cum nihil minus quam de Archiepiscopatu cogitarem, literis Imperatoris optimi, Pragam evocatus, priusquam illuc pertingerem, resoluta omnia deprehendi: nec in Aula solum, sed et alibi publicatum, me ad Archiepiscopatum delectum esse. Ego sane post exantlatos innumeros labores, cum in scribendo, ac concionando, tum in negotiis tractandis, secunda integritatis ac eruditionis fama, nulos unquam honores, nullam a Deo præsentis vitæ mercedem expertii. Quod si Deo ita visum, ut antiqua in me suæ clementiæ documenta ederet, *suscitaretque de terra inopem et de stercore erigeret pauperem,* id grata animi submissione recoli a me debet; o si animus mihi esset renudare quibus artibus Betlen Principatum adiit! sed premo adhuc: si urserint promam.

Art. 24.
Novizoliensi.

Sexto. Ne iteremus quæ communiter, cum cæteris Ecclesiasticis, falso mihi quoque obiecta, paulo superius repressimus. Næniæ sunt, et fabellæ, *Me sprevisse illustrium et antiquarum familiarum heroes.* Nisi nominetur, quem Heroum Illustrium, qua in re, quo loco, occasione, modo, quisus præsentibus spreverim, pseudologiis et hoc annumerandum, nemo sapiens negaverit. Magis civiliter a me Heroes tractantur, quam ab eo, cui inter conditiones Regnandi præscribendum fuit, *ut Status et Ordines Regni, honeste, et pro dignitate tractet.* Nempe malis moribus, bonæ legi occasio- nem præbentibus.

Ibidem.

Condit. Bet-
leno oblata.

Septimo. Vanum et illud, ac undequaque falsum. *Me malum Patriæ civem, scriptis, verbis, factis, publice, manifeste ostendisse.*

Eod. Art. 24.

Si tam publica, tam manifesta sunt scripta, verba, facta huiusmodi, cur non edunt, quæ scripta? quæ verba? quæ facta sint illa? Calumniantum est, ac vane obloquentum, sic generatim accusare. Scripsi ego complura, sed pro Religione Catholica, contra Novitias errorum Sectas: Si scriptis ac verbis Catholicam Religionem propugnasse et propagasse, errores repressisse, et evertisse, falsitatem confutasse, et confudisse vitium est; erravi, pœnam commerui. Præter hæc, nisi edatur quid scripsi, quid dixi, quid egi, quo malum patriæ civem me constitui, vanum est, fictum est, calumniosum est, quidquid profertur.

Octavo. Artificium crebro nimis usurpatum est hodie, ut quæ tumet ipse feceris, id in alterum transcribas. Id mecum actitat

Eod. Art 24. Betlenius, dum *Motuum Regni præsentium causam, authorem, occasionem* me facit. Quid mirum si Calvinistæ suarum perduellionum Calvin, lib. 1. me authorem faciunt, cum Calvinus *eorum quæ Satan, ac scelesti Inst. cap. 18. latrones perpetrant*, ac nominatim *fædarum cupiditatum*, Deum n. 1 2.

Authorem constituat? Si dictis fidem facere vellet Betlen, indicare deberet, quo facto? quo dicto? quo consilio? quo conatu? quibus modis ac mediis, turbarum ego author fuerim? Forte an ego Betlenium ad invadendam Ungariam provocavi? Ego Thelegdum usque Cassovia obvium ivi? ut acceleraret sollicitavi? Ego sub specie deducendorum Iuvenum, Heidelbergam perrexi, ibi cum Palatino Rheni proditionis telam texui? Ego cum Bohemis, rebellionum internuncius Pragæ transegì? Ego assensum Turicum, et *

* *Mentio huius in Articulis Cassoviensi- bus Anni 1619.* Asse- curatorias a Porta reportavi? Ego Cassoviam invasi? Generalem compedibus vinxi? Sacerdotes mactavi? sursum deorsum omnia miscui? o fabulæ! Aequidem sic existimo; bonum patriæque amantem civem, publicæ potius dignitati, quam privatæ studere debere. Proinde, si in publicum id commodum cederet, ad me potius opinionem culpæ alicuius, quam in Ungaricam gentem universam Rebellionis detestandum crimen recidere, malim. Cæterum cum nullæ tegetes, nulla sagmata, obvelare publici facinoris infamiam possint, repetenda mihi veniunt magni Prophetæ verba superius memorata. Non ego turbavi patriam, Princeps Betlen, sed tu, et domus patris tui.

Sed demus aliquid me peccasse: dictis, factisve offendisse: Ideone rebellioni ac motibus Patriæ causam dedi? quæ ista ratio, quod consilium est? Archiepiscopus dictis factisve aliquem læsit, Ergo Tempa profanemus, Prælaturas omnes evertamus, Clerum

universum opprimamus, Sacerdotes mactemus, Homagium Regi debitum violamus, Regem novum eligamus, Iura omnia Regni evertamus? Si haec ratiocinatio est, nescio quid sit phrenesi laborantium deliratio. Si vel ego, vel quispiam alius offendimus, Iura sunt, Leges sunt, Magistratus sunt competentes, coram his conveniri debuimus, more ac lege maiorum emendandae, ac farciendae offensionis ergo.

Nono. Figmentum est, et illud vanissimum, *facto in Ungaria motu, malorum conscientia me territum, e Regno profugisse.* Quod ipsum alibi, generatim de omnibus, quicunque securitati propriæ consulentes, rebellionum tempestatem declinarant, affirmari video. Verum id totum abest a vero longissime. Nam tametsi coram Deo peccatorem me maximum et agnosco et fateor, Deus tamen ipse, qui solus conscientiarum testis est et arbiter, novit, nullius me adversus patriam perpetrati delicti concium esse. Temere igitur, et inconsulte, de conscientia mea iudicavit Betlen, dum eius terroribus actum profugisse dixit. Sed nec profugi, verum ad Regis legitimi præsentiam veni. Qui malefactorum conscientia fugam capessunt, procul a supremi Magistratus tribunali sese proripiunt.

Ibidem.
Poson. Art 24.

Cum autem nemo consiliorum actionumque mearum rationes certius habeat exploratas, quam metego, en aperte et sincere abscessus mei causas promo. Verebar, ne ita indigne a rebellibus tractarer, ut in Ungaria superiori et Episcopos, et Sacerdotes habitos intelligebam. Nec arbitrabar, ad officii mei rationes pertinere, aut prudentiae leges exigere, ut absque ullo fructu Religionis, ac boni publici, periculis memet obiectarem. Verebar, ne sine ullo usu publico, eodem quo Magnificus Andreas Doczi modo, comprehendibus, catenisque nullo meo merito, solo furore alieno, manciparer. Verebar denique, ne si in potestatem Betleni me proiicerem, et connivere, et assentiri cogerer iis rebus, quas salva Fidelitate Deo ac Regi debita, approbare nec poteram nec debebam. Iam tunc enim animo prævertebam Confœderationes, Uniones, Electiones, Cleri eversiones, et sexcenta similia furoris Calvinistici dedecora. His adesse, haec approbare, si manerem, vel certa morte occumbere, necesse erat. Itaque malui exemplum ac documentum Christi sequi; ad tempus cedere furori, eo me conferre, ubi et Patriæ recuperationi et Religioni, utiliorem operam locare posse existimabam. Nec dubito quin haec ipsæ rationes, ad eadem consilia sequenda

pertraxerint omnes, qui sese novis, ac Deo et Regi contrariis confœderationibus attaminare voluerunt.

Decimo. Fictum et illud, ac omnino calumniosum est, *Me in perniciem Regni Ungariæ omni intentione intendere. Idque ex literis ad Comitem Homonnanum datis, et interceptis. evidentissime constare.* Initio concitatæ rebellionis, turbones Patriæ vulgarant, interceptas esse literas plurimorum, quibus practicæ, seu machinationes admirandæ, sævæ, perniciosæ, exitiabiles, renudabantur, Has literas primis Comitiis publice recitandas promittebant ut ex iis constaret, graves ac urgentes præsentium motuum causas fuisse. Sua sponte mendacium evanuit, nullæ literæ momentum aliquod habentes productæ. Nam etsi* proditionis nefariæ architecti, initio rebellionis flagitiosa manus ac sigilli imitatione, literas nomine Comitis Homonnani, ac aliorum conscriptas, ita hinc inde missitarint, ut intercipi ab Acatholicis fraudis ignaris possent, cautiori tamen consilio, vulgari eas postea volverunt, ne fraus ac dolus a quibusdam deprehensus palam agnosceretur. Ego certe conscientiam testem habeo, nihil unquam in Ungariæ perniciem vel agendo vel scribendo perpetratum a me fuisse. Si furori paucorum rebellionis authorum obsistere, si a Iugo Betlenii charissimam Patriam, pro viribus erectum ire, si legitimi Regis dignitatem sartam tectam tueri, si Religionem Catholicam ac Clerum pristinæ conditioni restituere, si vim Iniustum iusta defensione avertere velle, aliud non sit Betleniticis nomenclatoribus, quam Patriæ perniciem machinari, fateor toto affectu, toto conatu, totis viribus huc me incubuisse. Comitem Homonnanum, æterna memoria dignissimum Herœm, licet stimulis non egeret, monere, hortari, rogare per literas non destiti, ut erectam Patriæ libertatem assertum iret; noxios Betlenii conatus retardaret; vim iniustum et rapinam Regni, iusta defensione propulsaret. Hæc me scripsisse, non diffiteor; quæ non exitium ac perniciem Patriæ, sed in eius undequaque oppressæ libertatem spectare, serio et ex animi sententia pronuncio. Ista unica est, interceptarum literarum materia. Et licet nullas interceptissent Betlenistæ literas, cogitare per se poterant, nec me, nec ullum Ungarum, qui Deo, ac Regi fidem illibatam servarit, huic tam necessario, tam salutari officio deesse potuisse. Atque ex his constare arbitror, quam iniusta, quam Tyrannica sententia a Betlenio damnati, spoliati, proscripti simus.

* Ez a szó az 1620-iki kiadáshoz sajtóhibából kamaradt Dr K. J.

Ad te iam æterne Mundi Sator et Redemptor stylum animumque
verto. *Domine, Deus meus es tu, exaltabo te, et confitebor nomini tuo,*
quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua,
spes a turbine, umbraculum ab æstu. Spiritus enim robustorum, quasi
turbo impellens parietem. Tumultum alienorum humiliabis, et quasi
calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facies.
Et hoc augurio concludo illum Davidis Psalmum: *Deus laudem*
meam ne tacueris, quia os peccatoris et os dolosi, super me apertum
est. Christiano ac pio affectu replicando.

Isai 25 v. 1.
et 4.

Psal. 108

FINIS.

ACTA
ET
DECRETA
SYNODI DIOECE-
SANÆ, STRIGONIENSIS.

AUTHORITATE
ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
Collegij Turan. Domini, fuit & fuit
Petri Pazmany,
ARCHIEPISCOPI STRIGO-
1687 NIENSIS.

Celebrate Tyrnavie, Anno Domini M. DC. XXIX.
die IV. Octobris & sequentibus.


JUSSU EJUSDEM ILLUSTRISSIMI
ARCHIEPISCOPI, PRO COMMODITATE
Parochorum Typis editæ.

Posonii, in Aede Archiepiscopali,
ANNO DOMINI, M. DC. XXIX.

ACTA ET DECRETA
SYNODI DICECESANÆ
STRIGONIENSIS.

AUTHORITATE
ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI
PETRI PÁZMÁNY,
ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS.

RECENSUIT .
GEORGIUS DEMKÓ,
SS. THÉOLOGIÆ DOCTOR,
IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE BUDAPESTINENSI IURIS ECCLESIASTICI
PROFESSOR P. O.



CELEBRATÆ TYRNAVIE,
ANNO DOMINI MDCXXIX. DIE IV. OCTOBRI ET S^EQUENTIBUS.

Lucæ 10. v. 16.

Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit: Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Deuter. 17. v. 12.

Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto Iudicis morietur homo ille.

Opusculum subsequens, sub titulo: „*Acta et Decreta Synodi Diæcesanæ Strigoniensis*,“ sub *Petro Pázmány*, Archi-Episcopo Strigoniensi, *Tyrnaviæ*, 4. Octobris, anno 1629. celebratæ, quater hucusque typis mandatum, in lucem prodixit. Et quidem: *Princeps editio* lucem aspexit *Posonii*, in æde archiepiscopali, 1629.¹ *Deinde* ibidem, sub *Georgio Lippai*, Archi-Episcopo Strigoniensi, 1649.² *Tertio*, pro commoditate parochorum recusum iussu *Georgii Szelepcchény*, Archi-Episcopi Strigoniensis, 1667.³ *Quartam editionem* eiusdem habemus apud *P. Carolum Péterffy*, S. J.⁴ Quarta isthæc editio — teste ipso editore Péterffy — ex autographo Pazmaniano emendata et plurimis additamentis locupletior data est. „Quæ in prioribus vulgatis editionibus defuerunt, et Pazmanus principi editioni manu propria adiecit, ea (in quarta hac editione Péterffyana) literis, virgula et stella inclusis, ad calcem paginæ indicantur.“⁵

Quum igitur Actorum horum et Decretorum recensio mihi in mandatis data fuerit, omnem meam curam et diligentiam ad detegendum autographum illud, a Carolo Péterffy memoratum, impendebam eo animo, ut nostra hæc editio, quæ iam eorundem Actorum et Decretorum quinta est, quam perfectissime lectori sisteretur. Verum frustratis in detegendo manuscripto omnibus studiis et conaminibus meis, nihil aliud præstare possum, nisi ut memorata Acta et Decreta secundum principem editionem recenseam, conferendo hanc cum exemplaribus Szelepcchény et Péterffy ad manus meas habitis. Ex editione tamen Péterffyana adnotationes, quibus auctor editiones præcedentes ad verbum consonas locupletiores aliquatenus fecit, non recenseo, quia vires meas excedit, earum authentiam ad fidem fontis, qui latet aut periit, referre et examinare.

Actibus his et Decretis, quibus disciplina Ecclesiæ catholicæ in Hungaria secundum decreta Concilii Tridentini reformari cepta et in quibus vigentis

¹ Cfr. Szabó Károly: „*Régi magyar Könyvtár*“. Tom. II. pag. 126. num. 454.

² De hac editione supra citatus Szabó nescit; sed Péterffy eam asserit in opere suo: „*Sacra Concilia Ecclesiæ Rom.-Catol. in Regno Hungariae celebrata*.“ Posonii, 1742. Tom. II. pag. 232. Exemplar huius secundæ editionis a Lippai factæ, nec ego inveni.

³ Cfr. Szabó Károly, loc. cit. pag. 303. num. 1109.

⁴ Cfr. Péterffy: loc. cit. pag. 232—296.

disciplinæ incunabula sunt quærenda: auctor ingenio eruditio æque ac studio et labore fatigari nescio posteris vere admirabilis, triplicem adnexuit appendicem, multum lucis diffundentem ad historiam Ecclesiæ catholicæ quondam in Hungaria florescentis. In appendice enim prima describitur status Diœcesis Archi-Episcopatus Strigoniensis, prout tempore Petri Pázmány extensa fuerat. In appendice secunda describuntur Ordines Religiosi, qui olim in Hungaria floruerent. In appendice denique tertia memoriæ traduntur privilegia, quæ Archi-Episcopum Strigoniensem ornant ut Metropolitam, item Primatem et Legatum Natum, tum iure ecclesiastico communi, tum iure civili hungarico, tum quia Archi-Episcopo Strigoniensi a Summis Pontificibus et a Rege Apostolico expresse sunt concessa.

INDICTIO SYNODI DIŒCESANAE.

Non veteres modo Catholicæ Ecclesiæ Sanctiones, sed et postrema generalis Synodus Tridentina serio ac diligenter locorum Ordinariis, præcipiunt; ut *Diœcesanam Synodum quotannis celebrent*: Trid. Sess. 24.
cap 2. de Refor. ad quam exempti etiam omnes accedere teneantur. Quocirca, sedulo in eam curam intenti semper fuimus, ut huic tam salutari decreto satisfaceremus. Sed hucusque, vel iterato publicatam a nobis Synodum, supervenientes intestinarum revolutionum calamitates, disturbarunt; vel prælia, aut opiniones præliorum (quæ continuo decennio Hungariam vexaverunt) in ipso conatu, Synodi celebrationem excluserunt.

Et licet, ne nunc quidem satis tuta, vel quieta sint omnia: quia tamen ab hominum memoria, atque adeo ab Anno 1560. quo ultima Synodus Diœcesana Strigon. habita dignoscitur, consuetudo salutaris, Synodorum celebrandarum, interrupta fuit; vel quod annis triginta, et quod excurrat, Archi-Episcopis destituta fuerit Strigoniensis Ecclesia; vel quod Turcarum, ac domesticarum seditionum persecutio, cogendæ Synodi facultatem vigilantissimis Pastoribus intercluserint. Ne nos quoque, dum quietiora tempora præstolamur, officio Pastorali deesse videremur, Synodum Diœcesanam, in mediis etiam periculis, subsequenti formula promulgavimus.

LITERÆ PATENTES, AD VALVAS ECCLESIAE TYRNAVIENSIS APPENSÆ.

Nos PETRUS PAZMANY, Miseratione Divina, Archi-episcopus Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, Locique eiusdem Comes Perpetuus, Primas Hungariæ, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus,

Summus Secretarius et Cancellarius, ac Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Maiestatis, etc. Consiliarius Intimus, etc.

Universis et singulis, Reverendissimis, Reverendis, Venerabilibus, Honorabilibus Dominis, Abbatibus, Præpositis, Ecclesiarum tam Cathedralium quam Collegiarum Canonicis, Archi-Diaconis, Decanis, Vice-Archi-Diaconis, Plebanis, Altarium et Hospitalium Rectoribus, cæterisque personis Ecclesiasticis, in Diœcesi, vel extra Diœcesim Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Strigoniensis constitutis, qui de iure, vel consuetudine, Synodo Diœcesanæ huius Ecclesie interesse debent, etiamsi alias exempti essent; Salutem, et paternam in Domino benedictionem.

Ecclesiastici Regiminis officium exigit, ut pro mensura graticæ, cælitus nobis communicatæ, gregi Dominico, curæ ac sollicitudini nostræ divinitus commisso, paterne consulamus; devios ad tramitem, vitæque melioris frugem, revoceamus; errorum fibras evellamus; mores solutos corrigamus; divinum vero cultum, si qua in re labefactatum comperiamus, suo nitori restituamus: ita denique, pro virium facultatumque nostrarum mensura, ministris Ecclesiæ consulamus, ut ii quietam, ac Deo gratam, suæque vocationi consonam vitam ducentes, in Sanctitate et Iustitia coram Deo ambulent; populusque curæ ipsorum commissus, et vitæ sanctioris exemplis, et puræ doctrinæ fontibus irrigatus, crescat ad salutem in Domino.

Cum igitur ad hæc tanta, tamque sublimia perficienda, ex Sacrorum Canonum præscripto, laudatissimisque Apostolorum, ac aliorum deinceps Ecclesiæ Pastorum exemplis, saluberrimum remedium sit; ut ii, quibus cura Pastoralis competit, in Spiritu Sancto congregati, vota conferant, ac in commune consulentes, viam ac rationem ineant, qua, vel integra foveri ac conservari, vel lapsa erigi ac sublevari, possint: idcirco nos quoque Sacrorum Canonum Ordinationibus, ac Sanctæ Tridentinæ Synodi decreto, satisfacere cupientes, omnibus ac singulis, Diœcesi et iurisdictioni nostræ subjectis, Synodum Diœcesanam indicendam decrevimus.

Quocirca, vos omnes ac singulos, Dominos et Fratres nostros, qui ratione beneficiorum, aut alias, de iure vel consuetudine, interesse Synodo Diœcesanæ Strigoniensi soletis, ac debetis, hortamur ac monemus diligenter, imo in virtute Sanctæ et salutaris Obedientiæ, vobis omnibus iniungimus, ut ad festum Sancti Francisci Confessoris, hoc est, ad diem quartum Octobris proxime affuturum, huc Tyrnaviam vos conferatis: ita, quod pridie festi Sancti Francisci,

Vesperis interesse possitis; ad deinde, ipso die festo, hora septima matutina, ad Templum maius convenientes, ardentibus precibus Sancti Spiritus gratiam una nobiscum imploretis: tandem illo, et si opus sit, sequentibus diebus, in commune consulatis; spirituales necessitates, difficultates, et pericula Ecclesiarum vestrarum, ac populorum vestræ fidei commissorum, diligenter annotetis; mature, ac sollicite de modo iuvandi Ecclesias in spiritualibus deliberetis: ut communibus omnium congregatorum suffragiis, Dei gratia aspirante, salubria omnibus remedia adhiberi possint.

Ut autem Dei gratiam efficacius obtinere, ac maiori animarum fructu, Synodum celebrare possimus, non solum vos ipsi, precibus, et ieuniis Deum omnipotentem conciliare laboreatis, verum etiam, ut id ipsum populus diligenter præstet, sollicite pro concione admoneatis.

Et quoniam subinde, litium, ac differentiarum etiam materia inter Ecclesiasticas personas oboriri solet; volentes eiusmodi controversias personarum Ecclesiasticarum, simpliciter et de plano, sine strepitu iudiciorum, sola facti veritate inspecta, sopiri, componi, et complanari: idcirco initio Synodi, Iudices, qui Vicario nostro generali assistent, designabimus; qui plenam atque omnimodam autoritatem habeant, quæstiones, et differentias huiusmodi, audiendi, cognoscendi, ac sine debito terminandi; et quæ determinarint, debitæ executioni demandandi. Si quæ autem controversiæ, ob temporis brevitatem, durante Synodo, componi non possent: ad tribunal Vicarii nostri generalis examinanda, ac de simplici et plano definienda, perferantur. Volumus autem, et mandamus, ut Dominus Vicarius noster, peculiaribus literis, Archi-Diaconos, et Parochos exemptos, admoneat, ac instruat de hac Synodi Diæcesanæ celebrazione: cuius admonitioni, omnes et singuli parere teneantur. Datum Tyrnaviæ, die quarta Augusti, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo vigesimo nono.

LITERÆ

ILLUSTRISSIMI ARCHI-EPISCOPI, SEORSIM AD SINGULOS ABBATES,
ET PRÆPOSITOS SCRIPTÆ.

Venerabilis et Religiose Frater.

Non sumus nescii, Sacrorum Canonum decretis, locorum Ordinarios adstringi ad Synodum Diæcesanam quot annis celebrandam;

atque ideo conatus, ac desiderium in nobis nunquam defuit, huius tam Sancti et necessarii conventus instituendi: ceterum, usque ad hoc tempus, in hoc salutari ac pio opere, ob intestinos superiorum temporum motus, magno animi nostri dolore, gravissima sensimus impedimenta. Nunc vero, Dei benignitate, aliquam temporis quietem nacti, officio nostro hac quoque in parte satisfacere cupientes, Synodum Diœcesanam indiximus, ad quartum diem, proxime affuturi mensis Octobris, qui dies S. Francisco Confessori est sacer.

Quoniam autem, ut ex vetustis scripturis liquet, Abbas quoque Ecclesiæ N. (Præpositus quoque Ecclesiæ N.) huiusmodi Synodo Diœcesanæ Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Strigoniensis interesse solet, ac debet: præter generalem prædictæ Synodi inductionem, particularibus hisce literis nostris, super celebratione eiusdem Synodi, Fraternitatem tuam certificare voluimus.

Mandamus igitur, ac præcipimus tibi, in virtute Sanctæ et salutaris obedientiæ, ut postposita quavis excusatione, interesse debeas Tyrnaviæ, die memorato: et ita quidem, ut pridie Festi iam dicti, Vesperis adesse possis. Quæ autem, pro bono Ecclesiæ in consultationem vocanda, tua Fraternitas censuerit, ea interim accurate ruminet, ac perpendat. Valeat in Domino feliciter. Datum Tyrnaviæ, in Curia nostra Archi-Episcopali. Die quarta mensis Augusti. Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo vigesimo nono.

LITERÆ

ILLUSTRISSIMI DOMINI ARCHI-EPISCOPI, AD PRÆPOSITUM POSONIENSEM, ET SCEPUSIENSEM, TANQUAM ARCHIDIACONOS COMITATUS POSONIENSIS, ET SCEPUSIENSIS.

Literæ istæ, ad verbum scriptæ fuere, prout ad Abbates, ac cæteros Præpositos: solum post illa verba: *accurate ruminet, ac perpendat, addita fuerunt, quæ sequuntur.*

Quia vero Præpositus Posoniensis (Scepensiensis) ex antiquo Archi-Episcoporum Strigoniensium privilegio, officium Archi-Diaconi quoque exercet: idcirco Fraternitati tuæ committimus et mandamus, ut acceptis præsentibus, suæ iurisdictioni subiectis Parochis, hanc Synodi Diœcesanæ celebrationem intimet; eosque omnes et singulos in unum aliquem locum convocet, ac cum ipsis consultet, de iis, quæ Ecclesiæ salutaria videbuntur. Illud vero, serio, et sub

pœnis Ecclesiasticis eisdem iniungat, ut pridie Synodi ante Vespertas, decenti vestitu, superpelliceis mundis, birettis, ac coronis Sacerdotalibus ornati, in templo Tyrnaviensi se sistant. Si qui autem ob magnam loci distantiam, vel alias causas legitimas, adesse non possent, Fraternitas tua eorum vota ac sensum (si quid considerabile contineant) ad Synodum adferat. Valeat Fraternitas tua, et pro nobis Deum exoret. Datum Tyrnaviæ, in Curia nostra Archi-Episcopali. Quarta die Augusti. Anno 1629.

LITERÆ,

QUAS DOMINUS VICARIUS IUSSU ILLUSTRISSIMI DOMINI ARCHI-EPISCOPI SCRIPSIT SINGULIS ARCHI-DIACONIS.

Admodum Reverende Domine Archi-Diacone.

Illusterrimus ac Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis, Prælatus noster gratosissimus, celebraturus est Synodum Diœcesanam, in Festo S. Francisci Confessoris, hoc est, quarta die proxime venturi mensis Octobris, quod ex inductione eiusdem Illustrissimi Domini Archi-Episcopi promulgata, et affixa, sufficierenter intelligere potuisti. Quæ sacra et salutaris actio, ut ad laudem DEI omnipotentis, emolumenitum Ecclesiæ Catholice, salutemque animarum, fructuosius ac utilius possit celebrari, ac perfici: placuit eidem Illustrissimo Domino Archi-Episcopo, ad complementum suæ paternæ, ac Pastoralis sollicitudinis, ut ultra generalem suam inductionem, vos, qui ad partem sollicitudinis eius estis vocati, peculiaribus literis admoneremini, quatenus, quæ a vestra cura profici sci debent, ea sollicite providere possitis.

Quapropter, statim his acceptis, vicem gerentem vestrum commovere debebitis, transmissa ipsi literarum inductionis Synodi copia; ut ad diem aliquem certum, Parochos contubernii, seu districtus sui convocet, eisque literas inductionis Synodi communicet. Deinde vero, seposito omni humano affectu, quisque statum Ecclesiarum suarum consideret diligenter: et quæ ad amplificandum cultum Divinum, promotionemque salutis animarum necessaria viderit, ea studiose consignet: ac ad Nos, Illustrissimo Domino Prælato assignanda, transmittat: in quibus, non solum abusus corrigendi, annotari, sed et remedia, quæ illuc pertinere videbuntur, diligenter debebunt consignari. Huius autem consignationis, transmissionisque cura, una

cum nominibus et cognominibus Parochorum, prædicto Vicemgerenti committi debet, et quidem ad minus duabus septimanis ante diem celebrationis Synodi. Illud quoque erit Parochis intimandum, ut pridie celebrationis Synodi, omnes Tyrnaviæ ante Vespertas compareant, cum vestitu decenti, superpelliceis mundis, birettis, et coronis in capite, aliisque Sacerdotali statui necessariis. De cetero valeat in Domino feliciter. Tyrnaviæ. 6. die Augusti. Anno 1629.

LITERÆ,

QUAS DOMINUS VICARIUS, IUSSU ILLUSTRISSIMI DOMINI ARCHI-EPISCOPI, SCRIPSIT AD PLEBANOS EXEMPTOS.

Reverende Domine, Frater in Christo observandissime.

Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Petrus Pázmány, Ecclesiæ Metropolitanae Strigoniensis Archi-Episcopus, Prælatus noster gratosissimus, pro Pastorali in gregem suum cura ac sollicitudine, Synodum Diœcesanam constituit celebrare 4. Nonas proxime affuturi Mensis Octobris; hoc est, in festo S. Francisci Confessoris: prout ex ipsius indictione, de more promulgata, et affixa, clarius cognoscetis. Cui sacre actioni, de vetusta præfatæ Ecclesiæ Metropolitanae Strigoniensis consuetudine, et iure, Vestram quoque Reverendam Dominationem intervenire necesse est.

Idcirco, eiusdem Illustrissimi Domini Archi-Episcopi autoritate, Dominationem Vestram Reverendam requiro: eidemque sedulo præcipio, ut postpositis quibusvis excusationibus, in prædicta Synodo comparere debeat, et teneatur. Ut autem solemni inchoationi eiusdem Synodi debite interesse, atque ad ea, quæ ipsi ex more præscribentur, rite peragenda, promptius se accomodare possit: pridie prædictarum Nonarum Octobris, ante Vespertas, cum vestitu decenti, superpellico nundo, biretto, ac corona Sacerdotali in capite, cæterisque Sacerdotali statui necessariis, hic Tyrnaviæ compareat. Interea tamen, quæ ad Ecclesiæ bonum, tam in spiritualibus, quam temporalibus, nec non ad promovendam salutem animarum viderit, pertinere, ea diligenter consignet: ac ad Nos, Domino Illustrissimo Prælato consignanda, transmittat. De reliquo feliciter in Domino valeat. Datum Tyrnaviae. 6. die Augusti. Anno Domini 1629.

ACTA PRIMAE DIEI.

Dies Synodo præfixa cum illuxit, campana maiori signum datum, quo Clerus convocabatur. Qui postquam ad ædes Archi-Episcopales convenisset; Illustrissimus Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis, rocheto et capucio indutus, Cruce prælata, universo Clero superpelliceis linteato præeunte, deductus est a curia Archi-Episcopali ad summum Templum. Ibi statim sumpto pluviali, processio intra Templi parietes peracta. Post processionem Sacrum de Spiritu Sancto (ut temporis compendium fieret) submissa voce, legit Archi-Episcopus.

Sacro finito, sequens edictum, per Archidiaconum Cathedralem Ecclesiae Strigoniensis, alta voce, e loco superiore, lectum fuit:

Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater Archi-Episcopus Strigoniensis, Prælatus noster gratosissimus, edicit: Quod si cui contigerit in hac Synodo, non suo loco, aut ordine sedere, incedere, subscribere, vel in suffragiis exquirendis nominari: nemini per hoc ius ullum acquiri: nec exinde quidquam ulli de suo iure decidere; sed omnia in eo statu permanere, quo ante hanc Synodus fuisse compertum erit.

Post hæc, ordine omnia, prout in Pontificali præscribuntur, usque ad allocutionem, *Venerabiles*, inclusive, peracta sunt. Deinde Reverendissimus Georgius Draskovith, Nominatus Episcopus Quinte-Ecclesiensis, Canonicus Strigoniensis, et Præpositus S. Thomæ, Orationem hanc ad Clerum habuit.

Oratio ad Synodum habita.

Quod precati sumus a præpotenti Deo, Illustrissime et Reverendissime Archi-Episcope, Admodum Reverendi Abbates, et Præ-

positi, Reverendi Archidiaconi, Canonici, Parochi, Presbyteri, Clerici universi; quod inquam, summis votis assidue precati sumus, ut gravissimos tot annorum in hoc Regno tumullus, ac turbulentissimas tempestates, si non perpetua tranquillitas, quam vix sperare licet, saltem malacia aliqua consequeretur; quo, more institutoque Maiorum, celeberrimo totius Diœcesis Conventu, malis mederi, ac plena salutis decernere possimus: id nos hodierno die, singulari Dei beneficio assecutos, sedatis paulisper fluctibus, vobisque omnibus hunc in locum congregatis, magna animorum significatione gratulamur. Quid enim est tam utile Ecclesiæ Dei, his præsentim extremis ac miseric temporibus, quid tam salutare Religioni Orthodoxæ, totique Ordini Ecclesiastico, quam sapientissimos iuxta ac sanctissimos viros, ex tota Diœcesi in unum cogere, qui abusus eliminent, vitia exterminent, iniurias arceant, res immoderatas amputent, dubias eludcent, controversias dirimant atque componant? Quod quidem adeo non modo utile, verum etiam necessarium semper visum est omnibus, ut gravissima Concilii Oecumenici, quod Tridenti habebatur, lege sancitum sit; Synodos Diœcesanas quotannis celebrandas esse. Ut idcirco beatum ego te Petre Archi-Episcope pronuntiare non dubitem, qui modo Conventum tuæ Diœcesis agas, quem ab annis propemodum septuaginta, fieri a nemine vidimus: ita ut ad tua multa atque præclara in Ecclesiam merita (quæ, si mihi nunc esset integrum, libens commemorarem) maximus, hoc tuo facto, cumulus accesserit. Quæ cum ita se habeant, Patres ac Fratres; primum, quod in tanta rerum deliberatione ac momento facere necesse est, a Deo Opt. Max. cuius ope ac nutu, multo magis res Catholica, quam ratione hominum et consilio gubernatur, precor ac voveo, ut hodiernum diem, ad cuncta utiliter in Ecclesia Dei, atque salutariter constituenda, illuxisse concedat. Deinde, vos Patres, quorum summa ac divina quædam in terris est potestas, oro atque obsecro; ut postquam mihi, pro onere imposito, de vita vestræ instituto ac munere, deque periculis animarum breviter dicenti, aures animumque accommodaveritis; adhibeatis pro communi Ecclesia bono, in consultando sapientiam, in exequendo fortitudinem, quam soletis.

Nullum est in terris tam sublime vitæ genus, ac vestrum, Patres: nullum tam excellens munus, quam quod vos gerere profitemini. Scilicet animarum Pastores, fidei divinæ satores, exterminatores vitiorum, virtutum propagatores, ac præsides estis. Amplius dico, ipso Servatore nostro teste: lux estis mundi, sal terræ, ful-

gentes stellæ in perpetuas æternitates, Principes terræ: uno verbo: Apostolis successistis, ipsiusmet Christi servatoris personam sustinetis. O rem admirabilem, ac prorsus divinam, quam vix cuiusquam mens capere, nedum eloqui possit oratio! nihil maius, Patres, nihil post Christum, ac eius Genitricem, Apostolis sublimius, vidi orbis unquam. At vero, quid tandem fuere Apostoli? nonne gregis Dei Pastores, Curatores animarum? nonne Christianæ fidei seminatores ac præcones? nonne extinctores scelerum, virtutumque auctores fuere? hæc omnia, suo gradu et ordine, sacerdotali dignitati vestræ, commissa sunt divinitus. Dicam amplius: ipse Deus Opt. Max. mundi conditor et conservator, summa interitus humani commiseratione permotus, atque e cœlis in terras delapsus, et factus homo; quid aliud, et re ipsa palam, et verbis quoque dilucidis, ac similitudinibus egit, quam ut Pastor ovium, suo emptiarum sanguine, cœlestis legis præco, vitiorum extirpator, virtutum sator haberetur? hæc omnia sublimitatis suæ ministeria, communicata vobiscum Deus ipse voluit. Quapropter, ne magnos iam, ac beatos vos ego prædicem Patres, qui et Apostolico ordini successistis, et ipsius Dei hominis officium in parte usurpati.

Verum, ne tam augusto nomine, tam insignibus honorum titulis, vobis fortasse blandiamini: advertite, quanta humeris vestris onera sustineatis: attendite, quam ingens sit in isto honore pondus ac labor. Cadunt enim in hanc, quam tuemini personam, virtutes omnes: atque ita cadunt, ut si adsint, ea summa sit dignitas: sin absint, summa deformitas, extremaque pernicies, videatur.

Profuderat iam Servator Christus, vitam pro ovibus suis, dieque tertio a mortuis excitatus, et propediem in cœlos evolaturus, non neminem Pastoritii muneric Vicarium sibi sufficere cogitabat. Quia vero Petro, quod se Filium Dei vivi nuncupasset, claves regni cœlorum, summum nimirum decus, summum imperium, spoponderat: iam eas ipsi traditurus, ac Principatum totius Ecclesiae delaturus; prius tamen, divino plane consilio, ita animum eius examinat, et perscrutatur, ut nihil non tentatum reliquerit. Ac primum quidem, velut in tantæ dignitatis delectu, gravissimus hic censor noster Christus, diligentissime quærerit et percontatur: Num se plus cœteris diligat? Ille, cur quæreretur ignarus, nihilque subesse ratus, cupidus autem testificandi in Magistrum amoris sui, imo vero, amare se eum profitetur. Et ecce, subito (mirum dictu) Agnos iubetur pascere. Verum, haud una tantummodo amoris testificatione, ad tantum

munus largiendum, contentus Christus: quærit iterum, magis magisque sciscitatur, num revera se Petrus diligit, cæterisque arctius complectatur? subiit hic animum ipsius suspicio, quasi Servator de sua in ipsum pietate ambigeret: ita iam anxius ac sollicitus, illum ipsum compellans testem, citra omnem dubitationem, singularem suum erga eum amorem rursum professus, rursum agnis pascendis destinatur. Iam satiatum fortasse Christum, gemina Petri erga se amoris contestatione existimatis? At longe est secus: nam tertium vehementius, planeque censoria quadam ratione perquirit, et perscrutatur: An tandem omni ex parte se amet, ac præ cunctis rebus habeat charissimum? Cadere hic in mœrorem Petrus, sibi diffidere, vereri, putare denique cerni in se quidpiam, quod ipse non persentiscat: actu tum tamen iacentem erigere animum, confirmare sese; ad extremum, pleno ore ex corde proloqui: Quod cum omnia norit, et hoc ipsum sciāt; neque aliter res habeat, quam quod se penitus penitusque diligit, ac intimo prosequatur amore, quem verbis nemo queat exprimere. Et ecce (o rem admirandam!) idem tertio audit, ovesque pascendas suscipit.

Quid hic Patres censem? quid arbitramini? quorsum trina Christi, cui omnia nuda et aperta sunt, de charitate Petri percontatio? Primum sane, ut neverint ii, quibus Pastoralem curam committit DEUS, eos in Fidei petra consolidatos, amore in ipsum non modo accendi, sed etiam ardere, ac penitus conflagrare debere. Deinde vero, ut omnem, terno gradu, amorem, in DEUM nempe, in homines, in seipsum complexus, ostendat, non ambitionis, non quæstus, non otii, sed puri casti, atque integri in DEUM amoris, et in proximos curæ ac laboris causa, dignitatem Pastoralem esse capessendam. Denique quoniam charitas, virtutum omnium est forma et radix. Neque enim (Gregorio illo teste, cuius ardenter amorem, ignea testata columna est) habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis: Idcirco, et primo loco, et secundo, et postremo, amorem perquirit sedulus: ut unius charitatis facta mentione, virtutum omnium comitatum imperasse videatur.

Verum, nisi me fallit animus, optimus Pastor Christus hac trina, eaque admirabili percontatione amoris, plus etiam innuere, ac ad uberiorem muniorum vestrorum cognitionem, aditum vult vobis patefacere, Patres: siquidem toties omnino agnos suos, ovesque pasci demandat, quoties de amore fuerat sciscitatus. Quid ita? Triplex nimirum Pastus genus est, quo oves vestras reficere ac recreare

debetis. Audite Bernardum illum, e cuius ore melle dulcior fluebat oratio: Pasce, inquit is, mente, pasce ore, pasce opere; pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. En vobis vivum, omnibus numeris absoluti Pastoris exemplar, spirantemque imaginem.

Nullis umquam, credo ego, Servator noster precibus habebat opus. Ille enim ipse omnibus dabat cuncta affluenter, unusque erat, et est, bonorum omnium largitor Deus: attamen, ut has Pastoris partes, quas nunc primo loco recensui, a se, ut homine, expletas declararet, Deum Patrem pro oīibus suis nimium sēpe deprecabatur: quin noctes integras in precibus traducebat. Idem prorsus fecere Apostoli, si Paulo credimus asseveranti; inflammatis ad mutuas preces oīibus, cunctisque Dei misericordiam una mente, atque uno ore continenter efflagitantibus. Quid Iacobus? nonne tanta precandi assiduitate præditus fertur, ut callo genibus acriter obducto, duritie Cameli pellem assequi videretur? et vero, si, quemadmodum divinus ille vates Ioël commemorat, veteres illi Sacerdotes, inter vestibulum et altare constituti, plorabant, eiulabant, cælum gemitibus complebant, ut flecteretur miseratione Deus, populoque parceret: ecquid nos agere convenit, qui uti ampliori gratia, donisque potioribus dotati sumus, ita sanctimonia vitæ, ac precum studio, cæteris antecellamus oportet?

Iam vero, de pabulo Doctrinæ atque sermonis, quid dicam satis? nostis, primum ac princeps hoc Apostolorum, omniumque Pastorum esse munus. Ea oīis natura prædicta est, ut cum per dumos, aut senticeta oberrat, simul ac vocem inclamantis Pastoris exaudit, balando respondeat, eumque insequatur. At, si nullam Pastor edat vocem, quomodo exaudiet? quomodo insequatur? Inflanda est ergo Evangelii buccina, interpretanda Orthodoxa Religio; docendi ignari, hortandi edocti, afflicti excitandi, scelerati obiurgandi, singulis congruentia alimenta suppeditanda, lac infirmis, esca fortibus. Magna vis orationis est, Patres, magna prorsus, quæ corda obfirmata, ipsisque duriora saxis confringat, et emolliat. Epirotarum certe Rex ille Pyrrhus, dicere sæpenumero solebat: Plures regno suo urbes et oppida, Cyneæ oratoris eloquentia, quam armis ac ferro accessisse; plusque se lingue eius, quam militum dexteris, in acceptis referre. Quod si hoc ille, in profanæ laudem eloquentiæ, multis pigmentis et fucis delibutæ, proferre non dubitabat: longe potiori iure, in commendationem sermonis Divini, Divini inquam, ac veracissimi,

usurpare nos poterimus; quem proinde Paulus, omni gladio ancipiti penetrabiliorem astruere non veretur. Hæc nempe sunt tela, hæc arietes, hæc machinæ, quibus præstantissimi illi oratores, Apostoli, inquam, non urbes solum, aut provincias, sed regna, sed imperia, sed orbem denique universum expugnarunt, subiugarunt.

Ad extremum, ut in pauca multa conferam, sanctissimis vitæ exemplis, præclaris moribus, pascendæ sunt oves vel maxime. Si quempiam temulentum, vinoque crebrius madentem videas; sobrietate ei præluceto: si avarum, liberalitate: si prodigum, parsimonia. Quod si lascivum, ac impuros sectantem amores conspicias, pudicitiam, castimoniamque præ te fert: si cernas iracundum, ac furore percitum, ostendito mansuetudinem: si denique elato supercilio tumidum, ac turgidum aliquem animadvertis, singulari modestia, morumque facilitate ei occurrito: semper pro salute gregis excubato, vitam ipsam et sanguinem, si opus est, profundito. Sane, de Christo Servatore ita legimus: cœpit Iesus facere, et docere: prius nimirum exempla, quam vocem edere, atque; utinam tam multi bene facerent, quam multi bene loquuntur. Quamobrem, decus ac lumen illud Ecclesiæ Augustinus: Parum erat, inquit, Dominum hortari verbo, nisi firmaret exemplo. Quod usque adeo cunctis visum est semper verissimum, ut etiam Menander ille apud Plutarchum dicere solitus sit: Mores, dicentis esse, qui persuadeant, non orationem. Nam bene dicere, et male vivere, quid aliud est, amabo, quam suo se gladio iugulare? Furta prohibes? at ipse aut clepis, aut fœnus exerces: vinolentiam reprehendis? at ipse te persæpe ingurgitas: adulteria, et id genus flagitia vetas? at ipse tu impurus es, ac flagitious; nempe aliis auctor es, tibi ipsi dees. Quo fit, ut dum furem furca terres: idem tibi supplicium constituis; dum adulteros et horum similes, securi feriendos censes: capite te ipsum damnas; dum denique aliis alios sceleribus mancipatos, sempiternis inferorum pœnis addicis: temet, vitiorum sentinam, propria sententia, cœternis tartari flammis adiudicas.

Dicam, quod assiduo animo meo obversatur, Patres: formidolosissima mihi semper visa est, illa præpotentis Dei apud Ezechiem comminatio, multis et gravissimis descripta verbis: Vœ Pastoribus Israël; quœ utinam ita omnium corda commoveret, ita concitaret animos, quemadmodum in omnes iacitur, ac denuntiatur.

Quam multi miseris his temporibus (absit verbo iniuria) quam multi, inquam, algent, non ardent, amore sive in Deum optimum,

sive in proximos mortales, sive in seipsos! cum extra dubitationem positum sit, vel uno crimine mortifero, Charitatis, ac proinde virtutum omnium iacturam, nullo pretio parem, fieri. Quos tu compluribus vitiis obnoxios cernis, charitate imbutos, et virtutibus præditos censem?.

Quid iam de primo, quod S. Bernardus attigit, Pastus genere dicam? Evidem haud contentiose urserim, ut continue in precibus noctes, diebus coniungantur; vel assiduitate precandi, callum genibus obducatur: optandum, si nonnulli, saltem pensum diurnum, quas Horas Canonicas vocant, quæque sine gravi piaculo prætermitti nequeunt, persolverent, et attente pieque diebus singulis recitarent. Unde, quæso vos, tot immanes hæreses, tam diurna bella, tanta denique tamque extrema mala, quibus interclusi respirare non possumus? Scilicet, vix quispiam est, qui Deum precibus fatiget, vix qui iratum placet Numen, qui pro tot tantisque calamitatibus avertendis, Divinam clementiam supplex imploret.

At, pascitur fortasse grex Doctrina, monitis, sermone? dicat me tacente Jeremias, testis locupletissimus: Parvuli petierunt panem (Panem, inquam, spiritus, quod est Verbum Dei) et non erat, qui frangeret eis. Quam multi, non modo pueri, verum etiam adulti; neque hi tantum, sed et viri, imo et decrepita ætate senes (pudet dicere) Christianæ disciplinæ rudimenta ignorant! quam multi, si benignè scelerum arguerentur, aut multarentur paulo asperius, vitam in melius commutarent! quam multi, si sœpius et accuratius Fidei mysteria evolverentur, pravas opiniones deponerent, hæresimque abiurarent! quam multi, absque sanctissimis Sacramentis, quæ suprema eaque postrema salutis nostræ sunt remedia, vita decedunt, et sempiternæ felicitatis naufragium patiuntur! Hoc nempe est, quod ait idem ille Bernardus: Cadit asina, et est qui sublevet eam: perit anima, et nemo est, qui reputet. Proh dolor, in quæ tempora reservati sumus, ut pluris asina fiat, quam anima! Itane terrena cœlestibus, caduca sempiternis, falsa denique veris anteferre licebit?

Sed tamen, innocentissimæ vitæ exemplis, integerrimis moribus, omnes suis ovibus præludent. Daret hoc, rerum omnium præpotens Deus! At quis nefaria, et sacrilega multorum connubia; quis colluviem vitiornm memoret? equidem non audeo totum dicere. Hoc dicam, et quanta possum voce contendam, ut vos, ac totus, si fieri posset, orbis exaudiat: Advolaturum nempe diem, quo, post rupta Divinæ patientiæ claustra, gregem suum de talium manibus requirat

Deus: atque huiusmodi, non iam munere Apostolos (audacter dico,) sed eo neglecto, Apostatas; non iam Pastores, sed gregis pestes, in tartara deturbet, agatque præcipites: ubi miseri ac infelices, una cum suo illo grege, cui corruptela suorum morum, et Pastoritti muneris incuria, exitio fuere, a diris animorum corporumque tortoribus, inauditis cruciatibus, et ultricibus flammis atque incendiis, æternum ac ultra torrebuntur.

Quo quidem horribili metu, extremisque periculis, per Deum immortalem, Patres, liberate nos, ac eripite: nolite sinere in tanto salutis discriminé nos diutius versari: leges salutares ferte: latae observari curate; quacunque ope potestis, subvenite. Tuque imprimis, Petre Archi-Episcope, in quem ora atque obtutus defigimus universi, per salutem Ecclesiæ, quæ tua tibi multo charior esse debet; tu, inquam, tantis medere malis: tibi namque uni, Petre, sublevanda ac erigenda sunt omnia, quæ iacere sentis temporum iniuitate, ac hæresum impetu collapsa atque prostrata: constituendi Canones, propulsandæ iniuriæ, extirpandæ Hæreses, revocanda avita Religio, exterminanda sacrilega connubia, propagandus ordo sacer: omnia quæ dissoluta, et dissipata, remittere, fluere, labi vides, severis legibus vincire, ac constringere debes. Non est mirum, in tanta acerbitate et perpetuitate bellorum, in tanta sævitia atque perfidia hæresecos; quod afflito, ac pœne perduto Regno, ordo Ecclesiasticus multa amiserit et ornamenta dignitatis, et præsidia stabilitatis suæ: quæ quidem tibi, Petre, nunc omnes, quantumvis graves et acerbæ, curandæ sunt plagæ; quas præter te, sanare potest nemo. Ita fiet, ut tu, et quotquot hic sunt vestrum, pro sua quisque bene navata opera, tamquam munere Pastorali præclare functi, a Principe Pastorum Christo immortalem gloriæ coronam consecuti, una cum grege vestro, beati, pascuis sempiternis perfruamini. Dixi.

Postquam peroratum est: Primum omnium Secretarius Synodalnis, alta voce dixit: *iuxta præscriptum omnium Oecumenicæ Synodi Tridentinæ, et Pontificialis Romani, legatur Decretum de Residentia Prælatorum.*

Archidiaconus Cathedralis Ecclesiæ Metropolitanæ Strigonensis, suggestum concendens, alta et intelligibili voce, legit integra ea de re Capita decretorum Tridentini Concilii: quorum summarium est quod sequitur.

Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre;

verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia, nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio et veritate pascant et regant. Ne vero ea, quæ de Residentia sancta et utiliter iam antea, sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensus a sacrosanctæ Synodi mente alienos trahantur, acsi vigore illius decreti, quinque mensibus continuis abesse liceat: illis inherendo, declarat sacrosancta Synodus; omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocunque nomine et titulo præfectos, etiamsi Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinales sint, obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Diœcesi residentiam, ubi iniuncto sibi officio defungi teneatur; neque abesse posse, nisi ex causis et modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipub. utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant: decernit eadem sacrosancta Synodus, has legitime absentie causas, a beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitanu, vel, eo absente, Suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debet, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, et Reipub. officium, Episcopatibus adiunctum: cuius quoniam causæ sunt notoriæ, et interdum repentinæ, ne eas quidem significari Metropolitanu necesse erit: ad eundem tamen, cum Concilio Provinciali, spectabit iudicare de licentiis a se, vel a Suffraganeo datis; et videre, ne quis eo iure abutatur; et ut pœnis Canonicis errantes puniantur. Interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipient.

Quoniam autem, qui aliquantis per tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt, sacrosancta Synodus vult, illud absentie spatum singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; et haberi rationem, ut id æqua ex causa fiat, et absque ullo gregis detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam, et timoratam fore; cum Deo corda pateant, cuius opus

Sess. 23. c. 1.
Sess. 24. c. 12.
Sess. 6. cc. 1. 2.
Sess. 7. c. 3.
de Reformat.

non fradulenter agere suo periculo tenentur. Eosdem interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatum, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali ullo pacto absint, nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos alio vocent.

Si quis autem (quod utinam nunquam eveniat) contra huius decreti dispositionem abfuerit: statuit sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes, sub Paulo III. impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit; eum, pro rata temporis absentiae, fructus suos non facere; nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum, illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur, ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur: non obstantibus quibuscumque privilegiis cuicunque Collegio, aut fabricæ concessis. Et reliqua, usque ad finem Capitis perfecta.

Secundo. Postquam Archidiaconus legere desiit: consurgens Secretarius Synodalnis, dixit: *Perlegatur Decretum Generalis Concilii Tridentini, de fidei professione; quam in Synodo Diœcesana emitendam, idem Concilium præcepit.*

Archidiaconus Cathedralis, integra capita ad hanc rem facientia, verbatim, alta voce legit. Quorum quidem capitum summarium est:

Provisi etiam de beneficiis quibuscumque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ sue fidei publicam facere professionem, et in Romana Ecclesiæ obedientia se permanuros spondeant, ac iurent. Provisi autem de Canonicatibus, et dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu eius Officiali, sed etiam in Capitulo idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. Et reliqua.

Trident. Sess.
24. cap. 12 de
Reform.

Sess. 25. cap.
2. de Reform

Et rursum: Præcipit sancta Synodus omnibus, qui de iure, vel consuetudine, in Concilio Provinciali interesse debent, ut in ipsa prima Synodo Provinciali, ea omnia ac singula, quæ ab hac sancta Synodo

definita et statuta sunt, palam recipient: nec non veram obedientiam summo Romano Pontifici spondeant et profiteantur; simulque bæreses omnes anatematizent. Omnes beneficia Ecclesiastica habituri, et qui in Synodo Dicecesana convenire debent, idem in Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, obseruent.

Post recitatum hoc Decretum, omnes, qui Synodo intererant, professionis fidei formulam, genibus flexis pronuntiarunt, prælegente ex Pontificali voce clara Archidiacono Cathedrali. In fine, seorsim singuli, tactis sacrosanctis Evangelii, coram Archi-Episcopo, iureiurando sese adstrinxerunt, ad eiusdem fidei firmissimam professionem.

Tertio. Synodalis Secretarius, alta voce dixit: *Perlegatur Decretum Generalis Concilii Tridentini, de eligendis exadministratoribus Parochorum.*

Archidiaconus incipiendo: *Expedit maxime, legit adlongum caput illud; cuius præscriptum ad hunc locum spectans maxime iis verbis continetur:*

Omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo sive eo Trident. Sess. impedito, ab eius Vicario generali, atque ab aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus: quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem, singulis annis in Dicæsana Synodo, ab Episcopo, vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfiant, et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cuiuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant: indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alias tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine mendicantium, aut etiam Sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei: iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante, nec post accipient; alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurvant: a qua absolví nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant; et ad alia in posterum inhabiles reddantur: et de his omnibus, non solum coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali (si opus erit) rationem reddere teneantur; a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eius

24. cap. 18. de Reform.

arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint, cœtate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem cœteris magis idoneum iudicaverit; atque illi, et non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

Nominati igitur sunt ab Illustrissimo Archi-Episcopo, pro examinatorebus, et a Synodo approbati, sex Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Strigoniensis, qui ordinarie resident Tyrnaviæ, ubi examen Parochorum institui solet, ac debet: Nimirum: Reverendissimus Dominus Emericus Losi, nominatus Episcopus Varadiensis, Canonicus et Lector Ecclesiæ Strigoniensis, ac Illustrissimi Archi-Episcopi Vicarius in Spiritualibus Generalis: Reverendissimus Dominus Georgius Draskovith, nominatus Episcopus Quinque-Ecclesiensis: Reverendissimus Dominus Georgius Dubouzky, nominatus Episcopus Chaniensis: Reverendus Dominus Matthias Senquiczi, Præpositus S. Georgii, et Archi-Diaconus Cathedralis: Reverendus Dominus Georgius Lippai, Præpositus S. Stephani: ac Reverendus Dn. Benedictus Kisdi. Et quoniam Posonii, et Scepusii quoque nonnunquam examinari Parochos necesse est; adiuncti sunt: Reverendissimus Dominus Paulus David, nominatus Episcopus Vaciensis, Præpositus Posoniensis: Reverendus Dominus Georgius Nagy, Præpositus Albensis, et Canonicus Posoniensis: et Reverendus Dn. Henricus Schrader, Parochus et Canonicus Posoniensis: Reverendus Dn. Ladislaus Hoszutóti, Præpositus Scepsiensis: Stephanus Frányafi. Lector: Melchior Gretschmer, Parochus et Canonicus Scepsiensis.

Lectis horum nominibus, interrogatum fuit a Synodo; *an placerent, qui nominati sunt?* Et intimatum, ut, si cui quispiam non placeat, surgat, et accedat ad Archi-Episcopum. Postquam vero omnes approbassent nominatos: Iurarunt Electi, qui præsentes erant (nam duo abfuere,) in manibus Pontificis, iuxta præscriptum Tridentini Concilii, hac forma: *Ego N. deputatus in præsenti Synodo, ad examen eorum, qui eligentur ad Parochias, Iuro, me fideliter hoc munere perfuncturum, rejecto omni humano respectu. Sic me Deus adiuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.*

Trident.
sess. 24.
cap. 18. de
Reform.

Conc. Trident.
sess. 25.
cap. 10. de
Reform

Quarto. Ex Pontifici ritus, et Tridentinæ Synodi præscripto, electi sunt Iudices Synodales; qui etiam durante hac Synodo, loco ac hora per ipsos constituta, causas omnes, ac controversias, si quæ inter Clericos Diœcesis Strigoniensis, quocunque modo verte-

rentur, deciderent, et ad Illustrissimum Archi-Episcopum deferrent. Nominati ad hoc munus sunt: *Reverendissimus Dominus Emericus Losi, Vicarius Illustrissimi Archi-Episcopi Strigoniensis: Reverendissimus Dominus Stephanus Csiki, Episcopus Transylvaniensis: Reverendissimus DOMINUS Paulus David, Nominatus Episcopus Vaciensis: Reverendissimus DOMINUS Gregorius Nagyfalvi, Nominatus Episcopus Sirmiensis: Reverendissimus DOMINUS Ioannes Ivánczi, Nominatus Episcopus Tinniniensis: Reverendus DOMINUS Georgius Himmelreich, Abbas Sacri Montis Pannonicæ: Stephanus Bolerázi, Abbas Circensis: Parochus Szakolcensis: et Parochus Sanctæ Crucis.*

Quinto ac postremo. Brevi sermone admonuit Archi-Episcopus Clerum: semper quidem debere Clericos, vitæ suæ exemplo, cæteris ad virtutem prælucere: maxime tamen, cum Synodales actiones habentur, requiri, ut verbo, et opere, velut accensa luminaria fulgeant: ac assidua oratione Divinam gratiam implorent; sine qua nihil sancte, nihil utiliter, præsertim in rebus ad spiritualem animarum salutem spectantibus, decerni potest. Proinde, se paterno affectu hortari omnes, ut et modesta conversatione, et oratione ferventi Synodum promotam eant. Illud vero, pro autoritate iniungere singulis, ut, si quid pro bono Ecclesiæ, et salute animarum occurrat proponendum, id libere ac aperte scriptotenus exhibeant, iis ipsis Reverendissimis Dominis, qui Iudices Synodales sunt declarati. Qui demum, omnium scriptis in ordinem comportatis, quæ Synodo proponenda videbuntur, proponent: quæ autem aliter accommodari posse iudicaverint, ea quoque accommodabunt.

Demum, solenni benedictione a Pontifice impertita, finis impositus est actioni primæ diei. Eodemque ordine, quo Pontifex deductus in templum fuerat, universis comitantibus, ad ædes Archi-Episcopales est reductus.

ACTA SECUNDÆ DIEI.

Hora constituta, ad sonum campanæ convenere omnes: et ordine, quo die præcedenti, Clero universo Illustrissimum Dominum Archi-Episcopum deducente, itum est ad templum. Lecta ab eodem Domino Archi-Episcopo Missa de Beata Dei Genitrice Maria, cum commemoratione Defunctorum Clericorum Dioecesis Strigoniensis. Postmodum preces, ex præscripto Pontificalis, recitatæ.

Quia vero in templo, propter Officii Divini consuetum pensum, ac populi concursum, minus commoda videbatur tractatio Synodalium negotiorum: ad aulam Archi-Episcopalem ire placuit. Eo ubi ventum est, paucis a Pontifice admoniti fuere universi: ut Dei honorem, ac commissi populi salutem præ oculis habentes, quidquid ad fidem Catholicam propagandam, ad Ecclesiasticam disciplinam sacerdiendam, ad mores Cleri, ac populi corrigendos idoneum existimarint, id reticere nullo modo audeant, sed sacerdotali zelo, Synodo repræsentent. Ut vero lumen aliquod rerum discutendarum haberet Synodus, quæ idem Dominus Archi-Episcopus assidua meditatione, ac experimento quotidiano, præsenti statui, ac temporum conditioni maxime necessaria existimavit, ea scripto exhibere Synodo: ut, si quid iis demendum, vel adiiciendum videatur, id demum communi omnium suffragio sanciatur.

STATUTA ET DECRETA SYNODALIA.

CAPUT I.

De Sacramentorum Administratione.

- I. Ea, quæ ad Sacramentorum legitimam administrationem, sacrosque ritus spectant, in Rituali Strigoniensi, iussu Illustrissimi Domini Archi-Episcopi, nuper edito, accurate simul ac distincte

continentur. Quocirca, Parochi omnes, cæterique animarum curam quoquomodo gerentes, etiam Regulares, non solum librum illum habere, sed et iuxta eius præscriptum, absque ulla mutatione, administrationem Sacramentorum peragere debeant, ac teneantur. Nullo igitur alio libro rituali, nuliis aliis cæremoniis in administratione Sacramentorum, utatur quisquam in hac Diœcesi. Quod si qui in hoc deficere deprehendantur: Archidiaconi ipsos, Illustrissimo Archi-Episcopo, vel eius Vicario denuntient, ut debit is pœnis, ad aliorum exemplum, corrigi possint.

Baptismum, nemo intra domesticos parietes administret, sine evidenti necessitate: sed natus infans, quamprimum ad Ecclesiam deferatur baptizandus. Si quis vero ultra decem dies Baptismum infantis sui distulerit, Excommunicationi subiaceat. Quod si periculum urgens deprehendatur, poterit infans baptizari in æde privata; non tantum a Sacerdote, sed, si Sacerdos sine periculo expectari non posset, a quovis viro; vel si nullus vir idoneus adesset, etiam a fœmina, sciente formam Baptismi, hanc nimirum: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Hanc vero Synodalem constitutionem, quilibet Parochus in sua Parochia denuntiet, absque mora.

II.

Meminerint Parochi, in filiis Cingarorum baptizandis, cauti esse; cum (ut fama fert) sæpius eundem infantem baptizari current. Nomina item Baptizatorum, et eorum, qui infantem e sacro fonte suscipiunt, in librum referant. Fontem Baptismi, nitide aslervent, ac cætera in Rituali præscripta opere exerceant.

Vasculum in tres partes divisum habeant singulæ Parochiæ: pro Chrismate, oleo catechumenorum, et infirmorum. Liquores sacri non asserventur domi, sed in templo, in ipso ciborio, vel simili honesto loco. Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum nemo utatur. Accepto autem novo oleo, vetus in sacrario, una cum bombice, exuratur. Si deficeret oleum sacrum, et aliud haberri non posset: guttæ olei olivarum non consecrati, misceantur; ita, ut semper minus sit quod affunditur, oleo consecrato. Subcustos vero Ecclesiæ Strigoniensis, qui sacros liquores Plebanis distribuit, notet nomina Ecclesiarum, quibus dedit: ut hinc sciri possit diligentia Plebanorum. Neque liquores sacros pro vicinis Parochis dabit, nisi ipsismet in persona. Si vero longius dissiti Parochi, ædituum, vel scholæ Magistrum pro liquoribus miserint: Subcustos sigillo suo obsignet vasculum, et ita transmittat.

III. Confirmationis Sacramentum, quando in districtu aliquo, per se, vel alium administrabit Archi-Episcopus, tempestive præmoneant Archidiaconi Parochos, qui ad locum destinatum, cum personis confirmandis, concurrere debent. Parochi vero, accepta hac certificatione, denuntient populo, diem et locum administrationi hujus Sacramenti deputatum. Simul etiam, explicata virtute Sacramenti, hortentur omnes, ut, qui septennium excesserunt, confirmari non negligant. Insuper, curent publicas in templo orationes fieri post concessionem, pro iis, qui hoc Sacramentum suscipient, ut dona quoque Spiritus Sancti una recipient. Edoceant etiam populum, non licere sine sacrilegio, secundo confirmari: ideo, qui semel antea confirmati fuerunt, accedere secundo non præsumant. Adultos disponant, ut sacra confessione peccata prius eluant. Denique moneant, ut mares maribus, feminæ feminis compatres sint, vel commatres. Omnes vero confirmatos, et susceptores, libro inscribant, ea forma, qua in libro Rituali præscribitur.

IV. Eucharistiæ Sacramentum si quis in Paschate non sumpserit, Confessione præmissa, Ecclesiastica sepultura, ac pulsu campanæ prohibeatur. Si vero aliquis uno anno admonitus, alio quoque anno non obediverit: rem deferat Parochus ad Archi-Episcopum, vel ejus Vicarium; quorum mandato, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, ac demum etiam excommunicetur. Qui autem Regularibus se confessos, et ab eisdem Eucharistia refectos dixerint: nisi testimonium adferant, pro non confessis habeantur.

Parochi pro necessitatibus occurrentibus, tres ad minimum particulas Eucharistiæ decenter in Ecclesia, vel Sacristia, et non in ædibus privatis, asservent pro infirmis. Ac octavo, vel ad summum decimo quarto die, ex hostiis recentibus renovent. Moneant etiam sæpius ac diligenter populum, ut cum ad ægros defertur Sacramentum, comitari non intermittant.

Circa Missæ sacrificium diligenter observentur, quæ Tridentina Synodus ¹ præscripsit: *Ne cui vago, et ignoto, Missæ celebratio permittatur. Ne extra Ecclesiam privatis in ædibus celebretur. Ne ritus, cæremoniæ, aut preces ullæ alicœ adhibeantur, quam quæ ab Ecclesia usu approbatæ sunt, quibus nihil addi, vel demi fas est.* Ad hæc: *Ne superstitiosus candelarum numerus adhibeatur.* Si

¹ Trident. Sess. 22. de Observandis in Missa.

² Trident. Sess. 22. cap. 6. Sess. 25. cap. 4. de Reform. quæ autem Ecclesiæ, multitudine nimia Missarum ex testamento dicendarum, gravarentur, servetur in iis decretum Concilii Tridentini.²

Monet autem sacra Synodus Parochos diligenter, ut Sacramentum decenter asservent: suppellectilem sacram, mappas præsertim, corporalia, purificatoria, pulvere ac sordibus obsita, ac pæne nauseam moventia non habeant; nec putidis ac deformibus albis, iisque turpiter et inconcinne dependentibus, ad Altare accendant: sed externi quoque apparatus munditia, internam conscientiæ puritatem præseferant.

Confessiones nemo audiat, nisi, iuxta præscriptum Concilii Tridentini, aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur et approbationem obtineat.¹

V.

Præterea, cum certum sit, *Nullius² momenti esse eam Absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Iurisdictionem:* nemo Parochorum audeat limites suæ Iurisdictionis, et administrationis extendere; nec eos, qui de sua Parochia non sunt, absolvere; nisi in necessitate, vel permissu proprii Parochi.

¹Trident. Sess.
23. cap. 15. de
Reform.

Trident. Sess.

14. cap. 7.

*Et quamvis omnes Sacerdotes, quoslibet³ pœnitentes, a quibusvis⁴ Trident. Sess.
peccatis, et Censuris absolvere possint in articulo mortis: extra 14. cap. 7.*
illum tamen articulum, a casibus Sedi Apostolicæ vel Episcopo reservatis, nemo sine licentia absolvere potest; sed pœnitentes admoneri debent, ut ad Superiores pro Absolutione recurrent. Casus vero Episcopo reservati, hi sunt: *Homicidium voluntarium: Procuratio abortus: Percussio parentum: Incæstus in secundo, vel propinquiori gradu: Sodomia: Raptus virginum: Pollutio, aut violatio Ecclesiæ: Rerum sacrarum abusus, ad artes magicas et superstitiones: Mensurarum, et Monetæ adulteratio: Publica usura: et incendium voluntarium.* Quæ Parochi, initio Quadragesimæ populo denuntient: ut, qui aliquo horum flagitiorum sese obstrictum senserit, tempestive de remedio prospiciat.

Extremam Unctionem, iuxta Ritualis Strigoniensis præscriptum, diligenter administrent Parochi: non pueris, sed adultis duntaxat, periculose ægrotantibus. Si qui vero usum rationis ex morbo amiserint, sed pio tamen animi sensu edito, creduntur petituri fuisse hoc Sacramentum, iis quoque administrari debet.

VI.

In eo autem Parochi vel maxime laborare debent, ut periculose ægrotantes, etiam non vocati invisant, eosque consolentur, et ad usum Sacramentorum inducant. Serio, ac frequenter pro concione iniungant populo, ut si quis in Parochia gravius infir-

metur, confestim Parochum admoneat. Familiam vero eius, qui infirmatur, hortentur, ut piis orationibus, ac monitis salutaribus, mentem ægrotantis, ad Deum, ac ad cælestia bona dirigant. Denique ægrós et vita functos, pro concione piis fidelium orationibus diligenter commendare non intermittent.

VII. Ad Ordines Sacros nemo admittatur, nisi prævio diligenti

Trident. Sess. 23. cap. 7. de Reform. Examine, de ætate, moribus, doctrina; qui etiam testimonium in scripto adferre debent, de natalibus. Igitur serio, ac diligenter caveant Dominus Vicarius Generalis, et Reverendissimus Suffraganeus Archi-Episcopaloris, ne rudes et ignorantes, ne incognitos, et sine exactis testimonialibus aliunde accurrentes, ad sacros Ordines

Ibid. cc. 3. et 8. de Reform. admittant. Qui vero dimissoriales habuerint, nisi simul in scriptis testimonium, de probitate morum ab Ordinario attulerint, nullatenus admittantur. Curandum et illud erit, quod sapienter præscripsit Tridentina Synodus, ut, *qui ad Maiores Ordines assumendi sunt, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant.* Intra hoc enim tempus, exactior notitia haberi poterit de moribus, ac ingenio Ordinandi.

Ætas Ordinandorum, a Tridentina Synodo præscripta, dili-

Ibid. cap. 12. de Reform. genter observetur; *Nec quisquam ad Subdiaconatum, ante vigesimum secundum; ad Diaconatum, ante vigesimum tertium; ad Presbyteratum, ante vigesimum quintum ætatis annum, promoveatur.*

Ibid. cap. 11. de Reform. Stata etiam temporum intervalla in suscipiendis Ordinibus, non immutentur, sine expressa licentia Ordinarii.

Quicunque ordinati fuerint, eorum nomina Dominus Vicarius in librum peculiarem inscribi, et in Capitulo asservari curabit.

Parochi vero, quando solennia quatuor temporum ieunia populo denuntiant, semper illud adiungant: eo vel maxime hæc ieunia, et orationes Ecclesiæ, hoc tempore dirigi, ut DEI auxilium imploretur; tum ut Episcopi in diligendis ministris, a Sancto Spiritu dirigantur; tum ut consecrandi, donis Spiritus Sancti adimplentur. Itaque hortentur omnes, ut ieuniis et orationibus suis, hoc ipsum Divinæ bonitati diligenter commendent.

CAPUT II.

Quid in Parochiarum, et aliorum beneficiorum adeptione, vel
resignatione observandum.

Sacri Canones, et novissime sacra Tridentina Synodus, duo
illa in Parochiarum adeptione, ac resignatione observanda, serio
ac diligenter præcipiunt.

Primum est: *Ut nemo Parochiam suspicere audeat, nisi prius ab Episcopo, vel eius Vicario, atque aliis examinatoribus, non paucioribus quam tribus, examinati fuerint: et post examen Episcopus eligat, cui collatio fieri debeat, ab eo, ad quem spectat ius collationis.* Secundum est; ut Clericus, certæ Ecclesiæ adscriptus, locum inconsulto Episcopo non deserat. *Quod si locum, inconsulto Episcopo deseruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur.*

I.

Trident. Sess.
24. cap. 18. de
Reform. et
Sess. 25. cap.
9. de Reform.

Trident. Sess.
23. cap. 16. de
Reform.

Quocirca, ut perniciosi, et a Catholicæ consuetudinis tramite deviantes abusus evellantur: Statuimus, ut nemo deinceps Parochiam ullam suspicere, vel susceptam dimittere, et quacunque occasione alio migrare audeat, sine approbatione et consensu Ordinarii, vel Vicarii generalis; qui tamen ipse, nihil in hac parte sine præscitu Ordinarii faciet. Quod si quis contrarium fecisse deprehendatur: ei non solum omni Sacrorum exercitio, ipso facto sit interdictum, verum etiam, pœnis arbitrariis in persona puniatur ab Ordinario, vel eius Vicario. Iniungit igitur sacra Synodus omnibus Archidiaconis, ut, si quos in his delinquere compererint, absque ulla mora deferant ad Ordinarium, vel eius Vicarium generalem.

II.

Illud quoque contra sacrorum Canonum Decreta irrepsit: Quod ii, quis Ius patronatus obtinent in aliquo beneficio, loci Ordinario præsentare intermittunt Beneficiatos: quin et provisi de Præposituris, aut Abbatii (quæ secundum Canones, ob defectum Regularium, administrandæ conceduntur Sæcularibus,) licet sese præsentare deberent Ordinario, et ab eo institui, prout antea in usu fuisse, ex certis monumentis constat: omnino tamen eiusmodi præsentationem intermittunt. Quocirca statuimus, ut decretum Concilii Tridentini, hac de re editum, deinceps omnino servetur; quod sic habet: *Non liceat Patrono, cuiusvis privilegii pretextu, aliquem ad Beneficia sui Iuris patronatus, nisi Episcopo lcci Ordinario, ad quem provisio, vel institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, iure pertineret, quoquo modo præsentare: Alias præsen-*

Trident. Sess.
14. cap. 13. de
Reform.

tatio ac institutio, forsan secutæ, nullæ sint, et esse intelligentur.

Sess. 25. cap. 9. de Reform. Et alibi: *Liceat Episcopo, præsentatos a Patronis, si idonei non fuerint, repellere.* Qui igitur Ecclesiasticorum, hac in parte Officium neglexisse dignoscuntur, intra spatium unius mensis præsentationem suam exhibere, et ab Ordinario institutionem, consueto more, obtinere teneantur. Si qui vero deinceps contra sacros Canones, absque Ordinarii institutione, Beneficium quocunque adierint: Beneficium ipso facto amittant, et ad idem illud Beneficium perpetuo inhabiles maneant.

Vide librum Olahi Archi-Episcopi editum 1560. fol. 127. et 103. Præterea, sub poena excommunicationis ipso facto incurriendæ, et perpetuæ inhabilitatis ad illud Beneficium obtainendum, inhibemus; ne ullus Abbas, Præpositus, Parochus, Altarista, aut cuiuscunque conditionis Beneficiatus, pactum ullum, vel contractum cum Patronis, neque verbalem aut scriptam obligationem ineat, propter electionem, seu præsentationem: neque conditionem, pensionem, alicuius partis Beneficii, vel ususfructus concessionem, vel quocunque aliud onus, Beneficio non annexum in fundatione, assumat: sed quod natura Beneficiorum Ecclesiasticorum necessario exigit, pure sine diminutione, et in perpetuum fiat collatio, vel præsentatio; et ad ea sola onera astrictus sit Beneficiatus, quæ Beneficium ex sua fundatione secum trahit.

III. Quicumque deinceps Parochiam, vel alia quæcunque Beneficia

Trident. Sess. 24. cap. 12. et 25. cap. 2. de Reform. Ecclesiastica suscipient: ante omnia, ex præscripto Concilii Tridentini, Fidei Catholicæ professionem emittant, coram Ordinario, vel Vicario Generali.

Deinde iurent coram Ordinario, vel eius Vicario, aut (si ita videatur) coram Archi-Diacono, se Archi-Episcopo, eiusque Successoribus, obedientes fore: Iura Ecclesiæ sibi commissæ, pro viribus conservare; nec ulla bona ad eandem spectantia alienare, aut oppignorare velle: quin potius, amissa et oppignorata, quantum in se erit, recuperaturum.

His præmissis, electum Parochum, Archi-Diaconus, vel ex eius delegatione Vice-Archi-Diaconus, aut alia persona Ecclesiastica insignis, hoc modo introducat: convocato populo in Ecclesiam, significet, hunc æstate, moribus, doctrina, aliisque rebus ad Parochiam gerendam necessariis, sufficienter instructum, mitti per Archi-Episcopum ad Parochiam, qui eos omnes tanquam filios, paterno affectu hortatur ac monet, ut debito honore accipient, eiusque præceptis obedient.

Parochi vero, tempore adeptionis Parochiæ, inventarium rerum omnium Parochiæ confici current per Ædituos, aut alios ad id deputatos. Et cum abscedent, omnia secundum inventarium eisdem consignent, una cum libris, in quo Baptizati, Confirmati, et Matrimonio iuncti inscribuntur.

Quicunque Beneficium aliquod, Præposituras scilicet, Abbatias, Altarias, sive in Capitulis, sive extra, obtinent in aliqua Ecclesia: primo quoque tempore investigent (si id forte hactenus neglexissent) onera, ac obligationes eius beneficii; ac illa per se, vel substitutos exacte præstent. Quod si facere neglexerint: ab Ordinario modis omnibus compellantur ad subeunda onera sui beneficii, etiam sub poena privationis beneficii. Neque in his, ac similibus, appellatio quæcunque, etiam ad Sedem Apostolicam admittatur, iuxta decretum Concilii Tridentini.

Etsi hospitalia, inter Ecclesiastica Beneficia non sint: quia tamen Ecclesiastica decreta, diligenter iubent Ordinariis: *ut Hospitalia, quomodolibet exempta, current fideliter gubernari, iuxta forman decreti Viennensis Concilii.* Idcirco observandum est, quod Tridentina Synodus sancit, his verbis: *Si qui Hospitalium administrationem habent, admoniti ab Ordinario, reipsa obire cessaverint ad quæ tenentur: per Ecclesiasticas censuras compelli, et etiam administratione curave Hospitalis in perpetuum privari possint, ac alii eorum loco substitui.* Deinde: *Ne uni eidemque personæ, ultra triennium deinceps committatur gubernatio Hospitalium.*

CAPUT III.

Quibus in rebus Reformatio efficax requiratur.

Statuta omnia Synodi Provincialis, Anno 1611. Tyrnaviæ celebratæ, et ad calcem Ritualis Strigoniensis nuper excusa, de Festorum dierum quot mensibus celebratione: de honestate ac moribus Clericorum: de Sacramentorum administratione: deque aliis rebus universis, præsens Synodus Diocesana acceptat, ac ut in usum ducantur, mandat. Aliqua tamen, quæ quotidiana experientia docuit, crebrius inculcanda, placuit distincte præcipere.

Si quid est, quod populum Christianum, ad piam ac laudabilem vitam excitat, sancta et inculpata vita, ac mores probati Clericorum excitant. Quo magis lugendum est, quod inter tot

I.

Trident. Sess.
24. cap. 10. et
Sess. 13. cap.

1. de Reform.

Trident. Sess.
7. cap. 15. de
Reform.Sess. 25. cap.
8. de Reform.

Ungarici Regni clades, ita rigor disciplinæ Ecclesiasticæ elanguit, ita vires sumpsit improbitas, ut non pauci Sacerdotes, licet Deo fidem suam obstrinxerint, nihilominus flagitosissimo concubinatus sceleri palam sese immergere non verentur, magno piorum mœrore, magno populi scandalô. Atque eousque progressa est impudicitia, ut scelesti quidam Sacerdotes, sese concubinis in facie Ecclesiæ, per sibi similes concubinarios sacerdotes copulare (quasi Matrimonium inter ipsos esse possit) non vereantur. Et licet hucusque ob summam sacerdotum penuriam, tolerati fuerint sacrilegi, ne vel parvuli sine baptismo, vel morituri sine pœnitentia decederent; neve populus, qualicunque Pastore destitutus, a circumlatrantibus lupis invaderetur: quia tamen, Dei benignitate, maior indies piorum sacerdotum, ac Doctorum numerus crescit: sacrorum canonum vestigiis insistentes, decernimus: quod si quis sacerdos, a modo deinceps, Notorius concubinarius deprehendatur, vel feminam uxorio nomine apud se retinere dignoscatur: absque ullo personarum respectu, ac iuris strepitu, sola facti veritate cognita, ad perpetuos carceres retrudatur. Eorum vero filii et filiæ perpetuo infames, et ad Ecclesiastica beneficia, præsertim canonicalia, etiam post legitimationem, inhabiles existant. Quocirca, Archidiaconorum conscientias obligamus, ut facta diligentî inquisitione, quoscunque tales in sua iurisdictione compererint, sine ulla mora captivare, et ad Archi-Episcopales carceres retrudere teneantur; invocato, si opus sit, Illustrissimi Archi-Episcopi, et etiam sæcularis brachii adiutorio.

Deinde, tempore visitationis, Archidiaconi reddant capacem populum, quod nullo modo Matrimonium contrahere possunt sacerdotes. Si enim vir, postquam fidem suam per matrimonium obligavit uxori, aliam ducere non potest: quanto magis sacerdos, qui Deo se obstrinxit tempore consecrationis, matrimonio implicari, contra fidem datam, non poterit? nisi forte amplius obligare creditur fides data feminæ, quam quæ Deo vero ac vivo data fuit. Intelligat igitur populus, decipi illos, qui putant se matrimonio locare filias, cum sacrilego cuipiam Sacerdoti tradunt. Obtestatur vero Synodus terrestres Dominos, ut subditos suos, qui talibus sacrilegis nuptiis conciliandis quoquo modo cooperantur, tam in personis, quam in rebus, severe puniant. Quam obtestationem Synodi intiment Dominis terrestribus Archidiaconi, ubi opus fuerit.

Non solum concubinatum notorium, sed et suspectarum mulierum cohabitationem, omnibus cuiuscunque ordinis ac dignitatis Ecclesiasticis, interdicit Synodus Oecumenica Tridentina, his ipsis verbis: *Prohibet sancta Synodus, quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant: alioquin pœnis, a sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur.* Quod si a Superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint: *tertia parte fructuum, obventionum, ac proventuum beneficiorum suorum quorumcumque, et pensionum, ipso facto sint privati; quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi, applicetur.* Si vero in delicto eodem, cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint: *non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum et pensionis eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur: sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, suspendantur.* Et, si ita suspensi, nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur: tunc beneficiis, portionibus, ac officiis, et pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, ac officiis in posterum reddantur; donec, post manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus, cum iis ex causa visum fuerit, dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint: *præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur.* Nec quævis appellatio, aut exemptio, prædictam executionem impedit, aut suspendat. *Supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat:* qui sine strepitu et figura iudicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint, etc.

Hanc igitur universalis Ecclesiæ constitutionem, in omnibus punctis et clausulis, diligenter observandam, absque ullo personarum respectu, præsens Synodus censuit.

Plura beneficia curata, aut alias incompatibilia, quocumque nomine aut titulo recipere, aut simul retinere, severe admodum prohibet Tridentinum Concilium: declarans, ipso iure privatum esse ipsis beneficiis, qui hoc attentarit. Quapropter ita quisque hac in parte cautus sit, ut et coram Deo innocentem sese exhibeat.

II.

Trident. Sess.
25. cap 14. de
Reform.

Eadem verba
repetit Synod.
Trident. Sess.
21. cap. 6. de
Reform.

III.

Trident. Sess.
7. cc. 2. 4. et 5.
Et Sess. 24.
cap. 17. de Re-
form.

beat; et, si a Fiscali Ecclesiæ Strigoniensis iure conventus fuerit, facti sui rationem Canonicam dare possit.

IV. Reverendissimi Episcopi, qui suis sedibus exclusi, beneficia,

Trident. ac residentiam in hac Strigoniensi Diœcesi obtinent, memores sint
Sess. 23. c. 2. obligationis suæ, quam Tridentina Synodus non uno loco repe-
et Sess. 7. c. 9. tendam censuit: *Quod si munus consecrationis intra tres menses*
de Reform. *non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur.*

Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso
iure sint privati.

Domini Episcopi, qui in Capitulis Canonicale beneficium obti-
nent, locum in stallo sibi assignatum occupent, neque a consessu
cæterorum seipso segregent: neque sine rocheto et capucio, Divi-
nis Officiis assistant.

Quod ad Episcopalis Ordinis observantiam in Ecclesia con-
stitutum est, id deinceps servetur: Ut, quo in altari Episcopus
consecratus Missæ sacrificium fecit, ne illo die in eodem altari
alius Sacrum faciat, nisi ex consensu Episcopi. Præterea, cum
solemniter Sacrum fit, (præterquam pro mortuis) cui Archi-Epis-
copus in habitu interest: quo tempore Gloria, Credo, Sanctus, et
Agnus canitur, Canonici, ordine suo servato, ad Archi-Escopum
venientes, una cum ipso recitent. Denique, concionatores, antequam
suggestum descendant, flexis ante sedem Episcopalem genibus,
benedictionem petant.

V.

Indulgentiarum usus, saluberrimus quidem est, si ex præ-
scripto Ecclesiæ fiat: ne tamen abusus aliquis obtineat, statuimus;
ut quæcumque Indulgentiæ Ecclesiis huius Diœcesis, vel perpetuo,
vel ad certum tempus concessæ sunt, aut imposterum concedentur,
nullo modo in futurum publicentur, nisi concessio Indulgentiarum
ad Vicarium generalem deferatur, qui in librum ad hoc destinatum,
ordine inscribi faciat; et tunc demum Ordinario consentiente, fiat
publicatio. Quod ut accurate observetur, Vicarii erit.

Quoties publicabuntur a Parochis, futuræ in aliquo loco
Indulgentiæ, diligenter ac distinete populo explicetur: nihil illis
prodesse accursum, si vera in Deum fide, et cordis contritione
peccata non detestentur, sed in iis sordescant. Unde, qui tanti
thesauri participes esse cupiunt, Confessione prius, ac vera pæni-
tentia, animam expiare debebunt.

Caveatur etiam id quod Tridentinum Concilium sancte monet;
ne in avaritiæ et quæstus, aut ebrietatis occasionem vertatur Indul-

gentiarum solennitas. Proinde, nullo modo tolerari debebit, ut in Trident. Sess.
loco Ecclesiæ vicino coquatur, vinum sub hedera propinetur, sal-
tus, ac aliæ levitates exerceantur. 21. cap. 9. de
Reform.

Concionandi munus omnes omnino, etiam Canonici, qui donis
DEI ad hoc sufficientibus instructi sunt, assidue exerceant, quando
præmoniti fuerint per Superiores. Imo, cum ad executiones, aut
decimas proficiscuntur Canonici, et paramenta secum ferant, ut
festis diebus celebrare possint, et conciones ad populum hisce
ocasionibus habeant.

VI.

In Concionando vero, hæc præter alia observari debebunt:

I. Ut nemo, etiam Regularium, ad concionandum admittatur,
nisi professione Fidei prius facta. Præterea, modo a Tridentina
Synodo præscripto, personaliter se coram Ordinario præsentent,
benedictione ab eis, et licentia obtenta. II. Ut juxta' sacrorum
Canonum statutum, qua hora Episcopus prædicat, ne quis alias,
cuiuscunque Ordinis, illa ipsa hora, in ea urbe, oppidove, etiam
in Ecclesia Regularium, aut alias exempta, sermonem, concionemve
habeat, nisi facultate ab Episcopo obtenta. III. Ut non curiosa,
nova, et admirationem adferentia, sed utilia ac salutaria, pro con-
cione proponant; metum divini iudicii, peccatorum detestationem,
spiritum pietatis ac timoris DEI, constantiam Fidei, fervorem chari-
tatis excitando.

Trident. Sess.
5. cap. 2. de
Reform.

In vitiis reprehendendis ita cauti sint, ut non hominem, sed
peccatum videantur arguere: neminem nominatim, aut tacite design-
antes insectentur; in nullum ordinem, aut statum, vel vitæ genus
ab Ecclesia approbatum, invehantur. Ecclesiasticos, vel civiles
Magistratus, cum offensione auditorum, asperius non obiurgent,
sed pie potius admoneant: populumque hortentur, ut fiant obse-
ervationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus,
qui in sublimitate sunt. I. ad Timoth.
2. v. 1.

Usu compertum est, non sine magno animarum detimento,
Parochos negotiorum suorum causa, vel ad fora, et nundinas, vel
aliо, diebus Dominicis ac Festivis proficiisci, sicque concionibus,
et Missæ sacrificio populum destitui: Quocirca, serio interdicimus,
ne quis Parochorum diebus Festivis a sua Parochia absit: sed,
si quæ forte alio vocent negotia, ad professionem dirigantur feriati
dies, quamquam iis quoque diebus raro abesse possint, si fideliter,
ac diligenter operi suo intenti esse velint: nam horarum canonica-
rum recitatio, Missarum celebratio, præparatio ad conciones, ægro-

VII.

rum visitatio, discordium conciliatio, ac Sacramentorum administratio, facile omnes hebdomadæ dies occupabunt.

Obtestamur autem omnes in Sacris constitutos, ne ullo die, Breviarii pensum, adeo rigide a sacris Canonibus præscriptum, intermittent: sed attente, ac devote persolvant. Ac in eo super omnia laborent, ut exsuscitent in se gratiam, quæ data est ipsis per impositionem manus. Nam tepor ille Religionis, imo corrupti ac depravati mores, qui passim in populis regnant, non aliunde incrementa sumpsere, quam quod Pastores animarum ipsi teperent, ac sæpe scandalum præbent.

VIII. In Exorcizandis energumenis, aliqua necessario præscribenda esse, experimenta docent. Itaque nemo in posterum exorcismum energumenis adhibeat, nisi in scripto obtineat exorcizandi facultatem ab Ordinario, vel Vicario generali. Obtenta facultate, antequam exorcizare incipiat, diligenter investiget: An, qui exorcizari petit, revera Energumenus sit, vel atræ bilis, aut alterius morbi vim patiatur? consulto etiam (si opus sit) medico. Ubi certo compertrum fuerit, malorum Spirituum vexationem pati: antequam exorcismum aggrediatur, ieunia, ac orationes præmittat, qui exorcizaturus est: populum etiam, et affines energumeni, ut idem faciant, adhortetur. Deinde, pura confessione animam ab omni macula purget, et sacram Missæ sacrificium celebret; ac tunc demum, magna cum humilitate, ac fide, rem aggrediatur: memorque potestatis, quam a DEO accepit, dæmones expellendi, totam spem in hac DEI promissione reponat.

Extra Templum, aut Sacellum, exorcismus ne adhibetur. Et licet præsentes esse debeant honestæ aliquot personæ: conferta tamen multitudo admitti non debebit.

Præterea, exorcizans, precibus ac ritibus aliis ne utatur, quam qui ritualibus libris ab Ecclesia præscripti sunt.

Ultimo denique, antequam exorcismum aggrediatur, diligenter præmoneat energumenum, ut peccata confessione sacramentali expiet, ac toto corde ad Deum convertatur, assiduisque precibus clementiam Divinam conciliet. Neque ullo modo exorcizatio ullius suscipiatur, nisi is, vel redditum ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium promittat, si forte Catholicus non fuerit; vel sacra confessione prius expietur, si Catholicus sit. Cætera etiam, de exorcizandis energumenis in Rituali præscripta, diligenter observabit qui exorcizat.

Ludimagogos in civitatibus, oppidis, et pagis, nullus Parochus
admittat, nisi prius Fidei Catholicæ professionem, ex Concilii Tri-
dentini præscripto, coram Parocho emiserint.

IX.
Trident. Sess.
25. cap. 2. de
Reform.

Diligenter invigilant Parochi, ut Magistri pueros, doctrinam
Christianam, pietatem, Deique timorem doceant.

Et quoniam ante, et post conciones, de more Patriæ, cantiones
vulgares per Magistros Scholarum præcinuntur: nemo Parochorum
deinceps permittat, ut ulla huiusmodi cantilena decantetur, nisi
quæ a Vicario generali fuerit approbata. Iniungitur itaque Domino
Vicario, ut ad scitis adiutoribus, quos opportunos iudicaverit, seligat
cantiones, quas Illustrissimus Archi-Episcopus imprimi curabit, ad
usum huius Diœcesis: præter quas aliæ, in Ecclesia, vel proces-
sionibus, ac peregrinationibus, non cantentur.

Parochi crebro inculcent pro concione, ne ullus filios, ad
scholas acatholicas; nec pro mercatura, vel artificio, aut linguarum
usu, ad loca haeretica mittat. Si qui contrarium fecisse dignoscentur,
careant sepultura Ecclesiastica: et ad Archidiaconum deferantur,
ut etiam sub poena excommunicationis, filios periculo damnationis
eximere cogantur.

Præterea, iniungat Parochus diligenter parentibus, ut pueros
orare doceant: nec ullus sit, cuius tenella proles orationem Domini-
cam, salutationem Angelicam, Symbolum, et Decalogum, cum sacro
Crucis signo, ignoret. Mane igitur statim ac surgunt, et vesperi
antequam decumbant, et ipsimet parentes, et ipsorum pueri, Deum
orent: sicut et dum cibum capere incipiunt, vel finem refectioni
ponunt, neque enim decet hominem Christianum, opus aliquod
ante aggredi, quam Dei auxilium humili prece imploret: siquidem
Dei ipsius vox est illa: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15. v. 5.

Hæc vero non sufficit semel iterumque inculcasse, sed operam
det Parochus, ut in praxim deducantur. Ideoque in confessione,
et pro concione, divinam ultiōnem denunciet saepius Parentibus et
Dominis, qui filios, et familiam, ad Christianam pietatem non eru-
diant et ad tempa non dirigunt.

Parochi, saltem Adventus et Quadragesimæ Dominicis, hora
pomeridiana, pueros ac puellulas, ad Christianam doctrinam, rudi-
bus necessariam, erudiant: ut nimirum signum Crucis recte for-
mare, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum
Apostolorum, et Decalogum teneant, eorumque simplicem expli-
cationem intelligent.

Et quia sæpe rudis populus, etiam in ætate proiecta, hæc non adeo exacte novit: Parochus, ubi defectum adverterit, in fine concionis, signum Crucis paulatim ac distincte sibi imprimat; monendo populum ut aspiciat, ac imitetur. Deinde, tarde ac articulate recitet, Pater, Ave, Credo, et Decalogum; monendo, ut populus una cum ipso hæc recitet. Hac enim ratione, non advertentibus ipsismet, paulatim addiscent necessaria.

Mandamus vero et illud omnibus, ac singulis Parochis, ut bubulcos, opiones, porcarios, suæ parochiæ, saltem semel in hebdomada, ad audiendum Sacrum cogant: quo tempore, ad captum ipsorum, de rebus Fidei, ac pietate, instruantur; ut condocefiant mentem sæpius ad Deum elevare, rosarium recitare, etc.

X. Ob defectum Sacerdotum, aliquibus locis, præsertim Turcicæ tyrannidi subiectis, Licentiati, et Conversi collocantur, qui Catholicam Postillam populo prælegant, vel sermonem habeant; et necessitate postulante, exercere possint ea, ad quæ facultatem concessam habent. Statutum est de istis, ut a vicino Parocho Sacerdote habeant dependentiam: ita ut vicinus Parochus, Confessionis, et Eucharistiæ Sacramentum populo administret suis temporibus. Licentia autem prædicta non concedatur licentiatis, nisi ad unum annum. Elapso anno, si novam obtinere licentiam velint (nisi aliunde Ordinario, aut eius Vicario constiterit, diligentia, et sufficientia Licentiati), a Parocho viciniore testimonium probitatis, ac diligentia, vel ipsimet adferant, vel si ob nimiam distantiam, et itinerum pericula impedianter, Archidiacono transmittant, qui obtentam licentiam ipsis deferri curabit. Ultra limites autem concessæ sibi facultatis, non se extendant: sed, prout in formula licentia habetur, illud solum in Baptizando, et aliis functionibus faciant, quod proprium ac peculiare Sacerdotum non esse dignoscitur.

XI. Inter multiplices diaboli astus, etiam superstitionibus irretiri simplex populus solet; adeoque multis locis, superstitiones vetularum curationes, et incantationes, sine timore exercentur. Eapropter, Parochi diligenter investigent, tam in Confessione, quam extra illam, num aliqua remedia morbis, aut vulneribus hominum, vel iumentorum adhibeantur, quæ non a medica arte, sed a superstitione proficiscantur? Et quos in eo peccare adverterint, modis omnibus avertere current ab ea vanitate.

XII. Festorum dierum celebrationem, sollicite populo præcipiant; diligenter præcavendo, ne quis ad Dei offensam, et animæ per-

niciem festis abutatur; ne ad commessationes, ebrietates, ac lascivos saltus ferientur: sed si corpus a laboribus continent, multo magis animam a peccatis avocent.

Simili modo, initio Quadragesimæ admoneant Parochi populum, ut cum per iejunium corpus atteritur, anima peccatis non repleatur: sed dum caro ab alimentis abstinet, mens a culpa ieunet. Orationibus igitur, eleemosynis, aliisque piis operibus tunc maxime invigilent. Hoc enim est iejunium, quod Isaiæ ore se delegisse Isaiæ 58. v. 5. Dominus significat. Sacramentorum etiam frequentem usum, cum alias semper, tum vel maxime in Quadragesima necessarium esse, declarant.

Ritus quosdam Christiani populi pietas introduxit, qui, ne negligantur, omnes adlaborent.

Itaque, nimbis ac procellis imminentibus, campanæ pulsentur: non tantum ad depellendam tempestatem, Dei virtute quam preces Ecclesiæ, sacra campanarum benedictione obtinent: sed etiam, ut fideles eo sono excitati, Dei misericordiam implorent.

Columnæ in viis publicis constructæ, cum sacra aliqua imagine, vel Cruce, conserventur: imo, ad excitandam pretereuntium pietatem, sicubi non haberentur, congruis locis de novo erigantur.

Ritus etiam benedicendi segetes; sacros cineres, initio Quadragesimæ; candelas, in festo Purificationis B. Virginis; Palmas, in Dominica Palmarum; aquam, singulis Dominicis, aliæque consuetæ in Ecclesia cæremoniæ omnino observentur.

Cum inter alias afflictissimæ huius Patriæ clades, etiam pestilens Anabaptistarum colluvies aliunde pulsa, sedem hic fixerit, quæ Christianos decipere, ac immani sacrilegio rebaptizare consuevit: Parochi, viciniores ipsorum domiciliis, diligenter observent, an ullum Christianum seducant. Et confestim Ordinarium admonent, ut tanto malo obviam eatur, auxilio brachii sæcularis invocato.

Circa bonorum, ac iurium Ecclesiæ conservationem, hæc maxime necessaria mandamus. Primo: ne (quod hucusque factum experimur) ob ignorantiam iurium, annuorum censuum, seu reddituum, et obventionum ad beneficia spectantium, multa per bellicos motus, ad sæculares manus deveniant: omnes et singuli Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Canonici, Parochi, Altaristæ, ac universi Beneficiati, qui ad Synodus Diœcesanam Strigonensem convenire solent, exactum, ac diligenter concinnatum inventarium,

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

seu registrum confiant, de omnibus prædiis, pagis, iuribus, obventionibus, fructibus, iurisdictionibus sui beneficii; specificando, quibus ex locis, quo tempore, et modo, singula percipient. Et huiusmodi inventarium, manu propria ac sigillo firmatum, ad Illustrissimum Dominum Archi-Episcopum mittant, ut in librum compingi, et a Capitulo Strigoniensi, non alibi, sed coniunctim penes propria privilegia, asservari possint. Quod si qui, usque ad primum Ianuarii proxime futurum, non transmiserint: citentur per Fiscalem ad Sedem Metropolitanam, et tertia parte proventuum unius anni, in usus pios arbitrio iudicis applicanda, priventur. Nihilominus intra unius mensis spatium, registrum modo prædicto producere teneantur, sub poena consimili. Secundo: Nemo quidquam ex bonis Ecclesiæ alienare, oppignorare, donare, inscribere, infeudare, vel ab oneribus, et servitute Ecclesiæ debitibus eliberare audeat, exceptis casibus in iure expressis, sub poena amissionis beneficii. Et, si quos hucusque aliquid oppignorasse, vel alienasse, aut ab oneribus, et servitutibus liberasse, Fiscales Illustrissimi Archi-Episcopi cognoverit (ad cuius diligentem investigationem, conscientiam ipsius oneramus:) sine respectu personarum, ad Sedem Metropolitanam evocet. Et nisi ipsimet mature bona oppignorata liberaverint, vel loco venditorum bonorum æquivalentia substituerint, sequestrentur eorum beneficia. Tertio: Ut præiudicia, quæ in decimarum solutione indies crescunt, reprimantur: Parochi omnes, crebro inculcent Concilii Tridentini decretum, in hæc verba:

Trident. Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesiis obvenientes. Sess. 25. cap. 12. de Reform. subtrahere moliuntur; aut qui ab aliis solvendas, temere occupant, et in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo; et qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur sancta Synodus, omnibus, cuiuscunque gradus et conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas, aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur. Quarto: Iuvabit plurimum, ad Ecclesiasticorum bonorum conservationem, si decretum Concilii Tridentini, contra occupantes quovis modo fructus, bona, et iura Ecclesiarum, publice, vulgari lingua, pro concione prælegatur, *ex Sessionis 22. cap. 11. de Reformatione.* Si item legatur, quod idem Concilium, Sess. 25. cap. 9. de Reformatione, sancit, contra patronos Ecclesiarum, qui vendunt, aut alio quocunque titulo, in alios,

contra sanctiones Canonicas usus transferunt: vel ullo modo, in perceptione fructuum beneficii, quacunque causa et occasione se ingerunt. Tales enim, non solum excommunicatione innodatos, sed iure patronatus privatos, declarat Synodus Tridentina. Quinto: Archidiaconi tempore visitationis indagent, quid, et quomodo a Parochia alienatum? Et, si fieri potest, transigant de recuperatione. Agant item, ut tenues Parochiæ, liberalitate Parochianorum subleventur, si Parochos idoneos habere desiderant.

De clausuræ sanctimonialium visitatione, servetur decretum Concilii Tridentini, *Sessione 25. cap. 5. de Regularib.* Similiter, et quod de confessario extraordinario, ab Episcopo, bis terve in anno, offerendo, habetur, *Sessione 25. cap. 10. de regularibus.*

Incredibilis Sacerdotum penuria cogit, omnibus ac singulis Beneficia commoda habentibus, serio iniungi, ut quilibet Clericos alumnos in studiis habeat. Quod nisi diligenter quisque pro sua facultate præstiterit: vel in futura Synodo Diœcesana, vel etiam ante, nos certum, ac determinatum alumnorum numerum præfigemus, quem quisque Beneficiatorum alere tenebitur.

Cum impossibile sit, Prælatum omnia per semet videre, aut cogitatione assequi: necesse est, ut non solum Vicarius generalis, Archidiaconi, et Fiscalis, quibus id ex officio incumbit, sed cæteri etiam omnes Ecclesiastici, si quid in Clero emendatione dignum adverterint, si quæ scandala notaverint, si qua re puritatem Religionis, ac morum integritatem promoveri posse cognoverint: id Illustrissimo Archi-Episcopo modesto scripto, et si ita videatur, etiam suppresso nomine, detegere teneantur. Ne, si in hac parte negligentès fuerint, alieni errati reos se constituant coram Deo, qui mandavit unicuique de proximo suo.

CAPUT IV.

De Visitatione Ecclesiarum.

Nec crebrius, nec maiori diligentia quidquam a sacris Conciliis inculcatur, quam visitatio Ecclesiarum, quomodolibet exemptarum, Conc. Trident. Sess. 24. cc. 3. 9. Sess. 21. cap. 8. Sess. 7. cap. 7. de Reform. annis singulis peragenda. Et quoniam in ampla ac late patente Diœcesi Strigoniensi, plurium Archidiaconorum ministerio peragi solet hæc visitatio: iniungitur omnibus, ac singulis Archidiaconis, etiam extra Capitulum Strigoniense degentibus, quales sunt Domini

Præpositi Posoniensis, et Scepsiensis, ut iuxta modum præscri-
Illius synodi cap. 5. ptum a Synodo Provinciali, Anni 1611. singulis annis visitationem
 omnium Parochiarum, suæ curæ commissarum, peragant, et ad
 festum Paschatis, Archi-Episcopo in scriptis deferant seriem totius
 visitationis.

Quod si quispiam id facere neglexerit: per Fiscalem Ecclesiæ
 Metropolitanæ, ad sedem spiritualem evocetur, et pro delicti gravi-
 tate mulctetur: ac nihilominus, ut intra unius mensis spatum visi-
 tationem peragat, et scripto exhibeat, eidem iniungatur. Quod si
 tunc quoque neglexerit officium exequi: tunc demum Vicarius
 generalis, sub ammissione Beneficii, et officii, scriptotenus eidem
 iniungat, ut intra spatum unius mensis et visitationem peragat,
 et relationem exhibeat. Ac tandem, si non obedierit, nullo perso-
 narum respectu, officio privetur.

II. Parochorum exemptorum visitationem, ipsemet Dominus Vicari-
 rius generalis peragat; vel, si legitimate impediatur, aliquam Eccle-
 siasticam personam destinet, literis ac sufficienti instructione com-
 munitam: cui Plebani exempti, obedire teneantur.

Non obstante visitatione per Archidiaconos facta, Parochos,
 præsertim viciniores, etiam non præmonitos, inopinate visitet gene-
 ralis Vicarius; ut statum ipsorum, ac conversationem exacte
 cognoscat.

III. Gravis error foret, si quis visitatorum existimaret sufficere,
 si defectus Parochorum, et negligentiae in rebus ad officium ipso-
 rum pertinentibus, annotentur: finis enim visitationis non aliis
 est, quam ut corrigantur, quæ reprehensione indigent; et promo-
 veantur, quæ ad animarum salutem pertinent. Hunc igitur scopum
 sibi præfixum habeant visitatores. Præterea, arguendo, obsecrando,
 increpando, erudiendo, laborent errantes ad meliorem frugem redu-
 cere: bene currentes animare, ac, ut ad anteriora sese extendant,
 incitare.

IV. Curent Archidiaconi, ut singuli Parochi habeant Rituale Strigo-
 niense, et huius Synodi Dioecesanæ Statuta ac Decreta: qui libri,
 iussu Illustrissimi Domini Archi-Episcopi, gratis dabuntur unicui-
 que ex Capitulo Strigoniensi. Tempore igitur visitationis, una cum
 Parocco, de verbo ad verbum relegant Statuta huius Synodi: et
 de singulis in ea præscriptis, status Parochi, et Parochiæ indagetur.

Nominatim vero, sollicite efficiant Archidiaconi, ut Magistri
 scholæ, Fidei Professionem emittant: et pueros doctrinam Chri-

stianam, ac Dei timorem doceant, nullas cantilenas hæreticas decantent; indagent etiam, an populus statuto tempore Sacramentis utatur? an filios ad scholas hæreticas mittat? an Parochi vicinum Parochum ægrotantem visitent? an generalem Confessionem, et recollectionem, in allocutione Archi-Episcopali præscriptam, ficerint? quod si defectum in his compererint: gravi, et solida cohortatione inducant Parochum, et populum, ne hac in parte animam suam lædant, cum æternæ damnationis præsentissimo dicrimine. Cetera etiam singula, in hac Synodo decreta ut observentur, modis omnibus efficiant.

Si quæ Parochiæ, vel adeo amplæ sint, ut unus Parochus oneribus ferendis non sufficiat; vel adeo tenues, ut nisi cum alia copulentur, alere Parochum nequeant: id Archidiaconi ad Ordinarium deferant, ut iuxta decreta Synodi Tridentinæ, opportuno remedio succurri possit.

V.

Conc. Trident.
Sess. 21. cc.
4. 5. Sess. 24.
cap. 13. de
Reform.

ACTA TERTIAE DIEI.

Die tertia, modo ac ordine prius observato, simul omnes cum Illustrissimo Archi-Episcopo templum ingressi. Lectum est sacrum de Sancto Stephano Rege, Fundatore Archi-Episcopatus Strigoniensis, per Dominum Archi-Episcopum, cum commemoratione Sancti Adalberti, Patroni Ecclesiae Strigoniensis. Cetera ex ordine Pontificalis, peracta.

Ac demum, Reverendus D. Georgius Lippai, Canonicus Strigoniensis, et Præpositus S. Stephani Protomartyris, peroravit in hæc verba.

ORATIO SYNODALIS, DE DIGNITATE ET PURITATE SACERDOTUM.

Sacerdotale munus et officium nostris impositum humeris, Illustrissime ac Reverendissime Archipræsul, Reverendissimi Prælati, cæterique Patres ac Fratres dilectissimi; dubium non est, quemadmodum innatae dignitatis splendore, ita molis adiunctæ pondere, humana exceedere universa. Et quidem, si de dignitate sermo est: consensione universorum, in immenso orbis amphitheatro, dignitatum omnium maiestate summa, potestate amplissima, Regia censetur: quam tamen sacerdotalis munera amplitudo, multis parasangis superat splendore, antecedit dignitate.

Præclare censuit Hugo Victorinus; divinam sapientiam, quemadmodum in prima mundi infantia, gemina regendo orbi præfecit Sydera; quorum alterum, dignitate minus, mutuato lumine obscurius, noctis tenebras moderaretur; alterum, magnitudine præstantius, fulgore clarus, diurnis præcesset splendoribus: ita in nova mundi ætate, qua cum nascente Deo renatus est mundus, gemina gubern-

nando terrarum orbi erexisse sceptra: quorum Regium, dignitate inferius, ab auro, a gemmis, a purpura emendicato lumine obscurius, sæculi nocti, corporibus ad terrena dirigendis, præcesset; Sacerdotale vero, et maiestate amplius et nativo fulgore illustrius, diei, hoc est, animis ad æterna lucis claritatem dirigendis, deserviret; quod non a gemmis, non a purpura, non ab extractis e terræ visceribus, flarentibus glebis, lucentibus in hac mundi nocte nitedulis, petito lumine, sed cælo delapso splendore et intime in animis ab artifice divina dextra, vere aureo, et admirabili inscripto charactere, fulgeret ac lucheret. Ut merito Chrysostomus exclamat: non mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas: umbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leviora. Quamquam admirandus nobis videtur thronus Regius, ob gemmas affixas, et aurum, quo distinctus est: tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est. Verum Sacerdoti thronus in cælo collocatus est; de cælestibus promuntiandi habet autoritatem: cuius proinde manibus, capita subduntur Regum, et ad eius pedes, veniam exorantes supplices. procumbunt Imperatores.

Martyr Ignatius, aliam non longe diversam metiendæ huius dignitatis imitationem: adductis undique, et in unum comportatis, qui usquam a mortalibus cestimantur, honoribus, unam cum omnibus ponderat, et præponderat sacerdotalis ordinis maiestatem; quasi hæc, quidquid in humanis dignitatibus nitet, potestatibus valet, splendoribus cestimatur, collectam habeat, et compendiariam honorum omnium universitatem.

Hæc, si parva sunt, nec satis de tanto lumine splendide dicta: attende divinum oraculum, intemeratæ veritatis fontem: qui ultra humana sublatum, cælestibus inserit, Angelum appellat sacerdotem: non ministerii dumtaxat participatione, sed dignitatis splendore, ac vitæ nitore, inter spiritus censem a mortali concretione seiunctos. Enim vero, si commune inter Deum hominesque exercere commercium; si thus aureo impositum fumigio, divinis ministrare odoratibus; si Dei latus iugi stipare famulitio. Spirituum est cælestium: quidni sacerdos Angelus erit, qui, Chrysostomo teste, medius stat inter Deum et humanam naturam: illinc, venientia beneficia ad nos deferens; hinc nostras petitiones sursum perferens: Deum iratum reconcilians; nos, qui offendimus, vindictæ divinæ subducens?

Sed ne his quidem, licet altis, et ultra humana progressis limitibus, continetur Sacerdotale fastigium: maius quadamtenus, et

Angelo potentius est Sacerdos. Sacerdotibus enim datum est, ait Chrysostomus, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam voluit. Si enim Angelorum est, ad Paradisi fores flammeo excubare gladio, prohibere aditum omnibus, indulgere nemini: Sacerdotibus, divinitatis Regiam, beatæ æternitatis adita et penetralia pandere, vel obserare, nexus criminum et catenas verbo disrumpere, reos æternæ damnationis in libertatem asserere, est concessum. Si Angeli cœlestes licet aquilæ, mundi Athlantes, cœli fulcra, quibus beatæ perennitatis domus æterno robore firmata est, ad propinquiores divini vultus radios tremunt, vacillant, vespertiliones sunt, ac papiliones: illum ipsum divinum solem, Sacerdos propinquiore contingit accessu, manu contrectat, vultui admovet, intra viscera recondit.

Ut merito dixerit Augustinus: Nulli tam similem dignitate et potestate videri sibi Sacerdotem, quam intemeratae Virgini Deiparæ: nam et in Sacerdotis manibus, velut in utero Virginis, Dei filius in tremendis mysteriis reponitur, et eius verbis in altari constituitur: eoque nutritio, candidis specierum fasciis, quasi infantilibus pannis obvolvitur, vestitur, gestatur ulnis, pectori admovetur: ac denique Sacerdoti, post Virginem concessum, ex deliciarum omnium, ac dulcedinis fonte inexhausto quoties, et quantum libuerit, liquidissimæ voluptatis haurire ubertatem. Quis hæc non suspiciat? quis non admiretur? extollit Virgo, mirantur Angeli, mortales obstupescunt.

At vero, neque his etiam, tam sublimibus et splendidis nominibus, satis commendatur, et ultimis quasi finibus circumscribitur Sacerdotalis muneric amplitudo: audeo affirmare cum Innocentio, imo cum bono Deo: Dii estis Sacerdotes. Vobis dictum est, Dii estis et filii Excelsi omnes. Iterum: Diis ne detrahes: Deus stetit in Synagoga Deorum. Nam si in hac mortalitatis regione, participatam Dei appellationem meretur aliquis: Vos meremini Sacerdotes. Vestra potestas iisdem fere, quibus Dei regna ac ditiones, limitibus continetur: Cœlum clauditis, aperitis: orbem iudicatis: inferni portas æterno infames incendio obseratis: Deus ipse quodammodo orationi vestræ obedit: ad verba vestra in altaris Sacramento adest: originali scelere inquinatos, ad verba vestra eluit: vobis absolventibus, criminum reos emundat. O dignitatem admirandam! o potestatem obstupescendam! quæ merito attonitam, et stupore exanimem reddat creaturarum universitatem.

Magna sunt isthæc, fateor, et sublimia, neque minus vere quam

magnifice de Sacerdotibus dicta: ita tamen magna, quibus non tam extolli, quam deprimi, tremere ac formidare, in hanc elatos conveniat sublimitatem. Eo enim et ego vos animo ad hanc dignitatem extuli, ut ex eius magnitudine, puritatem ac sanctitatem, qua conservatio, qua vita vestra nitere debeat, metientes, periculum exhorrescatis: eo vos consilio ad hoc summum fastigium adduxi, ut præcipitum inde vestrum conspiaciatis. Deos vos esse dixi? hoc est, tanta a vobis exigitur puritas ac sanctitas, quæ omnium superet, divinam quia adæquare non potest, proxime imitetur sanctitatem; cuius ore dictum est: sancti estote, quia ego sanctus sum: perfecti estote, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est. Angelos appellavi? his enim similes, limpidi, puri, ab omni carnis concretione, vita et affectione soluti, esse debetis. Reges constitui? sic regite, quasi quórum moribus vitam subditorum, ut ceram sigillo imprimi sit necesse.

Serici rasi candorem, quodvis olei punctum inficit, et deturpat; minimus corporis nævus, magna in facie deformitas est: Luna nocti non officit, splendorem addit; soli tamen opposita, eius fulgorem maculat, luci tenebras offundit, terram caligine offuscat. Ita non minus Sacerdotalis animi candorem quævis nota commaculat; vitæ elegantiam, quæ facies quædam mystici corporis in alto posita, spectatur ab omnibus, quilibet nævus deformat; et levissimus in aliis defectus, Sacerdotali fulgori obductus, formidolosam eclipsim parat, tenebras affert, subiectos populos horrore complet et caligine.

Imo vero si Dii estis, quid admiramini Chrysostomum aureo intonantem ore: necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret? si Angeli: quid succensetis Isidoro, quando risum liberiorem prohibet Sacerdoti? Sacerdos enim, ait ille, DEI omnipotentis Angelus est: Angelus vero risum nescit, DEO cum metu ac pavore ministrans. Si cælestium donorum canales, per quorum manus in vertices Regum sanctitudo derivatur: quid indignamini Pelusiotæ acrius inclamanti: quonam pacto aliis sanctitatem impertis, profanus ipse, ac nefarius? quonam pacto alios purgas, qui impurus es? quoniam pacto filios DEI efficis, qui servili es animo? denique, si Deiparam officio imitamini, dignitate œmulamini: quem, obsecro, vitæ nitorem, quod sanctitatis fastigium, a nobis alienum esse arbitramini? quin potius, ex intemeratae Virginis puritate, vestram, quanta esse debeat, ponderatis? hanc enim, ut digne munus vestrum obiret, adeo nitidam opportuit esse ac puram, ut nulla unquam vel levioris culpæ labe notaretur;

tam nullo unquam, non dico turbidæ, sed vel inutilis cogitationis velocissimo transitu ac volatu obumbraretur; tam ab omni macula alienam, ut hanc, nævo etiam hæreditario, quamvis alieno, eodem, quo cœpit instanti, cum omni vestigio deleto et expuncto, non licuerit fuisse maculatam: sed potius, purissimos quosque ac nitidissimos Angelorum Principes, imo collectam in unum Sanctorum omnium et Angelorum puritatem, vinceret decore, splendore obfuscaret. Tales decuit, ac decet esse manus, quibus intemeratam Christi carnem gestare, attrectare sit concessum: candidiores gemmis, nitidiores stellis, sole clariores.

Miseros ergo nos, et infelices, si vita degeneres, moribus depravati, luxu dissoluti, ministerium tantæ puritatis, officium Deiparæ, fœdamus et contaminamus. Perpendite nunc, et exhorrescite eorum scelus, qui lethali noxa inquinati, aut impuritate libidinosa fœdati, tremendam Angelis Christi carnem, Beatorum escam, illotis manibus, abominabiles Harpyiæ attrectant. Certe si Oza Sacerdos, quod olim umbram Sacrosancti Corporis, testamenti Arcam ad casum inclinatam, auxilium a ministro iure exigentem, non criminibus fœda manu, sed quo maturaret obsequium, incomposito nonnihil attactu, sustinuisse, repentina a Deo, si non æterna morte punitus, gravem adeo religiosæ levitatis pœnam exsolvit: num existimatis, ei, qui scelere scatentibus, impuris, libidinosis manibus, immaculatam Dei carnem attrectare, et contaminare sacrilego ausu præsumpsisset; funestissimum quodvis mortis genus, imo infernales ignes ignibus congeminatos, sat grave esse posse supplicium?

Videtis ergo, Illustrissimi ac Reverendissimi Præsules, cæterique Patres ac Fratres dilectissimi, in sublimi positum, admirabilem dignitatis vestræ fulgorem: videtis et periculum. Cernitis muneris, ad quod assumpti estis, altitudinem: advertitis et præcipitum. Nunc igitur, prospicite vobis; et vel ex iis, quæ hodie a sapientissimis Coronæ vestræ Cherubinis constituta sunt, ediscite, quibus auxiliis, quibus adminiculis, tam sublime, tam splendidum Sydus, in suo fastigio ac nitore conservari, et mortalium animis, ad æternæ felicitatis portum deducendis (quem in finem a Divina sapientia erectum et constitutum est,) quam aptissime prælucere possit. Omnesque vos, quorum ego sacrum concessum non aliter intueor, quam advocatione totidem Deorum concilium; recolite mente, Deum stare in hac frequentia, in hac Synogoga Deorum; et in medio, quam pie, quam sancte, quam digne unusquisque vestrum, adeo sublimi fungatur munere, Deos dijudicare. Dixi.

Ubi finis orationi positus; iussit Illustrissimus Archi-Episcopus, Synodales constitutiones clara voce legi per Archidiaconum.

Quæ postquam ab Archidiacono Cathedrali lectæ, fuissent, brevem allocutionem hanc monitoriam habuit Illustrissimus Archi-Episcopus.

ALLOCUTIO MONITORIA

ARCHI-EPISCOPI, AD SYNODUM.

Si quid est, fratres et filii dilectissimi, quod ego a vobis magnopere desiderare debeam, illud est vel maxime, ut assidue memores sitis vocationis, ad quam, dignitate Divina electi, ac segregati estis. Res enim nulla potentius excitare potest corda vestra, ad omnem pietatis, ac pastoralis sollicitudinis fervorem, quam si assidue in oculis feratis, vestræ vocationis, ac obligationis recordationem. Vos enim estis lux mundi; quorum doctrinæ ac morum splendor, errorum ac vitiorum tenebras eliminare debet. Vos estis sal terræ; quorum pietatis suavissimo condimento, et insipida condiri, et corruptioni ac putredini obnoxia, ab omni flagitiorum marcore præservari debent. Vos mysteriorum Dei dispensatores estis; quibus Deus, non terrena ac caduca concredit, ut Regibus sæculi, sed, quo nihil in mundo charius habet, pretium sanguinis Filii sui, animas redemptas morte Unigeniti, commisit.

Si ergo supra reliquos homines vos erexit Dei vocatio; si animarum Curatores, ac Pastores constituit: agnoscite dignitatem vestram, et degeneri conversationi ministerium sublime ne involvite. Tanto enim vita vestra probatior, sanctior conversatio, mores insigniores esse debent: quanto gradus vester, mundanas excedit sublimitates.

Cogitate igitur, filii charissimi, in vobis, ac vitæ vestræ exemplis situm esse, ut vel reformatur, vel deformatur plebis conversatio: Ideoque spiritualium rerum meditationi, orationi, sacrarum literarum lectioni, vos dedite; quo promptius, ad tantæ vocationis officia digne peragenda, uberem vobis apparatum colligatis. Præscripta in Rituali Strigoniensi circa Sacramentorum administrationem, exacte servate: Synodi huius Diœcesanæ ordinationes ac statuta, in omnibus adimplete.

Induite zelum animarum. Cogitate Christum Dominum triginta tribus annis in summa egestate (neque enim vel locum habuit, in quo caput reclinaret,) summis et continuis laboribus conflictatum; denique omni opprobriorum et cruciatuum genere exaggerata morte,

vitam pro animabus, curæ ac fidei vestræ commissis, deposuisse. Reflectite animos ad Sanctissimorum Apostolorum, ac aliorum innumerabilium Sanctorum exempla, qui in frigore et nuditate, in fame et siti, egentes, angustiati, afflicti, extremis periculorum, molestiarum, ac laborum cumulis pleni, pro animarum salute desudarunt: et horum exemplis, excutite languorem aut torporem, si quis est in vobis.

Spe retributionis æternæ, quæ post brevissimam huius vitæ usuram, a Principe Pastorum fideliter laborantibus reddetur, animos incitate, ad partes officii vestri sancte et ad amussim exequendas.

Identidem animo revolvite, quam gravis a DEI iudicio vindicta sit exspectanda Pastoribus, quorum deteriori exemplo, aut neglectu, animæ Christianorum æternæ damnationi addicentur.

O si hœc, ac similia, in ipsa cordis nostri intima penetrarent! O si altas in animo radices agerent! quanta vitæ innocentia, quanta morum inculpata probitas, quantus in Ecclesiasticis rebus fervor, quanta salutis animarum sollicitudo, refloresceret? Sed (proh dolor!) quantus nunc in horis Canonicis persolvendis neglectus? quam perfunictorius in administratione Sacramentorum languor? quanta in moribus corruptela, in conversatione levitas? qualis in Ecclesiasticis functionibus tepor, ac torpor? Videre est in multis, nihil, præter habitum, esse Sacerdotale: in plerisque, nihilo maiorem, quam in communi plebe, pietatem.

Non sic in posterum, Fratres mei, non sic: sed piis meditationibus rerum cœlestium, animas vestras saginate: Breviarii preces integre, et attente, quotidie recitate: Missæ Sacrificium frequenter celebrate: tabernas, aut sœcularium compotationes diligenter fugite: studiis, quæ confessario necessaria, tempus seponite: conciones non perfunictores, nec moris ergo, facite: sed omnes hebdomadæ dies in iis apparandis impendite: Utilia, et quæ vitiorum detestationem, pietatis ac timoris DEI sensum populo imprimant, pro Concione proponite: ægros visitate: diurnis, ac nocturnis horis, ad Sacramentorum administrationem, præsertim moribundis, prompti estote: Magistris scholarum attendite, ut pietatem, ac fidem Catholicam pueris instillent: et quod rei caput est, ita aliis invigilate, ut quisque monitum Apostolicum animo circumferat: Attende tibi. Neque in negotio salutis quisquam vobis charior sit, quam vos ipsi. Ita igitur in aliorum salutem procurandam incumbatis, ut vestram vel maxime queratis, ac multiplices Diaboli laqueos evadatis.

Ab omni specie mali abstineatis: ebrietas, impudicitia, scurrilitas, nec nominentur in vobis: nullas feminas suspectas in ædibus vestris habeatis: nulla odia, nullas cum ullo hominum simultates exerceatis; Sol non occidat super iracundiam vestram. Quin et alios, si quos dissidentes adverteritis, conciliare laboreatis. Proximi Parochi, ægrotantem in vicinia Parochum assidue visitent, consolentur, moribundo assistant; mortuum, Deo precibus ac Sacrificiis commendatum, terræ reddant.

Crebro confiteamini: et si (quod absit) gravioris peccati consciæ, ex officio Pastorali Missam celebrare debeatis, nec adsit copia Confessarii; contritionem, et propositum confitendi habentes, ita celebretis, ut ex Concilii Tridentini decreto, sine ulla dilatione, statim ac Sacerdotem habere poteritis, confiteamini; neque enim in hoc casu differri potest Confessio, sine peccato.

Trident.
Sess. 13. c. 7.

Sciatis, Filii charissimi, eam esse peccati naturam, ut nisi cito expietur, suo pondere ad alia peccata trahat: nec ulla re ad obstinatam malitiam, et desperatam nequitiam, proclivius perveniri, quam si Confessio vel negligatur, vel non recte fiat. Idcirco, Paterno affectu monemus omnes ac singulos, ut quolibet anno, semel generalem Confessionem faciant, duabus tribusve diebus antea hic Tyrnaviæ sese recolligendo: quo tempore, et locus pro habitatione, et victus gratuitus per nos designabitur.

Et licet animus erat annuam hanc, duorum triumve dierum recollectionem, inter ipsa Synodalia mandata referre: experiri tamen placuit usque ad futuram Synodus, an monitioni nostræ absque præcepto locus dabitur. Quicunque igitur Parochorum hanc recollectionem facturus est, Vicarium nostrum generalem adeat, qui de necessariis providebit. Ipse vero Vicarius, Sacerdotum catalogum nobis exhibeat, qui hanc sanctam recollectionem peregerint; ut eorum ratio haberi a nobis possit.

Cetera, quæ per me dici possent, Unctio docebit unumquemque vestrum: quibus ego Paternum affectum defero: ac ut me quoque Divinae bonitati, orationibus assidue commendent, etiam atque etiam maiorem in modum rogo.

Finito alloquio, Hymnus: *Te Deum laudamus*, solemniter decantatus.

Hymno dicto, advocatus Fiscalis Illustrissimi Archi-Episcopi consurgens, hunc in modum locutus est:

Cum nonnulli huius Diœcesis Strigoniensis Ecclesiastici Viri,

qui de Iure ac more, Concilio Diaecesano interesse deberent, nescitur negligentiane vel contumacia, aut Canonico impedimento detenti, ad Synodum non venerint: Idcirco pro officii mei ratione, insto apud Illustrissimam Dominationem Vestram, ut eos qui absunt, nec legitimæ absentie causam contestati sunt, iubeat coram Tribunalí Spirituali comparere, et iuxta formam Iuris, et sacrorum Canonum præscriptum, puniri.

Ad quam petitionem Illustrissimus Archi-Episcopus respondit: *Se committere, et iubere, ut more consueto citati, compareant.*

Postmodum Archi-Diaconus Cathedralis, consenso ambone, futuram Synodum Diaecesanam his ipsis verbis intimavit:

Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater, Petrus Pázmány, Miseratione Divina Archi-Episcopus Ecclesiae Metropolitanæ Strigoniensis, etc. Omnibus et singulis, qui Synodo Diaecesanæ Strigoniensi, quacunque ratione interesse debent, significat, et denuntiat, proximam sequentem Synodum Diaecesanam (si Deo visum fuerit) celebrandam, Anno 1630. die 4. Octobris, hoc eodem loco. In ea vero Synodo, quæ (si ita videatur) uno alterove die perfici poterit; primum omnium, statuta præsentis huius Synodi perlegi, et an in usum deducta sint, per vestigari debebunt. Quamobrem, omnes et singulos Paterno affectu monet Illustrissimus Archi-Episcopus, ut nominato die hic adsint; nisi diem celebrationis Synodi gravi ex causa, prorogandam, vel anticipandam, ex literis ipsius intellexerint.

His peractis; Illustrissimus Archi-Episcopus dicta ultima oratione ac benedictione, in Pontificali præscriptis; per Archidiaconum Cathedralem, ex suggestu, publicari fecit indulgentias, hoc modo:

Illustrissimus ac Reverendissimus in Christo Pater PETRUS PAZMANY, Archi-Episcopus Strigoniensis, etc. Omnibus, qui Synodo interfuerunt, si præmissa confessione, ac Sacro devote celebrato, oraverint pro Diaecesis Strigoniensis conservatione, ac continuo profectu in timore et amore divino, indulgentiam iuxta Canones amplissimam concedit.

Post hæc idem Archidiaconus, alta voce intonavit: *Recedamus in pace; et sic finis Synodo impositus: deductusque est ab omnibus in domum suam Illustrissimus Dominus Archi-Episcopus, ubi omnibus, ac singulis præsentibus egit gratias, quod laborem pro gloria Dei, et Ecclesiæ emolumento non subterfugerint; sed ad hanc Synodum peragendam, prompta voluntate concurrerint.*

NOMINA

DOMINORUM EPISCOPORUM, ABBATUM ET PRÆPOSITORUM, QUI SYNODO SUBSCRIPSERUNT.

Quamvis Dioecesanæ Synodo subscribere eos, qui intersunt, necesse non sit: quia tamen sacri Canones non prohibent eiusmodi subscriptionem; visum est expedire, ut hanc primam Dioecesanam Synodum, syngraphis firmarent, qui adfuere: nullo tamen dignitatis ordine servato, sed prout quisque accessit.

Ego Petrus Pázmány, Archi-Episcopus Strigoniensis, confirmavi.

Ioannes Piber, nominatus Episcopus Agriensis, subscrispi, *tanquam Præpositus Maior, nomine Capituli Strigoniensis.*

Emericus Losi, nominatus Episcopus Varadiensis, *tanquam Præpositus Veteris Budæ, et Præpositus Sagiensis,* subscrispi.

Stephanus Szent-Andrási, nominatus Episcopus Transsylvaniae, *tanquam Præpositus Chornensis,* subscrispi.

Georgius Draskovith, nominatus Episcopus Quinque Ecclesiensis, *tanquam Præpositus S. Stephani Regis de Bozók, Præpositus S. Thomæ, et Abbas in Porno,* subscrispi.

Paulus David, nominatus Episcopus Vaciensis, *tanquam Præpositus Posoniensis, et Abbas de Skalka, et de Ludány,* subscrispi.

Ioannes Posgai, nominatus Episcopus Bosnensis, *tanquam Præpositus Felheviziensis,* subscrispi.

Georgius Dubóski, nominatus Episcopus Chanadiensis, *tanquam Præpositus B. Virginis de Uj-hely,* subscrispi.

Ioannes Ivánczi, nominatus Episcopus Tinniniensis, *tanquam Abbas Péch-Varadiensis,* subscrispi.

Gregorius Nagy-falvi, nominatus Episcopus Sirmiensis, *tanquam Abbas de Szalavár et Kapornak,* subscrispi.

Georgius Himmelreich, *Abbas S. Martini de Sacro Monte Pannonicæ,* subscrispi.

Matthias Senkviczi, *Præpositus S. Georgii de Viridi Campo,* subscrispi.

Georgius Lippai, *Præpositus Sancti Stephani de Castro Strigoniensi,* subscrispi.

Thomas Fülei, *Abbas de Pilissio,* subscrispi.

Stephanus Frányafi, nomine *Præpositi Scepusiensis*; item nomine *Abbatis de Schavnik*, legitime absentiam excusantibus, tanquam eorum delegatus, subscrispsi.

Ego idem Stephanus Frányafi, nomine *Capituli Scepusiensis, specialiter missus*, subscrispsi.

Stephanus Bolerázi, *Abbas Circensis*, subscrispsi.

Gabriel Bánoczki, Canonicus Agriensis, nomine *Præpositi Iasoviensis*: nomine *Abbatis trium fontium de Beel*: et nomine *Præpositi S. Stephani de Promontorio Varadiensi, et de Arad*, qui absentiam legitime excusarunt, subscrispsi.

Georgius Vas-vári, *Abbas de Saar prope Gyöngyös, et de Földvár*, subscrispsi.

Stephanus Baksai, *Abbas S. Mauritii de Bakon-Beel, et Abbas de Lébeny*, subscrispsi.

Michaël Veres-marti, Canonicus Posoniensis, nomine *Capituli Posoniensis, et ut Abbas de Báta: Item, nomine Abbatis de Simigio, et de Siliario, legitime absentis*, subscrispsi.

Wolffgangus Érsek-újvári, *Abbas de Lekér, et Szebegény*, subscrispsi.

Ioannes Somogyi, Canonicus Zagradiensis, *pro Reverendiss. Episcopo Zagradiensi, tanquam Abate de Topolszka*, subscrispsi.

Abbas de Gyák, Præpositus Albensis. Præpositus Castriferrei, Præpositus de Lelesz, et de Türje, iustas causas suæ absentiae attulerunt; ob quas eorum absentia, pro hac vice, excusata fuit.

Franciscus Baboti, *Abbas S. Trinitatis prope Soklyós*, subscrispsi.

Domini Canonici Venerabilis Capituli Strigoniensis, et Posoniensis; Parochi item permulti, hoc est, omnes, qui præsentes fuere, syngraphis suis, omnia huius Synodi Diocesanæ Decreta et Statuta, acceptarunt.

APPENDIX PRIMA.

DE DICESEI STRIGONIENSI.

PETRUS PÁZMÁNY, ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS.

Lectori Salutem.

Acerbissimas inter Ungarici Regni clades, quibus integro sæculo conflictamur, non postremam existimavi semper Archivorum iacturam. Quum enim immanis Turcarum potentia, torrentis instar, uno quasi impetu, eoque inopinato (unius etenim diei inconsultus ad Mohacium conflictus, simul omnia pessum dedit) Regem, una cum flore Ecclesiastici, ac sæcularis Ordinis obruisset, totamque vastitate complesset Ungariam: quisque salutis suæ, quam scripturarum, potiorem curam gerens, fuga sibi consulendo, curas chartarum insuper habuit. Exusta igitur, disiecta, discerpta, quæ thesauri instar servata oportebat.

Hinc factum, ut licet diu multumque operam posuerim, in exquirendis vetustarum monumentis scripturarum, e quibus Ecclesiastici Ordinis in Ungaria, plena et exacta notitia hauriri, posterrisque communicari posset: frustra tamen laborem insumpsi, frustra aliorum opem imploravi. Pulcherrimæ siquidem structuræ rudera, nobilissimi operis fragmenta, illustris ædificii male cohærentes parietinas dumtaxat reperi, easque sparsim disiectas, quæ vix compagem ferre, certe nobilissimi corporis lineamenta referre, haud-quaquam possent.

Incredibile dictu, quam multa, quam illustria, quam a Sanctis Regibus bene dotata fuerint in Ungaria, servorum Dei examina. Archi-Episcopatus amplissimi, Episcopatus Principatibus pares; Capitula, doctissimorum simul ac sanctissimorum Virorum Semi-

naria, Cœnobia, sanctitate ac doctrina florentissimorum ordinum, velut castrorum acies ordinatæ, velut excubantium pro domo Dei militum stativa denso plena robore, totum Regni Ungarici sinum compleverant: et ita quidem, ut quoquo obtutum verteres, ædes Deo sacrae, Clastra Religiosa, Deo dicatarum Virginum Monasteria, Præsulum ac Pastorum Ecclesiasticorum domicilia, occurrerent.

Nunc (proh dolor!) quantum degeneravimus? inter has fidei rixas, inter Othomannicæ tyrannidis gurgites, vix vestigia avitæ religionis superant: et quam Ecclesiæ Ungaricæ Hierarchiam ante hos centum annos vidisse felicitas erat, nosse hodie voluptas esset. Sed, hanc ipsam cuicuimodi voluptatem, invidit nobis fortunæ novercantis iniquitas.

Cogitaram ego, vel omnium, vel saltem Strigoniensi Ecclesiæ annexorum Episcopatum, quique in eorum Diœcesibus olim floruerunt Religiosorum, catalogum texere; annexis omnibus, quæ plenam status Ecclesiastici notitiam generare possent: sed conatum, successus destituit. Nihil enim uspiam reperi, quod animum expleret. Fragmenta duntaxat reperi, et in quorundam Religiosorum ordinum libris male descripta Monasteriorum nomina, quæ nec intelligi ab Ungaris possint.

Quocirca, persequi cætera cum nequeam: de Diœcesi Archi-Episcopatus Strigoniensis, quæ comperta habeo, breviter recensebo. Ad quæ mihi facem præferunt, Statuta Capituli Strigoniensis, Anno 1397. firmata: Antiquissimæ item, ac bonæ fidei scripturæ. Harum unam, vetustate attritam, ante annos septuaginta authenticæ descriptam, triumque Notariorum syngraphis firmatam, ad manum habeo; quæ ordine recenset catalogum Præpositorum, Abbatum, Decanorum, Parochorum exemptorum, qui Synodo Diœcesanæ Strigoniensi interesse debebant. Altera, similem Catalogum, additis nonnullis, complectitur. Tertia, antiquissimæ et ipsa notæ, Regestum est, quo consignantur Parochiæ omnes, quæ Archidiacono cuique subjectæ erant.

His igitur adminiculis suffultus, etsi veterem faciem exprimere nequeam Illustrissimi huius Archi-Episcopatus, tenuia tamen lineamenta ducam: non solum ut ex his, veluti vestigiis, amplitudo illius quadamtenus cognoscatur; verum etiam, ut præsentium temporum collatione cum veteribus facta, quantum ab antiquo flore decesserit (vix enim decimam Diœcesis partem, Turcæ et sectæ residuam fecerunt) gemebundi recognoscamus: et magnum

illum Patremfamilias ardenter exoremus, ut et operarios idoneos ad suam messem mittat; et feram singularem, quæ polluit Templum sanctum Dei, et posuit carnes Sanctorum bestiis terræ, conterat: fidem avitam postliminio restituat; ac sparsas, rabidorumque lupo-rum faucibus attritas oves, ad unum illud oviarium reducat, ex quo solo aditus æternæ felicitatis panditur.

Suffraganei Archi-Episcopi Strigoniensis.

Archi-Episcopus Strigoniensis habet Suffraganeos sex: *Epi-scopum Agriensem, Quinque-Ecclesiensem, Vesprimensem, Iaurien-sem, Vaciensem, Nitriensem.* Quorum quilibet, amplissimam, et unius humeris vix ferendam habuit Dioecesim.

Agriensis enim Episcopus habet *Archidiaconos*; I. *Cathedralem*: cuius est visitare Comitatum Borsodiensem. II. *Præpositum B. Virginis*: qui visitat Comitatum Zemleniensem. III. *Præpositum S. Petri*: qui visitat Comitatum Bereg, et partem unam Comitatus Szabolch, in districtu Kis-várda. IV. *Archidiaconum de Pankota*: qui visitat Comitatum Szaránd. V. *Archidiaconum de Tárczafő*: qui visitat Comitatum Saaros. VI. *Archidiaconum de Aba-ujvár*: qui visitat Comitatum Aba-ujvár. VII. *Archidiaconum de Patha*: qui visitat partem Comitatus Heves. VIII. *Archidiaconum de Szabolch*: qui visitat Comitatum Szabolch, districtu Kis-várdensi dempto. IX. *Archidiaconum Hevesiensem*: qui visitat districtum Heves, dempto districtu Pathaiensi. X. *Archidiaconum Ung-váriensem*: qui visitat Comitatum Ung-váriensem. Novem istis amplissimis Comitatibus, Agriensis Dioecesis continetur, quorum quilibet, Episcopi unius diligentiam exhaustire posset.

Sed quia solius Archi-Episcopatus Strigoniensis Dioecesim mihi pertexere propositum: aliorum Episcopatum Iurisdictionem, propriis locorum Ordinariis enucleandam relinquo, et ne negligant, rogo. Illud tamen certum est, singulorum Episcoporum Dioecesim, ad plures Comitatus vastissimos extensam fuisse. Nam Episcopus Quinque Ecclesiensis, *Comitatum Baronya, Valko, Tolna*; Episcopus Vaciensis, *Comitatum Kis-Nógrád, Pest, Chongrád, Szólnoch exte-riorem*, complectebatur: sicut et alii Episcopatus, alias Provincias. Neque enim Comitatus apud nos aliud sunt, quam totidem Provinciæ, Principatibus pares.

Capitulum Strigoniense.

Capitulum Strigoniense, olim habuit Canonicos 38, prout Statuta Capituli habent: nunc residui sunt 23.

Quatuor Columnæ: *Præpositus Maior, Lector, Cantor, Custos.*

Tres Præpositi: quorum quilibet Canonicos habuit. I. *Præpositus S. Georgii de Viridi Campo Strigoniensi, qui est etiam Archidiaconus Cathedralis: habuitque Canonicos Octo.* II. *Præpositus S. Stephani Protomartyris de Castro Strigoniensi: habuit Canonicos Sex.* III. *Præpositus S. Thomæ Martyris de Promontorio Strigoniensi: habuit Canonicos Sex.*

Archidiaconi, præter Cathedralem, sunt Novem: *Nitriensis, Nogradensis, Gömöriensis, Hontensis, Barsiensis, Comaromiensis, Sas-variensis, Zoliensis, Tornensis.*

Canonici simplices, sunt septem: *qui locum in choro, et vocem in Capitulo, secundum tempus receptionis suæ, habent.*

Præter hos, est unus vacans Canonicatus: cuius proventum, pars media organistæ, media Rectori scholæ datur.

Beneficia extra Capitulum.

Præpositus Posoniensis: habet Capitulum Canonicorum 14. Fungiturque officio Archidiaconi in comitatu Posoniensi, visitando, ac dirigendo Parochos.

Præpositus Scepusiensis: habet Capitulum Canonicorum 12. Collatio Canonicatum, tam in Posoniensi, quam Scepusiensi Capitulo, spectat ad Archi-Episcopum: sicut et collatio altariæ S. Ladislai, in Curia Posoniensi.

Præterea, in statutis Capituli Strigoniensis, anno 1397. stabilitis, *Versu: Ad Sextum.* Hoc ordine recensentur Beneficia extra Capitulum, quæ Archi-Episcopi Strigoniensis iurisdictioni subiecta sunt. **PRÆPOSITURÆ SÆCULARES:** *Præpositus S. Martini de Posonio: cuius Præpositoriae, Canonicatum, et præbendarum collatio, spectat ad Dominum Archi-Episcopum Strigoniensem.* *Præpositus S. Martini de Scepusio: Veteris Budæ: Titeliensis: Orodiensis: Cibiniensis.* **PRÆPOSITURÆ REGULARES:** *Præpositus de Lelesz: de Promontorio Varadinensi: de Bozók: de Saag: de Sámbok: de Iászo: de Turócz: de Been: de Hatvan: de Chúth.* **ABBATIE:** *Abbatia de Péch-várad: de Sexárd: de Bátá: de Simigio: de Szala: de Beel: de Földvár:*

de Zobor: de Ludány: de Kolos: de sancto Benedicto: de Lekér: de Thelki: de sancto Andrea iuxta Vissegrád: de Kolos-Monostra, in partibus Transsilvaniae: de Chanadino: de S. Iob: de Szebegeny. Item, DECANATUS: Cibiniensis, et Brassoviensis, partium Transsilvaniae. Item, PLEBANIAE: de Buda: de Pest: de Vissegrad: de Patak: de Lampert-haza: de Szőlős: de Uj-hely: de Segesd: de Aranyas: de Nagy-komár: de Galambok: de Apáczva-Vásárhely: de Kiskaz: de Lövöld: de Pápa. ET MULTAE ALLE PRÆPOSITURÆ REGULARES, ET SÆCULARES, ABBATIAE, ET PLEBANIAE, in Dioecesi sua, et aliorum, de iurisdictione ipsius Ecclesiae Strigoniensis existunt: prout in Regesto, penes ipsum Dominum Archi-Episcopum habito, plenius continetur.

Hæc ad verbum habentur in authenticis Statutis Capituli Strigoniensis, ante annos 232 stabilitis, et ab eo tempore usu receptis.

Festa, quibus Archi-Episcopus Missam solemniter cantat.

Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. Virginis, et S. Adalberti festivitatibus.

Præter hos dies, ad beneplacitum celebrat solemniter Archi-Episcopus: in festo Circumcisionis, Omnium Sanctorum, Purificationis, Palmarum, S. Stephani Regis, et feria quinta Cœnæ Domini.

Nomina Abbatum Ordinis Sancti Benedicti, et Cisterciensium, qui Synodo Diœcesanæ Strigoniensi interesse solent, ordine Alphabetico descripta:

Titulus horum est, Venerabilis ac Religiose.

Abbas S. Andreæ prope Vissegrád: de Bátá: de Beel Trium fontium. S. Benedicti de Iuxta-Gron: de Bihar: de Bizerre, alias Kizerre: de Büch: de Bors-monostra. Circensis, alias de Zirch: de Chanadino: de Chavnik: de Egres: de Föld-vár: de S. Gothardo: de Iánosi: de S. Iob, prope Varadinum: de Kapornak: de Kolos: de Kolos-monostra, in Transsilvania: de Lébeny: de Lekér, prope Levam: de Ludány: de Madacsa: S. Martini de Monte Pannoniæ: S. Mauritii de Bakon: de Péch-váradgya: de Pilissio: de Pornou: de Saag: de Saar, prope Gyöngyös: de Szerencs: de Silisio: de Simigio: de Skalka, prope Trenchinum: de Szala-vár: de Széplak:

de Szekszárd: de Szebegény: de Tereskő: de Topólzka, in Sclavonia: de Telky: de Tihany: S. Trinitatis, prope Soklyós: de Zobor.

Nomina Præpositorum Regularium: Præmonstratensium,
et S. Augustini, Alphabetico ordine digesta.

Quorum Titulus idem, qui Abbatum.

De Been, in Comitatu Strigoniensi: de Bozók: de Chorna: de Chúth: de Hatvan: de Iászo: de Lelesz: S. Michaëlis in Insula Leporum: de Pápoz: de Rajk: de Saag: de Sambok: S. Stephani de Promontorio Varadinensi: de Thurócz: de Thoub, Canonicorum Regularium: de Tyrle, nunc Türje: de Uj-hely, Canonicorum Regularium.

Nomina Præpositorum Sæcularium: quibus ex Cancelaria Archi-Episcopi Titulus datur:

Venerabilis Frater.

Præpositus Posoniensis, cum Capitulo: Veteris-Budæ, Scepusiensis, cum Capitulo: Titeliensis: Albæ Regalis: Orodiensis: Deme-siensis: S. Trinitatis, de Superioribus Aquis calidis, vulgo Fel-héviz, Budensibus: Novæ Ecclesiæ B. Virginis de Buda. Præpositus de Hatvan: Præpositus Cibiniensis: Præpositi tres in Capitulo Strigoniensi, videlicet S. Georgii, S. Stephani, et S. Thomæ: Præpositus Castriferrei S. Michaelis.

Nomina Decanorum.

Decanus Brassoviensis, Cibiniensis, de Kisd, de Sasin.

Nomina Plebanorum Exemptorum, ordine Alphabeti:

Titulus: Honorabilis, etc.

Numero 107. Plebanus, de Achk: Albæ Regalis, ad B. Virginem, et ad S. Iacobum: Al-Keszi: S. Antonii: Apati, prope Szathmár: Ara-nyas: Bábaszeg: Bachuzo: Bájta: Bank: Baka-bánya: Bereg: Beregszász, alias Lampert-háza: de Buda ad B. Virginem, ad S. Mariam

Magdalenam. In Suburbio Budensi ad S. Petrum, ad S. Martinum, et ad S. Gerardum: S. Trinitatis, ad Superiores Aquas calidas: Bulchu: Cseek: Chöv: Cremnicia: Sancta Cruce: Damás Regali: Deáki: Demes: Diluva: Dobronya: Domanik: Dorog: Epel: Fel-Keszi: Galambok: Gilnicza, in Scepusio: Hereg, alias Zereg: Iászo: Iaasz-Berény: Ieklen, in Scepusio: Ilova, alias Ilsova: Izkaaz: Karos: Kesztölz: Kövesd: Komárom maiori: Korpona: Korompak, in Scepusio: Künigs-perg: Letkés: Lipche Teutonicali: Lipche Sclavonicali: Lövöld: Lybeta: Marus: Monte Regio: Monialium Foro: Nama, alias Mana: Szakmar-Németi: Novi-zolio, alias Monoszlo: Olaszi, alias Villa Latina: Örs Regali: Örs Archi-Episcopali: Pápa: Pölsücz: Pest: Perbár: Ponik, alias Panity: Prink-falva: Püspöki, prope Posonium: Rosemberg: Rosno: Sajó-Szent Péter: Szakolcza: Salmar: Sambok: Sárospatak: Sásad: Segesd, alias Segöd: Smelnicz, alias Szomónok: Semnicia: Solna: Somogyi: Sullok, alias Sullah: Szántó Abbatis: Szaasz-Berény: Szent-Király: Szepsi: Sziget-fő: Szőlős, prope Máromaros: Tamás-várallya: Tardos, prope Hereg: Tardos, prope Márton-Vásár: Taxon: Therennye: Theük: Tyrnavia: Torna-Varsány: Verőcze: Veteri-zolio, ad S. Nicolaum, et ad S. Elisabeth: Uj-hely: Vissegrád: Zela, alias de Omnibus Sanctis: Zelimba, alias Helimba: Zob.

Archidiacono Cathedrali subsunt Plebani.

Plebanus de Barth: de Been: Ebed Capituli: Kakat: Keet: Num. 23.
 Kéménd: Kis-Tata: Köbölkút: Király: Kürt: Libad: Musla:
 Magyar-Szögyén: Német-Szögyény: Nana: Novæ Civitatis sub
 Castro Strigoniensi: Ölyved: Páld: In Strigoniensi Civitate, S.
 Nicolai: S. Laurentii: S. Crucis: S. Petri: S. Mariæ Magdalæ.

Archidiacono Nitriensi, in Comitatu Nitra, Turócz, Árva,
 subsunt Plebani, ordine Alphabetico descripti.

Plebanus de Aardán, aliás Lárdan: Apony: Aranyas: Sz. Num. 128.
 András: Attrak: Baab: Bajnócz: Bán-keszi: Bánya; Banka; Bo-
 sány: B. Virgine: Benus: Baak: Sz. Benedek: Bood: Bori: Bor-
 chan: Cheste: Cherman: Chalád: Czétény: Czizich: Davar: Deithe:
 Diós: Eger-szeg: Egyház-szeg: Elefant: Emöke maiori: Ezdege:
 Farkasd: Fedémes: Gajdel: Sz. György: Galgócz: Galicz: Gimes:

Gug: Givég: Hederhely: Hemel-lehota: Hind: Jason: Ilmer: Ivánka: Izbég: Kajch: Komjáti: Keer: Kevith: Király-Falva: Kolon: Körös superiori: et inferiori: Körtvélyes: Kosot: Kovárcz: Krénevec: Lapaacz: Lakáchi: Lédecz: Lezete: Liponok: Ludány: Lumika: Sz. Marton: Maniga: Mast: Megyer: Merecze: Mező-keszi: Sz. Mihály: Modor: Sz. Mihály secundo: Nagy-Lány: Neszpal: Nemchak: Nyárhid: Novák: Nova Ecclesia: O-falu: Pata: Perjes: Sz. Péter: Pereszleny: Sz. Pál: Pöstyén: Privigya: Prona: Paczola: Radnok: Ranch: Raspich: Réche: Sárfő: Séllye: Sempte: Sijs: Sucsan: Szakállós: Szelnicza: Szelvár: Szelesen: Szobotischa: Széplak: Szerdahely: Szőlős: Szolcsan: Tapolcsan: Tardos-keddi: Vásard superius: Udvarnok: Vég-vár: Veres-vár: S. Vid: Veche: Verbov: Vesztenicz: Vicsáp: Vikluch: Vitencze: Ujlak: Uj-hely: Præpositi: de S. Cruce: Ürmény: Ürög: Závoda: Zela.

In Arva Plebani.

In Magna Villa: Rubny: Tvardossin: Krisina: Robova:

Archidiaconus Nogradiensis habet sub se Plebanos:

Num 110.
Plebanum de Andras-falva: Sz. Anna: Batka: Balsa: Berege: Berén: Berzencke: Berekenye: Beryen: Boldog-Aszonyfalva: Bolk: Bodony: Bussa: Chalat: Chesztve: Chinek-falva: Drah: Deitar: Dévény: Deberchen: Dobrócz: Dolyan: Dvoronchan: Ebeczk: Endrefalva: Sz. Ersebet: Farkas-falva: Filek: Galch: Gyarmart: Halap: Hartyan: Homok-Terenye: Horpách: Hugyag: Sz. Ianos-falva: Ienő: Karach-allya: Kalanda: Kazar: Kelecheny: Keszü: Kereztür: altero Keresztür: Kis-darócz: Kiszelő: Kurt: Kurtös: Lapintő: Limolcz: Litke: Lónya-Bánya: Lossoncz: Lócz: S. Lőrincz: Ludán: Luchyn: Marczali: Sz. Márton: Mas-falva: Megyer: Mohora: Nagy-Darócz: Nagy-Libercze: Nandor: Nagy-Orosz-falu: Nagy-Szőlő: Nógrád: Patak: Peljls: Pestyén: Sz. Peter: Pincz: Polchar: Piispöki: Raap: Ragyócz: Réti-Ság: Rohman: Saag: Samson-háza: Sklabonya: Savol: Szakal: Széchen: Stergar: Stregova: Szenna: Svinye-Banya: Soori: alis Choori: Somolya: Süg: Tamasi: Tarjan: Tarnóc: Tél-falu: Terbeled: Tereske: Tolmach: Turcza: Vadkert: Felső-, Közép- et Alsó-Varbo: Varsan: Uj-falu: Vilyke: Uhoska: Uzdyn: Zabora.

Archidiaconus Gömöriensis, habet sub se Parochos:

Parochum de Aba-falva: Ag-telek: Almad: Apáti: Bakos: Num. 84.
*Balog: Baracha: Baradna: Bast: Beje: Berzéte: Budik-falva:
 Busonya: Chetnek: Chiz: Chólto: Sz. Demeter. Derenchén: Deresk:
 Dobólcza: Dopsina: Feled: Fiche: alias Fige: Gálosa, seu Kálosa:
 Gecel: Gede-allya: Geleszte: Gortva: Hajnách-kő: Hamva, alias
 Hamba: Hangán: Harmach: Hoszsú-szó: Imolya: Iaanosi: Iseep:
 Kálno: Kápolna: Krasna-horka, sive Vár-allya: Kerepech: Kelemér:
 Kechő, aliter Ezische: Kerék-Gede: Kietbe: Kövi: Lénárd-falva:
 Lithe, alias Linczo: Lörincz-falva: Máld: Mehi: Melethe: Oláhpataka:
 Olthma: Panity: Pölsücz: Püspöki: Putnok: Ragaly: Raas:
 Ratko: Rester: Rima-Seech: Runya: Sáros-Zabar: Sájo, Felső- et
 Alsó: Skarus: Szent-Király: Szent-Lélek: Sz. Simon: Simete: Simány:
 Stoys: Sürög: Szuha-fő: Suthor: Szuha, alias Sz. György-Szuha:
 Tornallya: Vaal: Velkenye: Veszverés: Uj-falu: Uj-vasár: Zubog.*

Archidiaconus Hontensis, sub quo est et Liptoviensis
 Comitatus, habet Parochos:

Parochum de Sz. Andras: Sz. Anna: Balog: Baat: Bersen- Num. 110.
 sive Bessen: Brezo: Bernecze: Boda: Bobrovecz: Boldog-aszon-falva:
 Chaab: Chaal: Chalamia: Czank: Cherbeczeg: Dalmad: Demiend:
 Drégely: Dovalova: Dubrava: Egyház-Beel: Egeg: Fegyvernek:
 Gyarmat, alias Ersek-Gyármattyá: Gyürök: Hrazo: Hegymeg:
 Hiba, alias Gaib: Hid-vég: Hont: Hunseza: Iván: Sz. Istvan: Sz.
 Ivan: Krasko: Kesző: Sz. Kereszt: Kesző secundo: Kemencze: Kis-
 Sarlo: Kövesd: Laan: Legyen: Lesenye: Leled: Lipto-Sz.Miklós:
 Liska-falva: Litva: Lubelya: Ludany: Sz. Marton: Marót: Mind-
 Szent: Sz. Mihály: Sz. Miklós: Nádas: Nagy-Palugya: Nyék:
 Nenye: Nemti: Osgyan: Páld: Palast: Palugya: Pász-tou: Paloita,
 Felső et Alsó: Peszék: Pezeren: Perechen: Pereszlen: Sz. Péter:
 Pribel: Proszek: Pokorad: Rima-Szombat: Rima-Banya: Rokava:
 Rosemberg: Szalka: Szakallos: Sasd: Skalnok: Szleche: Szmerechan:
 Szemeréd: Szelchen: Szelbchleb: Sember: Sipek, Alsó et Felső:
 Szőlős: Suha: Tepla: Terek: Terjén: Teszer: Ternovecz: Terenchén:
 Tisólcza: Tölgyes: Tót-Baka: Túr: Vámos-Mikola: Vacban: Varsan:
 Vecke: Visk: Zeberje: Zethe.

Citra Tyssam, nomina Villarum:

Num. 34.

Aszszony-falva: Bacha-szállása: Benek-szállása: Bezther: Chöngele: Ferencz-szállása: Iakab-szállása: Kaara: Kerek-Egyház: Majuszállása: Mizte-haza-szállása: Orgovány: Szabad-szállás:

Hi pagi sunt
Cumanorum,
qui a Roberto,
Archie-Epi-
scopo Strigon.
fuerunt bapti-
zati, tempore,
Belæ Quarti.
Vide Bzovium
in continua-
tione Baronii.

Ultra fluvium Tyssam:

*Asszony-szállása: Babachka: Chenő: Chorba: Eched: Ethér:
Fabian-Sebestyén: Hegyes: Homok-szállása: Kolba-szeg: Kolba-szál-
lás: Maria-laka: Sz. Márton: Madarász: Marót: Nagypo: Orgonda-
Sz. Miklós: Pakat: Raba: Turkon-szállás: Uj-szállás:*

Archidiaconus Barsiensis, habet sub se Parochos:

Num. 60.

*Parochum de Apáti: Aarma: Bars: Baratka: Berzencre: Sz.
Benedek: Barogyan: Cheke: Chejkő: Chifár: Damás: Endréd:
Farnad: Füs: Gelednek: Sz. György: Gyüred: Herestyén: Iaztreba:
Kálma: Kaproncza: Kemenicz: Kenesich: Sz. Kereszt: Keszü: Kris-
tinien: Kosztolán: Kováchi: Leánd: Lekeer: Léva: Malas: Molonya:
Sz. Márton: Marót: Merlek: Mikola: Nemti: Neveg: Novavilla:
Oszlán: Peel: Rendve: Saaro: Sarlo: Sarnócza: Semte: Sember:
Szelvás: Simoni: Szőlös: Tapolchán parva: Theszár: Trubyn:
Várad: Verebély: Velyka-polya: Vezekény: Villa Andreæ: Ugrócz.*

Archidiaconus Comaromiensis, habet sub se Parochos:

Num. 42.

*Parochum de Asoan-tó: Asoan-tó secundo: Bajch: Bálván-
Szakállós: Bulchu: Chíz: Egyházas-Szakállós: Ekel: Gyál: Guta:
Hethén: Hedre-vára: Isza: Karva: Keszü: Komárom: Kürt: Leel:
Madar: Marczel-háza: Martos: Medve: Megyer: Móch: Nándor:
Naszvad: Néma: Olthva: Path: Sz. Pál: Sz. Pál secundo: Per-
bethe: Piski: Radvány: Számol: Szászfalu: Tan: Tönye: Vámos:
Vég: Sz. Vid: Udvard.*

Archidiaconus Sas-variensis, habet sub se Parochos:

Num. 23.

*Plebanum de Brotka: Chachov: Doych: de S. Georgio: de S.
Georgio secundo: Holich: Iablonicz: Iablonove: Kyripólz: Kuhinya*

alias Konyha: Latus foris: Levár: De S. Nicolao: de S. Nicolao sub Detrekő: de S. Petro: de S. Petro sub Monte: Pernek: Rárbok: Sas-vár. Stras: Szekula: Villa Petri: Unyin.

Archidiaconus Zoliensis, habet sub se Parochos:

Parochum de Badyn: Bulcho: Hajnyik: Libétha: Lipche: Mika-falva: S. Nicolai de iuxta Gron: Olchova: Osztroluka: Omnium Sanctorum: Ponik: Radvány: Szalathna: Szelnicze: Ternye: Therenő. Num. 16.

Archidiaconus de Thorna, habet sub se Parochos viginti quinque; quos non invenio nominatim consignatos.

Præpositura Posoniensis habet sub se Plebanos:

Plebanum de Sz. Abrahám: Achaz: Sz. András-falva: Alsó-dombo: Bazin: Bákony: Beke: Bresztovany: Bisztricza: Boleraz: Bogdanocz: Bohunyicz: Boldogfalva, alias Villa Mariæ: Böös: Chákány: Cataj: Cheleszte: Cheklész: Czifer: Chötörtök: Czukard: Dejte: Dévény: Dió-szeg: Egyház-Baa: Egyház-karcha: Egyház-kürt: Egyház-Paka: Eberhard: Farkas-hida: Feel: Feir-egyház: Gajar: Galánta: Gelye: Gerenchér: Grinava: Sz. György: Sz. György secundo: Gomba: Grueb, alias Gurab: Gutor: Hakan: Hellendorff: Hochsteten: Igram: Ilka-Szigete: Ioka: Kápolna: Carcha: Kereszt-Ur: Kiliti: Korompa: Felső- et Alsó-Laab: Lak-Paka: Limpach: Lipótfalva: Longa-Villa, alias Hoszú-falu: Majtén: Magyarad: Szent Márk: Sz. Márk secundo: Miserd: Sz. Mihály-falva: Modra: Nádas: Nahách: Nagy-Fedémes: Nagy-Magyar: Nagy-Leek: Nagy-Machid: Német-Diós: Ottenthal: Paka: Pracha, alias Wejner: Sz. Péter: de Posonio, Sancti Martini, S. Michaëlis, et S Laurentii: Pruk: Pudmeritz: Réche: Rokoriecz: Rosenthal, alias Rosendel: Schwánsbak: Samaria: Satmania, alias Cheszte: Sárfű: Spacza: Szeli: Szerda-hely: Szemcz: Senquitz: Szijl: Simberg: Szomolyan: Stomfa: Suur: Tot-Diós: Sürnbach, alias Szuhá: Vajka: Vásár-ut: Varkony: Vedré: Viz-kelet: Vistok: Villa Bölgardi: Villa Nova Sclavonicalis, alias Horvát-Uj-falu: Villa nova Teutonicalis, alias Német-Uj-falu: Uszor: Uj-falu secundo: Zavar: Zavar secundo: Zobor. Num. 116.

Præpositus Scepusiensis, habet sub se Plebanos multos,
iuxta subsequentem signaturam:

Num. 147

Prima Parochia est, *S. Martini Collegiatæ Ecclesiæ*. Ad quam spectant Pagi: *Almás, Luchka, Paulyan, Namessan, Kolchva, Kathon, Kolbach, Baldócz, Hotkótz, Hinczöcz, Biharócz, Gebel-falva, Grancz, Petrócz*.

Secunda Parochia est, *Leuchoviensis, S. Iacobi*.

Tertia. *Késmárk*.

Reliquæ Ecclesiæ in hoc Comitatu, divisæ sunt per Fraternitates.

I. FRATERNITAS, viginti quatuor Regalium Oppidorum: tredecim Oppida a Polonis possessa: undecim ad arcem Scepusiensem spectantia.

II. FRATERNITAS, inferioris fluvii Hernád, continet Pagos: *Körtvélyes, cuius filialis est Vitkócz, Ragyólcz, Görgő, Zlatvina, Richno, Bethania, Domanyócz, Dienes-falva, Harakótz, Brutócz, alias Szent Lörincz: Polyánka, Felső-Szalok, Répas superiorem, et inferiorem; Olsovitz, Markus-falva, Haraszt, Porach, Korotnok*.

III. FRATERNITAS, superioris fluvii Hernád, continet Pagos: *Zmisan, Lothon, cum filiali Szent-Ianos; Tamás-falva, Arnold, Grenitza, Vagendressel, Betlen-falva, Leuko-falva, Abraham-falva, Pik-falva*.

IV. FRATERNITAS, inferioris fluvii Poprad, habet Pagos: *Toporcz, Vitzen-dorff, Maldar, Hundert-mark, Pausendorff, Lomnitza minorem, Kallas-Lomnitza, Holi-Lomnitza, Hunds-dorff, Szent-Kereszt, Rokus, Bier-brun, Krig, Tót-falva, Nérer, alias Strasa; Valdorff, Landek*.

V. FRATERNITAS, districtus Dunajecz, habet Pagos: *Laps, Hanus-falva, Katz-vinkel, Krompach, Uj-Béla, Ó-falu, Máté-falva, Lechnicza, Medicza, Frid-man, Losnicza, Reich-vald*.

VI. FRATERNITAS, superioris fluvii Poprad, habet Pagos: *Vasvetz, Stirba, Batis-falva, Gerlaki, Sonava superiorem, et inferiorem: Luchivna, Menkus, Kobach, Kriványi, Krávanyi, Oszelecz, Svábótz, alias Schwabsdorff: Farkas-falva, Szent-András, Gan-falva*.

VII. FRATERNITAS, districtus Lüblo, habet Oppidum *Podolincz, Pagos Ruszbach utrumque, Antiquam Lüblo, Novam Lüblo, Ginazd: Hopff-gart*.

Hæc est amplissimæ Dioecesis Strigoniensis consignatio. Tenebræ tamen mihi non uno loco: nam et pagorum nomina alicubi

geminata, et literulæ flexu mutata, aut minus distincte expressa videntur. Quid si et aliquid per incuriam ommissum? sed addere his, aut corrigere, difficile non erit, sicubi exerratum. Ego enim veteris Scripturæ fidem integrum conservavi.

Ceterum, quoties animo concipio, Episcopatum Hungariæ latissime patentes Dioeceses, non magna me subit admiratio, quod Hæreses, et ex ea ortæ morum corruptelæ, tam repente, tam valide invaluerint! præterquam quod enim, nulla in tota Ungaria Universitas, aut celebrius studium publicum fuerit, ex quo viri docti; ad animarum curam admoverentur: tam ampla etiam erat cuiusvis Episcopi Dioecesis, ut uni alicui, quantumvis eximio viro, omnibus aliis curis vacuo, vix fuerit possibile tot animarum saluti invigilare. Inter tot vero publicas Regni curas, quas Episcopatus Hungariæ, tam bello quam pace annexas habent, vel titulo supremorum Comitum, vel ex officio Senatorio, vel ex Iudiciorum, Comitiorumque Regni assiduis occupationibus; impossibile omnino videtur, ita Pastoralis officii partes, in tam vasta Dioecesi exequi; ita omnibus attendere, ita universos instruere, ac regere, ut rei magnitudo ac necessitas postulat.

Quocirca, eius ego semper animi fui, si quæ in Ungaria veræ Religionis incrementa videre velimus, id ipsum faciendum esse, quod sapientissimus ævi nostri Principum, Philippus secundus, Hispaniarum Rex Catholicus, in Belgicis Provinciis fecit. Amplos enim Episcopatus, ex sententia summi Pontificis, in plures partitus est, ut attendi ab unoquoque ad suum gregem posset. Et, ne nimium tenuis esset Episcoporum sustentatio, addidit de suo pius Princeps, quod deerat.

Et, ut de cæteris Dioecesibus taceam, ingenti bono Archi-Episcopatus Strigoniensis, quatuor in Dioecesi Strigoniensi Episcopatus novi, erigi possent. Primus, *Scepusiensis*: nam et antea Episcopum illic fuisse, veteres scripturæ produnt. Huic, præter Comitatum Scepusiensem, et Præposituram, Comitatus Lipto et Arva, adiungendi essent, una cum Decimis: ac tribus hisce Comitatibus Diæcesim clauderet. Secundus, *Gömöriensis*: cui pro rèsidentia, assignari posset oppidum Rosnó-bánya, una cum dominio temporali oppidi, et pagorum quatuor, quos illic possidet Archi-Episcopus. Decimas item Comitatum Gömör, et Torna perciperet, eorumque Comitatum limitibus Diæcesim terminaret. Pro Capitulo sex Canonicorum, posset redimi beneficium aliquod Ecclesiasticum,

olim oppignoratum sacerdotalibus. Tertius, *Turociensis*: qui Comitatum Turócz, et Zólyom, cum Decimis obtineret; et bona Praeposituræ, quæ in Comitatu Turociensi, Liptoviensi, Zoliensi habentur. Seliensi tractu, pro scholis Tyrnaviensibus reservato: sicut et duobus pagis ad eandem Praeposituram spectantibus, quos nunc possidet Abbas S. Martini. Quartus, *Nogradiensis*: qui Comitatum Nógrad, una cum Decimis, obtineret: bona item Archi-Episcopatus Dregenliensia, cui etiam Sagiensis Praepositura incorporari posset.

Quatuor his Episcopatibus idoneos Antistites nominare, Archi-Episcopi esset. Atque ita, octo Comitatibus divulsis ab Archi-Episcopatu, reliquis attendi facilius posset. Neque vero per hanc Episcopatum erectionem, ita imminuerentur facultates Archi-Episcopi; ut dignitatem suam sustinere non posset. Et licet aliquid deforet in temporalibus, id uberioris pensaretur lucro spirituali.

APPENDIX SECUNDA.

DE RELIGIOSIS ORDINIBUS, QUI OLIM IN UNGARIA FLORUERE.

Nihil in Archivis nostris, de Religiosorum Ordinum Domiciliis, ac numero signatum reperi: Ut tamen Maiorum pietatem degener posteritas norit, breviter attingam, quæ investigare de his licuit.

Abbatiae Ordinis S. Benedicti.

Plurimorum nobilissimi huius Ordinis Cœnobiorum certum indiculum ad manum non habeo: Notabo tamen, quæ consignata sparsim reperi: nihil dubitans, plures longe fuisse Abbatias Benedictinorum.

Abbatiarum omnium prima ac potentissima in Ungaria fuit: Num. 58.
S. Martini de sacro Monte Pannoniæ, a S. Stephano Rege fundata, Anno Christi 1002. cuius Regii diplomatis originale exemplar, Sancti Regis manu subscriptum, vidimus apud Abbatem modernum. Cæteræ (quantum, notare potui) ordine Alphabeti, hæc fere sunt:

Abbatia de Almád, B. Maricæ Virginis, in Comitatu Szaladiensi, Zagrabiensis Diœcesis. Apát-falva, prope Agriam. S. Andreæ, prope Vissegrad; quæ postmodum Anno 1494. sub Mathia Rege, data est Paulinianis.

De Babólcha, in Simigiensi Comitatu. Bakon-Beel, S. Mauriti, in Wesprimensi Diœcesi: a S. Stephano Rege fundata, circa Annum Domini 1030. Báta, S. Michaëlis Archangeli, in Diœcesi Quinque-Ecclesiensi, Comitatu Tolnensi. Bela, S. Margarethæ. S. Benedicti, de Iuxta Gron, in Strigoniensi Diœcesi; fundata a Geisa I. Anno Domini 1075. Bihar, in Varadinensi Diœcesi. Bizere, in Orodiensi

Comitatu. *Borchi. Bors-Monostra*, prope Köszeg, in Iauriensi Diœcesi.

De Chanád, S. Georgii Martyris; fundata sub S. Stephano Rege a S. Gerardo, primo Episcopo Chanadiensi. *Chatar, B. Mariæ Virginis*, in Comitatu Szaladiensi. *Sanctæ Crucis de iuxta Mura, alias Kereszt-iür*, in Comitatu Szaladiensi.

S. Demetrii, de Sirmio, iuxta Savum fluvium; fundavit Rado Palatinus Hungariæ, in Diœcesi Quinque Ecclesiensi, circa Annum 1057. *Dömölk*, in Comitatu Szaladiensi. *Dombo*.

Egeres, filialis Abbatia ad Kolos Monostor.

Föld-vár, ad Danubium fluvium.

Garab, Abbatia filialis ad Szekszárd.

S. Iacobi de Silissio, in Diœcesi Vesprimiensi, Comitatu Szaladiensi: fundata ab Athya, Palatino Ungariæ, tempore Salomonis Regis, Anno 1064. *Iánosi. Iaszt*, in Albensi Comitatu: fundata a Laurentio Duce de Ujlak. *Ivan, B. Mariæ Virginis*, Diœcesis Quinque-Ecclesiensis, in Comitatu Tolnensi.

Kapornak, S. Salvatoris, Wesprimiensis Diœcesis, in Comitatu Szaladiensi. *Kolos, B. Mariæ Virginis*, Strigoniensis Diœcesis, in Comitatu Nitriensi. *Kolos-Monostor, B. Mariæ Virginis*, Transsilvaniensis Diœcesis, in Comitatu Colosiensi. *Koppan-Monostra, B. Mariæ Virginis*, in Comitatu Walko.

Lébeny, S. Iacobi, Diœcesis Iauriensis, in Comitatu Mosoniensi. *Lekér, S. Trinitatis*, Strigoniensis Diœcesis, in Comitatu Aarsiensi. *Ludany, SS. Cosmæ, et Damiani*, Diœcesis Strigoniensis, in Comitatu Nitriensi, in possessione Apátfalva.

S. Mariæ in Monte Gissing, alias Német Uj-vár: fundata a Wolféro Comite, anno 1157. *Madocha. Monostor, Sancti Spiritus*, Quinque Eccles. Diœcesis, in Comitatu Valko. *Monyoród*, in Comitatu Pestiensi: viguit anno 1474. *Monostor*, supra Comaronium, Iauriensis Diœcesis.

Péch-Várad, (alias de Várad ad radicem Montis Ferrei) *B. Mariæ Virginis*, Diœcesis Quinque Ecclesiensis, fundata a S. Stephano Rege, anno 1007.

Quinque Ecclesiis, S. Benedicti: viguit anno 1070.

Rakony, iuxta Danubium.

Saari (alias Saar-Monostra) prope Gyöngyös, Agriensis Diœcesis: fundata ab Aba Rege, ubi et sepultus est. *Szala, S. Adriani Martyris*, Vesprimiensis Diœcesis: a S. Stephano Rege fundata.

Szent-Gyögy. Szerench, in Agriensi Diœcesi. *Széplak*, in Agriensi Diœcesi: viguit anno 1217. *Szexárd, S. Salvatoris*, Diœcesis Quinque Ecclesiensis, in Comitatu Tolnensi: fundata a Bela I. ubi etiam sepultus iacet. *De Simigio, S. Aegidii*, Vesprimiensis Diœcesis: viguit anno 1302. *Szkalka*, (alias de Rupibus) *S. Benedicti Martyris*. Strigoniensis Diœcesis, in Comitatu Trenchiniensi. *Szöbögény*, Strigoniensis Diœcesis: viguit anno 1251.

Tapólcza (alias *Taplócza*) penes Miskólcz, Agriensis Diœcesis. Viguit anno 1217. *Tata, SS. Petri et Pauli. Telki. Tereske*, seu Terechke. *Tihany, S. Aniani Episcopi et Confessoris*, ad lacum Balathon: fundata ab Andrea I. anno 1055. ubi etiam sepultus iacet. *S. Trinitatis de Soklyós*, Diœcesis Quinque Ecclesiensis, in Comitatu Baroniensi: viguit anno 1249.

Vaska-Szent-Márton, ad Dravum fluvium; Quinque Eccles. Diœcesis (alias *S. Martini de Vaska*.)

Zobor, S. Hippolyti Martyris, Nitriensis Diœcesis, a S. Stephano Rege fundata. Postea est applicata ad Episcopatum Nitriensem.

Abbatiæ Ordinis Cisterciensium.

Monasteriorum huius Ordinis Syllabum accepi, partim ex Catalogo Monasteriorum Ordinis Cisterciensis in clauстро S. Trinitatis Neostadii in Austria reperto: partim ex R. P. F. Chrysostomi Henrique, fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensium: in quo multa habet de provinciis, et cœnobiis huius Ordinis: partim ex libro antiquo manuscripto, quem D. Abbas Runensis, anno 1622. mihi exhibuit.

Abbatia de Abran (sive Abraham.) *B. Mariæ Virginis*, in Comitatu Bodrogiensi, Diœcesis: Colocensis: fundata a Moyse Palatino Hungariæ, et eius fratre Comite Alexandro, anno 1270. circiter. Num. 41.

Belæ Fontis, in Diœcesi Colocensi fundata 1152. *De Beel Trium Fontium B. Mariæ Virginis Assumptæ* (alias *Trium Fontium de Beel Cumanorum*.) Agriensis Diœcesis: fundata 1232. *De Bocconio*, Vesprimiensis Diœcesis (alias *Buctati*:) fundata 1182. *Benedictionis Dei*.

De Candelis fundata 1216. *Chavnik*¹ (alias Schavnik) *B. Mariæ Virginis*, Strigoniensis Diœcesis, in Comitatu Scepusiensi. *De Casa Nova*: fundata 1150. *Cikádor, B. Mariæ Virginis*, Diœcesis Quinque Ecclesiens: fundata 1142. *S. Crucis*: fundata anno 1201.

Nulli nunc in
Ungaria Cis-
tercienses.

¹ Nunc possi-
det M. D. Ste-
phanus Tokoli.

De Egres: fundata anno 1200. ab Andrea II. ubi etiam sepultus iacet. *Erchi, S. Nicolai Confessoris*. Vesprimiensis Diœcesis, in Comitatu Albensi: fundata a Thoma Palatino Hungariæ, circa annum 1260. Quam postea anno 1499. possederunt Eremitæ S. Augustini.

De S. Gothardo, B. Mariæ Virginis, Iauriensis Diœcesis, in Comitatu Castriferrei: fundata 1183. *Gotho*, in Posegano Comitatu.

S. Helenæ, in Sclavonia: fundata anno 1170.

S. Iacobi, in *Insula Danubii*: fundata 1274. *De Ilda*, in Sclavonia.

Kiers. Colban (alias Koblan) in Sclavonia: fundata anno 1174.

De Lucentia: fundata anno 1190.

S. Mariæ Abbatia, in *Scepusio*: fundata 1222. *S. Mariæ in Regali loco*: fundata 1282. *Melli fontis*, in Hungaria. *S. Michælis, in Insula B. Virginis*, iuxta Budam: viguit anno 1302. *De Monte S. Mariæ*; fundata 1198.

Nova Abbatia, inter Ungariam et Poloniam.

De Pásztó, B. M. Virginis, in Agriensi Diœcesi: fundata anno 1190. *De Petri Varadino*, in Comitatu Valko; fundata anno 1203. *De Pilisio, B. Mariæ Virginis*, Vesprimiensis Diœcesis: fundata anno 1384. *De Porno* (alias Bernau:) fundata 1235.

De Strigoniensi Campo.

De Topólszka (alias Toplicza) *B. Mariæ Virginis*, Diœcesis Zagrabiensis: fundata anno 1135. *Teg. Tisiboti*: fundata 1269.

Vallis S. Mariæ. Vallis Honestæ: fundata 1232. *Vallis Paradisi*: fundata anno 1172. *De Vesprimio* fundata 1184.

De Zam (alias Nam:) viguit anno 1219. *De Zagrabiensi Campo. Zirch* (alias Circensis) *B. Mariæ Virginis*, Vesprimiensis Diœcesis: fundata anno 1198.

Reperi insuper Abbatias aliquot in veteribus Privilegiis et Scripturis, quæ cuiusnam Ordinis fuerint, non liquet.

Num. 24. *Abbatia de Aparei. De Bela, B. Mariæ Virginis*, in Sclavonia. *Berucio*: viguit Anno 1217. *Bisztria*: viguit Anno 1222. *Búch*, prope Castrum Solymos; viguit 1477. *De Casar Cholt*: viguit 1217. *Curru*, in Varadiensi Diœcesi iuxta fluvium Körös: viguit 1216. *De Drusma* (seu Duzma). *De Gyerö Monostor*, in Transsylvaniensi

Dioecesis. *Gabrielis*, in Varadinensi Dioecesi: viguit 1217. *De S. Henrico*: viguit 1219. *De Heuviz*: viguit 1221. *S. Jacobi*, in Simigiensi Comitatu. *Sz. Iob, B. Mariæ Virginis*, in Varadinensi Dioecesi, Comitatu Bihariensi. *Monostor*, in Vaciensi Dioecesi, non procul a Vamos-Gyürk possessione. *Prinou*, in Strigoniensi Dioecesi, viguit Anno 1252. *Pankota*, in Agriensi Dioecesi: viguit Anno 1218. *Poroszlo*, in Comitatu Maromaros: viguit 1216. *Pétur*, in Simigiensi Comitatu: viguit 1218. *Salomon S. Seraphini* Monasterium, alias de Lekeer. *Tritszkai*: viguit 1216. *Ubod*: viguit 1219. *Zeer-Monostra*: viguit Anno 1315.

Præposituræ Sæculares.

Etsi in Appendice priori nonnullarum Præpositurarum, tam Num. 20. Sæcularium, quam Regularium facta sit mentio: tamen hic separatim aliquas, quas olim in Hungaria fuisse, ex Scripturis veteribus habemus, visum est subiungere.

Præpositura Sæcularis, *Albæ Regalis*, *S. Mariæ Virg.* in Vesprimensi Dioecesi: fundata a S. Stephano Rege. *S. Adalberti*, in Iauriensi Dioecesi.

Bachiensis, *S. Pauli Apostoli*, viguit 1252. *Budæ Veteris*, *S. Petri Apostoli*, Vesprimensis Dioecesis: fundata a Sancto Ladislao Rege.

Castri-ferrei, *S. Michaelis Archangeli*, Iauriensis Dioecesis. *Chasmensis*, *B. Mariæ Virginis*, Dioecesis Zagrabiensis.

Demesiensis, *S. Margarethæ Virg. et Mart.* in Vesprimensi Dioecesi: fundata ab Almo, Duce Ungariæ.

Ecclesiæ Novæ B. M. Virginis, ante Castrum Budense, Vesprimensis Dioecesis.

Hantensis, *S. Michaëlis Archangeli*, in Vesprimensi Dioecesi. *De Haj, Sancti Laurentii*, (alias Háj Sz. Lőrintz,) viguit Anno 1330.

S. Ioannis Baptistæ, in Castro Quinque-Ecclesiensi. *S. Irenæi*, in Bodrogiensi Comitatu, Dioecesis Sirmien.

De Kö, S. Stephani Protomartyris, ad Tibiscum fluvium: viguit 1317.

S. Nicolai, extra Muros Albæ Regalis, Vesprimensis Dioecesis.

Orodiensis, *S. Martini*: viguit Anno 1217. *Omnium Sanctorum*, *de Castro Vesprimensi* viguit 1464.

Posoniensis, S. *Salvatoris*, sive *Sancti Martini*, Strigoniensis Diœcesis. *De Posega*, S. *Petri Apostoli*. Diœcesis Zagrabiensis.

Scepusiensis, S. *Martini*. Strigoniensis Diœcesis S. *Sigismundi*, Budæ: fundata a Sigismundo Imperatore et Rege Hungariæ, Vesprimiensis Diœcesis.

Titeliensis, S. *Sapientiae*, ad Tibisci et Danubii confluentiam.

Habent insuper fere singulæ Cathedrales Ecclesiæ, suis Ecclesiis incorporatas aliquas Præposituras: de quibus hic exigua sit mentio.

PRAEPOSITURAE REGULARES.

Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini, qui etiam Superpelliciati dicti sunt.

Num. 4.
Nulli nunc in
Ungaria
Præpositi
Regulares.

Canonicorum Regularium *de Thoub*; et de *Uj-hely B. Mariæ Virginis*, Diœcesis Strigoniens. in Nitriensi Comitatu; supra meminimus, pag. 626.

His addenda Præpositura *de Develich*: quæ viguit anno 1292. et S. *Ladislai* in Simigiensi Comitatu, Diœcesis Vesprimiensis. Nec aliam de ipsis mentionem reperi; licet non dubitem plures hunc Ordinem in Hungaria habuisse Præposituras..

Præpositoræ Præmonstratensium.

Num. 30.

In commentario regulæ S. Augustini, auctore P. Servatio de Layruels, Ord. Præmonstratensium Vicario Generali; et in Optica Præmonstratensium Sandecii in Polonia descripta, hasce Præposituras recenseri video Præmonstratensium.

Nunc nulli
Præmonstra-
tenses in
Ungaria.

In Diœcesi Varadinensi: Præpositura S. *Stephani Protomartyris*, *de Promontorio Varadinensi*. Fuit primum cœnobium huius Ordinis in Hungaria. *Aiska* (sive *Ochka Ruthenis*, (seu *Rucensis*.) S. *Pauli. Abraham. Adon.*

In Diœcesi Strigoniensi: *De Been. Saag, B. Mariæ Virginis. Bozók. S. Regis Stephani*: fundata anno 1139. a Comite Lamberto, et uxore eius Sophia, sorore S. Ladislai Regis. *Türö* (seu *Türne*.) *Grába. Thiürs, seu Thurótz, B. Mariæ Virginis*: fundata anno 1252. a Bela IV. *De Insula Leporum. Chút, S. Eustachii*: fundata a Bela IV. Data est Paulinianis a Pontifice, anno 1475. *Matthia I.*

Rege Hungariæ instantे. *Saga. Steinbach. Schida*, vel *Schajdun. Landek*¹, in Scepusio.

In Diœcesi Iauriensi: *Chorna*, (sive *Schirna*) *S. Michaëlis Archangeli. Iurle* (sive *Türje*) *B. Mariæ Virginis. Rocheniti. Horpász.*

In Diœcesi Vesprimensi: *Chöppé-fő. Rátóld. Rajk. B. Mariæ Virg.* Fundata a Maioribus Dominorum Bansiorum de Also-Lindva, circa annum Domini 1255. in Comitatu Szaladiensi.

In Diœcesi Quinque Ecclesiensi: *Insula Lazari. S. Augustini.*

In Diœcesi Vaciensi: *S. Crucis. Pontis Ioannis. Albei. Dornau. S. Michaëlis. Hatvan. Chuchnis. Graba.*

In Diœcesi Agriensi: *Iászo, S. Ioannis Baptistæ. Ocra. Lelesz, S. Crucis. Cudan. Missle. Schlangen-mund. Topissa. Drozo*, Sororum Præpositura.

In Diœcesi Colocensi: *Gaidel. Zemlin. Magodlin.*

In Diœcesi Zagabiensi: *Ivancia*, Cœnobium Sororum in Sclavonia.

Præter has Præposituras a Servatio notatas reperimus in vetustis Scripturis *Cœnobium S. Lamperti*, Sororum Ordinis Præmonstratensis, in Oppido Vásárhely, Diœcesis Vesprimensis; *Sámbok, Sancti Ioannis Baptistæ*, Vesprimensis Diœcesis; quæ ad Regis Matthiæ petitionem, data est Paulinianis a Sixto IV. Pontifice. An. 1475. *Mayk*, in Strigoniensi Diœcesi: viguit Anno 1252. *Moritz-hida*, in Diœcesi Iaurensi. *Kapus-fő, S. Benedicti*, in Comitatu Bodrogiensi.

Ordo Canonicorum S. Sepulchri Hierosolymitani.

Habuit Ungaria, et Sclavonia Præposituras aliquot Canonorum Regularium Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sive Fratrum *S. Sepulchri Dominici Ierosolymitani* (qui postea, vulgo Cruciferi Canonici *S. Sepulchri* vocabantur), sub Regula *S. Augustini*: et immediate spectabant ad Ecclesiam Hierosolymitanam, ut ex quadam Bulla Urbani IV. liquet. Ex his fuerunt:

Præpositura *Mariæ Virginis de Glogoncza*, Zagabiensis Diœcesis, in Comitatu Crisiensi: fundata ab Andrea II. Anno 1207.

Item: *de Bienko, Zagrab.* Diœcesis. Item: *de Marchia.*

Eorundem Generalis Visitator per Hungariam, et Sclavoniam Anno 1332. fuit Frater Nicolaus Præpositus de Glogontza.

Hic Ordo iisdem Privilegiis gaudebat in Hungaria, quibus Cruciferi Ierosolymitani, et Templarii.

¹ Possidere dicitur familia Palochay.

Num. 3.
Nulli nunc tales in Ungaria.

Fit præterea mentio nonnullarum Præpositurarum in antiquis literis: quas, cum nondum sim certus, num Sæcularium, an Regularium fuerint, hic subiunxi.

Num. 7. Præpositura S. *Benedicti*, in Simigiensi Comitatu. *De Eörs*, S. *Mariæ Magdalenæ*, Vesprimiensis Diœcesis. *De Oront*, in Bachiensi Diœcesi: viguit Anno 1286. *De Pápotz*, S. *Salvatoris*, et B. *Mariæ Virginis*, Iauriensis Diœcesis. *De Thenö*, in Vaciensi Diœcesi. *De Samson*, in Simigiensi Comitatu, Diœcesis Vesprimiensis.

Ordo Carthusianorum.

Num. 4.
Nulli nunc ho-
rum in Ungaria.
Fuere plura et horum Sanctissimorum Patrum Cœnobia: sed in Catalogo Claustrorum ab ipsis edito, et in rerum Hungaricarum monumentis, hæc solum notata reperi.

¹ Possidet
nunc M. D.
Paulus Ra-
kóczy.
Domus *Lapidis Refugii* S. *Ioannis Baptistæ*, in Scepusio. *Vallis Auxilii*, in Tárkány. *Vallis S. Michaëlis*, in Lövöld, a Ludovico I. fundata. *Vallis S. Antonii*, in Lechnitz,¹ in Scepusio.

Ordo Cruciferorum S. Ioannis Ierosolymitani, qui olim Hospitalarii quoque vocabantur.

Equites olim Rhodienses, nunc Melitenses dicti, Prioratus Num. 24. insignes habuere sub Corona Hungariæ: *Priorem per Hungariam*, et *Sclavoniam*, *Comitem Dubicæ*, *Priorem Castri Auranæ in Dalmatia*.

Conventus per multos numerarunt, quos ipsi Præceptoratus nominabant.

Conventus *de Ban-Monostra*, in Sirmiensi. Datus postea Fratribus Minoritis. *De Charazo*, S. *Margaretæ*. *De Chorgo*, in Simigiensi Comitatu: cuius Præceptor habebat titulum Castellani *de Bela Castro*. S. *Crucis*, in Strigonien. Comitatu. S. *Elisabethæ de Kelem-földe*, alias de Kreenfeld. S. *Elisabethæ*, Strigonii. S. *Ioannis Baptistæ de Sopronio*. S. *Ioannis Baptistæ*, in Varadinensi Diœcesi: Viguit Anno 1222. S. *Laurentii de Ükür*: viguit Anno 1190. S. *Martini*, in Sclavonia prope Lüpoglavam. *De Nova Curia*,² alias Uj-Udvar, prope Chák-Tornya Castrum: viguit Anno 1277. S. *Nicolai de Pest*. S. *Regis Stephani de Alba*. S. *Regis Stephani de Strigoni*. *De Serrah*, in Agriensi Diœcesi: viguit Anno 1219. S. *Spiritus*, supra Budam in suburbio. S. *Trinitatis de Superioribus Calidis*

² Possident
Comites Zri-
niani.

Aquis Budensibus. De Tolmách: viguit Anno 1270. *De Varasd,* datus postea Minoritis. *De Zumula, et de Zirak:* viguerunt Anno 1270.

Ex Urbani III. Bulla, confirmante Anno 1187: Immunitates Ecclesiæ, et Domus Cruciferorum S. Stephani Regis de Strigonio constat:

Num. 16.

Domum Hospitalarium *Fratrum Hungarorum* fuisse *in Accone Civitate*, sita in littore Maris Mediterranei, in Palæstina.

Item, Geysam II. Regem Hungariæ extruxisse *Ierosolymis* pro hoc Ordine Cruciferorum *Ecclesiam B. Mariæ Virginis. Sanctique Regis Stephani*, ac Domum Hospitalis pro Peregrinis.

Eundem Geysam II. fundasse supradictam Ecclesiam S. *Regis Stephani de Strigonio*: una cum Domo Hospitali eorundem *de Obom*.

Ibidem enumerantur Ecclesiæ eorundem Hospitaliorum, ad quas se extenderunt Immunitates prædictæ, videlicet: Ecclesia S. Stephani Protomartyris prope Strigonium. Ecclesia S. Trinitatis de Calidis Aquis. Ecclesia S. Margarethæ de Taat. S. Thomæ de Sidód. S. Stephani Regis de Pulchro Prædio. S. Nicolai de Weitech. S. Mariæ de Thout. S. Mariæ de Szokol.. S. Mariæ de Characha. S. Andreæ de Torsol. S. Crucis de Keureu. S. Ioannis Baptistæ de Chura-Szombat.

Cruciferos quoque B. Mariæ Virginis, quos Teutonicos vocant; uti et *Fratres Beatæ Mariæ Virginis, Ordinis Carmelitani*, in Hungaria olim habitasse, apparet ex Bulla quadam Papali, Anno 1434. scripta, et in Strigoniensi Capitulo asservata.

Ordo Guilelmistarum.

In literis antiquis mentio est claustrum Fratrum Guilelmistarum SS. Cosmæ et Damiani, in Villa Komár, in Comitatu Szaladiensi tempore Belæ IV. extucti pro Guilemitis: uti et alterius eorumdem claustrum de Kürmend; in literis Dionysii de Oklich Palatini Ungariæ, tempore eiusdem Belæ IV.

Num. 2.

Conventus Dominicanorum.

Dominicani, sub annum 1230. venere in Ungariam. Quorum Conventus, ordine recenset Ioannes Michaël Pius Bononiensis, libro Nulli nunc Do-
miniçani in de viris Illustribus Ordinis Prædicatorum, edito Romæ, anno 1607. Ungaria.

Num. 38.

Ipsò igitur auctore, Monasteriorum huius Ordinis catalogus subsequens texitur. Licet nos, ex certa rerum Hungaricarum notitia, paucula ab ipso prætermissa Monasteria, adiunxerimus.

Sub corona Ungariæ, fuere duæ Provinciæ, una, Dalmatiæ, cuius cœnobia hic referre non attinet; altera, Ungariæ, in qua fuere cœnobia:

In Alba Regali. In Pest, ad S. Antonium. Budæ, ad S. Nicolaum. Strigonii ad S. Martinum. Zagrabioæ, ad S. Nicolaum, Iaurini. Quinque Ecclesiis. Vesprimii, ad S. Catharinam. In S. Martino. In Castro Ferreo, S. Crucis. In Bihach, sive Bich, in Croatia. Tyrnavioæ ad S. Ioannem Baptistam. Cassoviæ. Budorach. Agricæ, prope Ecclesiam S. Michaëlis. Albæ Iuliæ, B. Mariæ Virginis. Cibinii. Bistricii. Szegedini. In Temesvár. Claudiopoli, in Veteri civitate. Verövicioæ. Szechénii. Bereg-Szászii. In Insula Leporum, ad B. Virginem. In Czobor-Szent-Mihály. Assersiculis, hoc est, Székely-Vásárhely.

Recenset idem auctor, Monialium S. Dominici claustra; *Albæ Regalis. Quinque Ecclesiis. In Bereg-Szász. In Németi. Vesprimii ad S. Catharinam, ubi B. Helena floruit. In Insula Leporum, ad B. Virginem, ubi B. Margareta filia Belæ Quarti, vixit, anno 1260. S. Margaretæ Virginis et Martyris de Habold, in Peleske; fundavit Comes Arnoldus, ex familia Banfiorum de Also-Lindva, anno Christi 1234. Item, B. Mariæ de Angelis, in Lábatlan: viguit anno 1492.*

Monasteria Ordinis S. Francisci.

Innumera propemodum fuere huius Ordinis domicilia in Ungaria, ut partim ex Bartholomæi Pisani conformitatum libro, edito anno 1383. partim ex Francisci Gonzagæ Episcopi Mantuani opere quadripartito, de origine Ordinis S. Francisci, edito Venetiis, anno 1603. Partim ex signatura R. P. F. Ioannis Váradi, pridem Provincialis Ministri in provincia S. Salvatoris; et ex aliis fide dignis scripturis liquet.

Nam, ut Gonzaga memorat, sub corona Hungariæ habuit hic Ordo provincias quatuor: *Dalmaticam*, quæ Conventus 22. *Bosnicam*, quæ 41. *Ragusinam*, quæ 9. et *Hungaricam*, quæ 70: hoc est, in universum 142 Monasteria numerabat. De tribus aliis provinciis nihil dicam.

In Ungaria duas hic Ordo provincias habuit: *S. Mariæ* et *S. Salvatoris*: quarum prior, octo custodias numerabat; posterior vero decem. Et singulæ custodiæ, sua habebant certo numero Monasteria.

Nos utriusque provinciæ Monasteria, pro maiori legentium commoditate, in ordinem Alphabeticum digessimus, nulla custodiarum habita ratione.

Monasterium *Agriense*: fundatur per Clerum, Episcopum Agriensem, circa tempora S. Francisci. *Albæ Regalis*: fundatum a Ladislao III. anno 1280. *De Atya*, *S. Spiritus*, Quinque Ecclesiensis Diœcesis. *De Alsan. de Athyna*, *B. Mariæ Virginis*, in Sclavonia: fundatum a relicta Comitis Ivani de Corbavia, et a relicta Iobi de Gara, sororibus. *Albæ Ecclesiæ, alias Fejér-Egy-ház*,¹ in Transsylvania. *Aracha*: olim fuit Abbatia. Datur Minoritis, ab Elisabetha Regina Ungariæ, anno circiter 1370.

Bachiense. Banense, alias Bán-Monostra, in Sirmio. Olim Crucigerorum. *Bereg-szász*: extructum ab Elisabetha Regina, anno 1370. De *Báthor*: fundavit familia Báthori. *Brasso, seu Coronense*, in Transsylvania. *Báko*, in Moldavia: fundatum ab uxore Vajvodæ Moldavi, filia Vajvodæ Transylvani. *Berény*, Agriensis Diœcesis, in Comitatu Heves. *Biztricia*, in Transsylvania: datum ab Episcopo Transylvaniæ pro Minoritis, anno 1336. *De Buda, ubi quatuor loca* habuit hic Ordo: unum *S. Ioannis Evangelistæ*, a Bela IV. extructum anno 1267. in Inferiori Civitate. Alterum, fuit *ipso castro Budensi*, etc. in Diœcesi Vesprimensi.

Cassoviense: fundatum a familia Prínyi. *Castri Ferrei*: olim alterius Ordinis: restauratur pro Minoritis a familia de Kanisa. *Claudiopolitanum*, in Transsylvania: a Mathia I. Rege fundatum. *S. Catharinæ in Eremo. Chabol, alias Kobol*, Diœcesis Bachiensis. *Chanadiense*: olim fuit Abbatia S. Benedicti, sub nomine S. Georgii. *Chákár. Cheke. Cheriense. Cibiniense*, in Transsylvania. *Clicum-fori*, in Metis Tartariæ. *Chrisii, S. Marice Virginis* in Sclavonia.

Debreccinense: extructum sub Carolo I. Rege Hungariæ. *S. Demetrii*, olim Abbatia Benedictinorum fuit. *Diacoïense*.

Eger-váriense: fundatum anno 1511. *De Ersek-Uj-vár, alias de Nova Arce*, *S. Francisci*: fundatum anno 1626. *De Eude*.

De Franca Villa. Falkós. Fori Siculorum, alias Székely-Vásárhely: datum observantibus, anno 1446. Olim Conventualium fuit. *Filekiense. Fel-falu*, in Transsylvania, in Bonis Dominorum Kendi. *Futak*, ad Danubium fl.

Num. 142.
Quindecim
Monasteria
habent hodie
Franciscani de
Observantia,
sub Corona
Ungariæ;
Conventuales
nullum.

In bonis Do-
minorum
Haller.

De Galgócz, Omnium Sanctorum; quod Dominus Ugnót, nocte fratribus intus quiescentibus, igne apposito exuri mandavit. Et quamvis iterum restauraverint Fratres: tamen ob nimiam hæreticorum insolentiam eos divexantium, ibidem permanere nequiverunt. *De Gergi. Gerla*: fundavit anno 1533. familia Abrámfí: *Gorbonak*: fundatum anno 1294. per Belam de genere Keren. *Gyöngyös*, *B. Mariæ Virg. Visitatae*, Agriensis Diœcesis, in Comitatu Hevesiensi: fundatur a Familia Bathori. *Gyulense*.

Haroniense. Hederhely. Homonense. Hunyadiense, alias de Vajdà-Hunyad, *B. Mariæ Virginis*: quod Ioannes de Hunyad pro Eremitis S. Augustini inchoaverat; sed Matthias Rex absolvit, et a Paulo II. obtentum, dedit observantibus.

Iauriense. De Ivancz, in Sclavonia. *De S. Irenæo. De Jenő. De Insula Leporum*: extractum a Bela IV. et Stephano V. Regibus, Anno circiter 1272.

De Kanisa: Fundatur a Reverend. Archi-Episcopo Strigoniensi Ioanne Kanisai, Anno 1418. *Kaproncza*: Ab Henrico Bano Sclavoniæ fundatum: Anno 1292. Restauratur ab Elisabeth Regina, circa Annum 1372. *Kárán-sebes. Kerek-hegy. Kesztel*: extractum a Stephano Vajvoda Transsylvaniae. *Kövi. Kövesd. Kostanitza. Kölüd. Kusal*, in Szilagiensi tractu, Diœcesi Varadinensi.

S. Ladislai. Leutschoviense. De Lipcha, seu Liptoviense, S. Nicolai: fundatum a Comite Danch, tempore Caroli I. Regis Hungariæ. *Lippa, S. Ludovici Episcopi*: fundatum Anno 1327. a Ludovicō I. Rege Hungariæ, Sancti prædicti consanguineo. *Ludbreg*: extractum a quodam devoto Ioanne Güz, Anno 1373.

Meggyesiense: de Megyes-allya. De Monostor.

De Nekcze, alias Nesicze: fundatum Anno 1373. *Nitriense*, viguit Anno 1248.

De Osora: Fundavit D. Pipo de Osora, Comes Temesiensis sub Martino V. *De Ormosd, alias Fridav, S. Mariæ de Conceptione*: fundavit D. Iacobus Székely. *Orsuense*, ad Portam Ferream.

Patakiense, B. Mariæ Virginis, alias de Sáros-patak: olim Conventualium: datum observantibus, sub Nicolao V. Papa, Anno 1447. *Papense. De Palota. Pakos. Pereczk*, fundavit Philippus Korongi, sub Ioanne XXIII. *Petroz. Pestiene, B. Petri*, in Vaciensi Diœcesi: olim Conventualium: datum Frr. Observantibus, Anno 1448. *Polyancz. Posega. Posoniense B. Mariæ V.* fundavit Ladislaus III. Rex Ungariæ, post victoriam ab Ottocaro obtentam.

Póka-falva, olim Eremitarum Paulinorum: datum observantibus, Anno 1497.

Quinque-Ecclesiense: Anno 1301. fundatum a familia Kóródiorum.

De Ratischa, in Moraviæ finibus. *Remetincz*, in Sclavonia: fundavit Joannes Corvinus iunior. *De Rivulis Dominarum, alias Bánya, sive Nagy-Bánya*.

Sabariense: olim fuit hospitale infirmorum. Colomannus Episcopus Iauriensis fecit ex eo Conventum pro Minoritis, anno circiter 1360. *Szakmár*: fundavit Elisabeth Regina, anno 1370. *Szász-város*, in Transsylvania: fundatur ab Elisabetha Regina, anno 1370. circiter. *Szakolczense de Compassione B. Mariæ Virginis*: fundatum a vicinis Dominis, anno 1464. *Szalárd. Szánto. Sancti Spiritus*, in Szaladiensi Comitatu. *Severinense*, infra Belgradum. *Selliense. Szent-Grod. Szegedinense, S. Mariæ ad Nives*, in Chaniadiensi Diœcesi: anno 1301. fundatum. Quod cum a Turcis, anno 1525. esset exustum; restauratum est ab iisdem Turcis ad instantiam Civium Szegediniensium, pro sex Fratribus. *Scepus superius. Scepus inferius. Segesd*, in Simigiensi Comitatu: anno 1295. extructum ab Andrea III. Rege. *Szemenye, B. Mariæ Virginis*, in Szaladiensi Comitatu: fundavit Comes Michaël, ex familia Banflorum de Also-Lindva, pro Conventualibus, anno 1248. *Széchényiense*: fundavit olim Comes Frank de Széchény, pro Conventualibus: datum observantibus anno 1466. *Szeg-lak, alias Szudlak*: extructum, anno 1494. *Szölös, alias Nagy-Szölös, Kanko* vocatum: fundavit familia Priniorum. *Szintha*: ex eleemosynis oppidi illius extructum, anno 1494. *De Sezna. Sirmiense, sive de Szerem-Ujlak*, seu Uj-lak, *B. Mariæ Virginis*: fundatum olim a Duce Ugrino: datum observantibus anno 1451. In hoc fuit sepultus B. Ioanes Capristanus. *Strigoniense, B. Mariæ Virginis*: Bela IV. fundavit pro Conventualibus. Ibidemque iacet sepultus una cum uxore. Datum observantibus, anno 1448. *De Sziget. Soproniense*: fundavit Ladislaus III. Rex Hungariæ, anno 1280. *De Somlyo, B. Mariæ Virginis Visitatæ*, in Chikiensi Sede Siculorum, in Transsylvania. *Só-vár*.

De Tadva. Tatense. Talad. Tárnok. Trenchiniense, sub Castro: datum Minoritis, anno 1301. *Temti*, in Transylvania. *Tergovischa*, in Transalpina, Diœcesi Agriensi. *Telegdiense*: olim Templariorum: restauravit, et dedit Franciscanis, anno 1335. Chanadinus Archi-Episcopus Strigoniensis. *Tövis*, in Transsylvania: extruxit Joannes

de Hunyad, ob victoriam de Turcis obtentam ad S. Emericum, prope Albam Iuliam. *Tyrnaviense*: olim fuit Ordinis alterius. Datum Minoritis a Ludovico I. Rege.

Varasdinense, olim fuit Cruciferorum. *De Varano*, in Diœcesi Agriensi: tempore Matthiae I. Regis, a quodam Dn. Rivolt fundatum. *Vamosiense*. *Varalliene*. *Varadinense*, S. *Spiritus*, in Comitatu Bihariensi: fundatum anno 1301. *De Veröcze*, S. *Mariæ Virg.* in Sclavonia: datum Minoritis ab Elisabetha Regina Ungariæ, anno circiter 1370. *De Udvar-hely*, in Transsylvania. *De Veteri Buda*, sive *Sicambriense*, B. *Mariæ Virginis*, anno 1301. extrectum. *De Vissegrad*, in Vaciensi Diœcesi: fundavit Sigismundus Rex Ungariæ, ex Regia capella S. Georgii. *De Vorasino*.

Zagrabiense, Sancti *Francisci*. *Zemliniense*.

Hodie, distinctæ quidem sunt duæ, illæ provinciæ: sed, quod sciam, provincia S. Salvatoris in Hungaria Conventus plures non habet, quam in *Gyöngyös*, *Szeged*, *Szécheny*, *Filek*, *Szakólcza*, *Somlyó* in *Chik Sede*, in Transsylvania: licet in Moravia aliquid adnexum habeat. Provincia vero S. Mariæ, Monasteria habet: *Posonii*, *Sopronii*, *Varasdini*, *Zagrabiæ*, *Ormosdi*, *Tyrnaviæ*, *Iaurini*, in *Nova Arce Archi-Episcopali*. In *Eremo* S. *Catharinæ*. *Crisii* B. *Mariæ Virg.* *Assumptæ*, in Sclavonia: quod prius fuit Eremitarum S. Augustini: datum observantibus, anno 1628.

Ordo Eremitarum S. Pauli Primi Eremitæ.

Num. 68. Habuit hæc Religio Vicarias 21. Prioratus 43. et amplius, in Ungaria. Quorum Catalogus ex veteri manuscripto, in Thál asservato, sic habet:

Nunc vix decem domicilia habent sub Corona Ungarie.
I. Vicarius, de S. *Laurentio supra Budam*: fundatur anno 1310. Habuit Piores: *de S. Cruce in Pilissio*, prope Szánto. Hoc claustrum a B. Eusebio extrui cœptum, anno 1251. Fundatum anno 1263. *De S. Spiritu, in Pilissio*, prope Strigonium: fundatur anno 1265. S. *Ladislai de Kékes*, in Baronensi Comitatu. Extruxit Magister Conradus de O-vár, anno 1205. *De Veres-mart*, S. *Ioannis Baptistæ*, et S. *Sixti*: fundatur per Dominum Chobankæ de genere Aba, anno 1302.

II. Vicarius, B. *Mariæ Virginis de Nösztre*: fundatur a Ludovico I. anno 1352. Habuit Piores: *de Rena*, *de Posonio, in Thal*, B. *Mariæ Virginis*. *De Tornallya, de Elefant*, S. *Ioannis Baptistæ*.

III. Vicarius, *de Diós-Győr*, S. *Spiritus*, Agriensis Diœcesis, in Comitatu Borsodiensi: fundatur anno 1312. Sub quo, Prior de *Dedes*, S. *Spiritus*, et *de Agria*, S. *Mariæ Magdalenæ*: fundavit anno 1347. Nicolaus Episcopus Agriensis.

IV. Vicarius, *de Gomba-Szeg*, B. *Mariæ Virginis*, prope Saio fluvium, in Comitatu Gömöriensi: fundatur anno 1371. a Dominis Georgio et Ladislao Bebék de Pölsütz. Sub quo: Prior *de Nyárad*: *de Három-hegy*, prope Szendrő.

V. Vicarius, *de Laád*, penes Onod Castrum: fundatur anno 1387. a Dominis Petro, et Gregorio Czudar. Sub quo: Prior *de S. Anna*, et *de Tokay*: fundatur anno 1469. a Domino Emerico de Zapolya.

VI. Vicarius, *de Uj-hely*, S. *Aegidii*: fundatur anno 1355. Sub quo: Prior *de S. Catharina*, *de Göncz*: *de SS. Philippo, et Iacobo*, supra Horváti: fundatur anno 1319.

VII. Vicarius, *de Ung-vár*, *Corporis Christi*: fundat familia Drueth, anno 1384. Sub quo Prior *de Eszen*, ad Tibiscum fluv. in Agriensi Diœcesi, Comitatu Szabolch.

VIII. Vicarius, *de Beregh*, prope Munkách Castrum, Diœcesis Agriensis. Sub quo Prior *de Maromaros*.

IX. Vicarius, *de Kápolna*, prope Varadinum: restauratur a Luca Episcopo Varadinensi, anno 1398. Sub quo: Prior *de Szilág*, prope Nagy-falu. *De S. Hieronymo*, *prope Varadinum*: fundatur per Nobiles de Fügi anno 1335. *De Kalodva*, B. *Mariæ Virginis*, in Orodiensi Comitatu.

X. Vicarius, *de Erdély*. Sub quo: Prior *de Székely-háza*, B. *Mariæ Virg.* in Transsylvania: Fundatur Anno 1370. *De Póka-falva*, in Transsylvania: fundat anno 1416. Ladislaus Præpositus Cibiniensis. Hoc claustrum postea datum Fratribus de Observantia. *De Tót-falud* (*alias de Sz. Mihály-Köve*) prope Albam Iuliam: fundatur per Goblinum Episcopum Transsylvaniae, anno 1384. augeturque per Emericum Episcopum eius Successorem.

XI. Vicarius *de Baranya*. Sub quo: Prior *de S. Salvatore*, *ad portum Dravæ* in Comitatu Baroniensi: fundatur Anno 1360. *De Bajch, Omnium Sanctorum*: Fundatur Anno 1280. *de Patach*, S. *Iacobi*, in Quinque-Ecclesiensi Diœcesi. Fuitque primum huius Ordinis Monasterium in Hungaria, a Bartholomæo Episcopo Quinque-Ecclesiensi, pro Eremitis exstructum, Anno 1225.

XII. Vicarius, *de Told* in Simigiensi Comitatu: cuius fundationem auxit Relicta Domini Nicolai Zambo, Anno 1395. Sub quo:

Prior *de Szerdahely*, *S. Ladislai*, in Simigiensi Comitatu: fundavit Magister Nicolaus, filius Ders Comitis, Anno 1335. *de S. Paulo*, *in Tolna*. *de Vethida*, *de Mind-szent*.

XIII. Vicarius, *de S. Petro*, *in Simigio*: auxit eius fundationem familia Dominorum de Kanisa. Sub quo: Prior *de S. Dominico*, in Szakáchi: fundatur Anno 1270.

XIV. Vicarius, *de Garigy*, sub quo: Prior *de S. Benedicto*, in Sclavonia: furidatur Anno 1300. a Comite Salomone; restauratur per familiam Banfforum de Also-Lindva. *De Dobra-kuttya*, *S. Annæ*, in Comitatu Crisien. Fundatur a Magistro Benedicto, Anno 1411.

XV. Vicarius, *de Zagrabia*, *Beatæ Mariæ Virginis*: fundarunt Capitulares Zagrabiensis Ecclesiæ. Sub quo: Prior *de Strecza*, in Sclavonia: fundatur per Magistrum Joannem Besenyei, Castellanum de Feir-kö, Anno 1374. *De Kamoncza*.

XVI. Vicarius, *de Chák-tornya*, *ad S. Helenam*: fundavit Stephanus Vajvoda Transsylvaniae, et Stephanus Magister Agazonum, cum Dionysio fratre suo, Anno 1376. Sub quo: Prior *de Lüpo-glava*: restauravit a Turcis exustum hoc Claustrum, Ioannes Corvinus Iunior, Anno 1481. ubi et sepultus est.

XVII. Vicarius, *de Gyüzd*: restauravit, Anno 1475. Frater Stanislaus ex Polonia.

XVIII. Vicarius, *de Eörményes*, *S. Mariæ Magdalenæ*: fundatur An. 1266. in Vesprimensi Diœcesi, iuxta Insulam Elek. Sub quo: Prior *de Enyere*, *B. Mariæ Virginis*, in Szaladiensi: fundatur An. 1339. a Nobilibus de Enyere.

XIX. Vicarius, *de Ienő*, (*alias S. Mariæ Magdalenæ de Torna*) fundatur a Nicolao Episcopo Iaurinensi. Anno 1321. sub quo: Prior *S. Iacobi de Szala*, in Comitatu Szaladiensi.

XX. Vicarius *de Chatka*, in Vesprimensi Diœcesi: fundatur per Nicolaum Kont Palatinum, anno 1361., sub quo: Prior *de Porva*.

XXI. Vicarius, *de Eüvesd*, sub quo: Prior *de Istria*, ad Lacum: extrui fecit Frater Conradus, anno 1287. *De S. Salvatore*, in litore maris, in Dalmatia. Ereverunt Cives Segnienses, anno 1411. vulgo vocatur Sz. Zpaas. *De S. Helena*, fundatur anno 1265. in insula Pilup. *De Czirquinicza*. *De S. Ioanne*. *De Lyka*.

Huic veteri catalogo, visum est adiicere alia quædam huius Ordinis claustra, collecta ex libello F. Gregorii Gyöngyösi, quem de vitis Fratrum S. Pauli I. Eremitæ, ante annos centum conscripsit; quorum in præmisso catalogo nulla facta est mentio.

De Alba Ecclesia, B. Mariæ Virginis; fundatur a Matthia I. Rege Hungariæ prope Budam, anno 1484. Quam Ecclesiam omnium primam Carolus Magnus in Ungaria, pro Catholicis Ungaris, tunc ex Gentilismo conversis, extruxerat. *S. Andreæ, de Vissegrad:* olim fuit cœnobium Ordinis S. Benedicti. Datum Eremitis Paulinianis, a Thoma, Cardinali Strigoniensi, anno 1494. *Annunciationis B. Mariæ Virginis* penes castrum Bolondocz: fundatur a Stiborio de Stiborith, anno circiter 1430.

De Bóldog-kő, ultra Temes fluv. *De Busan* in Dalm. Fundatur anno 1453. per Nobiles eiusdem provinciæ. *De Báránd.*

S. Crucis, de Bodrog-Szigete, prope Dravum fl. Fundatur anno 1287. *De Chalád, B. Mariæ Virginis,* in Barsiensi Comitatu. *De Chút, S. Eustachii:* olim fuit Præmonstratensium: datur Paulinianis a Matthia I. Rege, anno 1463.

De Dubicza, in Dalmatia prope patriam S. Hiernoymi: anno 1270. Extruxit Frater Isquirinus. Vastatur a Turcis, anno 1394.

S. Elisabethæ, in Idegfijt: fundatur anno 1265. *S. Emerici,* in Latere Montis Bodochun: fundatur anno 1268. *De Eczék:* est fundatio Nicolai Kont Palatini Ungariæ.

De Gathal, ultra fluvium Temes: vastatur a Turcis, anno 1394. *Szent-Gyógy:* olim fuit Abbatia. Datur Eremitis Paulinianis, anno 1483. a Sixto IV. Papa.

S. Helenæ, in littore maris Adriatici in Dalmatia: fundatur anno 1411. a Civibus Segniensibus.

In insula Pilis: ubi Bela IV. Paulinianis dedit palatum: ex quo Ladislaus III. pro iisdem extruxit claustrum.

In insula Hernadi, in Aba-Ujvár Comitatu, circa vallem Közép-Németi: extruxit Frater Ægidius, annó 1319. *In Jenő Maiori:* fundavit Fr. Georgius, anno 1452.

De Kökút, S. Mariæ Magdalencæ, in Szaladien, in finibus Sclavoniæ: fundatur anno 1266.

SS. Ladislai et Sigismundi Regum, in Kis-Bathe, alias Gereben: auxit claustrum hoc proventibus, M. D. Nicolaus Zámbo, anno 1398.

S. Michaëlis de Torczi, in Baroniensi Comitatu.

S. Nicolai, de Sub-Buzgó, in Diœcesi Varadinensi, prope Sólyom-kő castrum. *S. Nicolai, de Simigio.* *De Sub-Novi,* in Dalmatia: fundatur a Martino Comite de Frangepanibus anno 1453.

De Paumgart, non procul a Landsee castro. *De Pathalan,* seu *Pathlan* in Trānssylvaniæ partibus: fundatum anno 1382. a

Dn. Chibak de Mindszent. *S. Petri, iuxta Szalonkemen;* vastatur a Turcis, anno 1394. *S. Petri de Szlatkagora:* fundavit Fr. Gerdas, circa annum 1300. Vastatur a Turcis, anno 1394.

S. Spiritus, de Monte Usa, ad fluvium Egreg, in Szaladiensi Comitatu. *Slajnik, alias Szalonok,* in terminis Ungariæ, versus Styriam: fundatur, anno 1475. a Dn. Andrea Paumkircher. *De Sambok, S. Ioannis Baptista:* antea fuit Præpositura Præmonstratensium. Data est Paulinianis Eremitis a Matthia Rege anno 1475. His addi potest Ecclesia *S. Stephani Rotundi, Romæ;* quæ olim a S. Stephano Rege, pro Collegio duodecim Canonicorum Ungaricæ nationis fundata fuerat. Sed iis deficientibus, data est a Nicolao V. Papa Eremitis Paulinianis, Anno 1448.

De Thalád, in Szaladiensi Comitatu. *De Torpa,* in Agriensi Diœcesi. *De Terebes* in Agriensi Diœcesi: fundavit Emericus Prinyi Palatinus Hungariæ; ibidemque est sepultus, Anno 1519.

De Villye, in Agriensi Diœcesi, Comitatu Ung-variensi. *De Váson:* fundatum a Paulo Kinisi, in Vesprimensi Diœcesi, Anno 1483.

De Ürög, B. Mariæ Virginis Assumptæ prope Q. Qeccl.

Non desunt, qui affirment, multo plura fuisse huius Candidæ Religionis Domicilia: quorum ego tamen notitiam non habeo.

Ordo Eremitarum S. Augustini.

Num. 15. Nulli
nunc in
Ungaria. Fuisse et hos in Ungaria, compertum habeo, partim ex libro Constitutionum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, edito per R. P. F. Nicolaum Cusenium, eiusdem Ordinis Bavariæ Provinciae Visitatorem, et Commissarium Generale; partim ex Privilegiis antiquis.

Is inter Ordinis prædicti Provincias habet etiam Ungariæ Provinciam, in qua collocat hos novem Prioratus:

Agariensem. Deescoarensem. Haropkoviensem. Carenssem. Saramnum. Marechensem. Pápocziensem. Strigonensem. (S. Annæ Matris Mariæ.) *et Albæ Regalis.*

His addendi sequentes Prioratus: *de Borob, B. Mariæ Virg.* in Comitatu Walko. *Crisii, B. Mariæ Virg.* Zagrab. Diœcesis, in Sclav. datus postea Observantibus, Anno 1628. *S. Elisabethæ Viduæ,* sub Arce Scepus. *S. Elisabethæ in Komár,* in Simigiensi. Fundatur a Bela IV. pertinetque ad Capitulum Veteris Budæ. *S.*

*Nicolai Conf. de Erchi:*¹ fundatus a Thoma Palatino Ungariæ tempore Belæ IV. in Vespr. Diœcesi. *De Veröcze* in Sclavonia: viguit Anno 1521.

Sunt insuper notata aliquot* Monasteriorum, sub Corona Regni Ungariæ olim existentium nomina: quæ, cum nondum constet cuiusnam Ordinis fuerint, in calcem huius Appendix reiecimus.

Clastrum S. Annæ, Monialium Varadini 1419. *Bartfense*, in Saáros Comitatu. *Colociae*, anno 1327. *Cassoviæ* Monialium in Suburbio. *Claudiopoli*, Monialium. *Debrö*, viguit anno 1217. *Drávætz*,² prope Leutschoviam, in Scepusio. *Eperjesini*, in Saarosien. Comitatu. *Gagy*,³ in Comitatu Aba-újvár Agriensis Diœcessis. *Gilnicza*, in Scepusio, versus Gömöriensem Comitatum. *Geeth* in Baronensi: pertinuit ad castrum Zár-Somlyo; viguitque anno 1288. *Harabko*,⁴ in Saarosiensi Comitatu, versus Scepusium. *Hunsdorff*,⁵ in Scepusio: dicitur fuisse Crucigerorum. *S. Ioannis Baptistæ*, Monialium, supra Varadinum. *Kúrúd*: viguit anno 1222. *Komárom*, SS. *Philippi et Iacobi*. *Kereszt-ür*, sive *S. Crucis*, in Q. Qeccl. Diœcesi: anno 1190. viguit. *Késmarcense*: Monialium. *De Peel*, S. *Michaëlis*, in Baronensi Comitatu. Viguit anno 1289. *S. Panthaleonis*, in *insula Danubii*: ius Patronatus illius habet Archi-Episcope Strigonien. Viguit 1261. *Rikno*, prope Krompak, in Scepusio: applicatum ad arcem Scepusien. *Stráska* (sive *Strásá*) alias *Neerer*, in Scepusio: ex quo olim literæ etiam emanabant, more Capitulo- rum, et Conventuum quorumdam. Dicitur fuisse Cruciferorum. *De Saaros*,⁷ Agrien. Diœc. iuxta Eperjes Civitatem. *S. Spiritus*, Q. Qsiis, Monialium. *S. Stephani Regis*, prope Lossontz. 1479. *S. Stephani Protomart.* in Suburbio Buden. *Stola*, *S. Ioannis Bapt.* alias *Batiz-falva*, in Scepusio, versus Comit. Liptovien. *Szeremcz*, in Vesprim. Diœc. *Tapalócz*, Monialium, prope Crisium in Sclav. anno 1521. viguit. *Turda*: viguit anno 1222. *Tornova*, Monialium, in Barsien. Viguit An. 1095. *Veröcze*, Monialium: Viguit anno 1521. *De Ugra*: viguit anno 1217. *Vigles*,⁹ in Strigoniensi Diœcesi. Dicitur fuisse Cruciferorum.

*

Hoc est, amice Lector, fragmentum Religiosorum Domiciliorum, quod eruere potui ex hac sylvescentis ruinæ materia.¹⁰ Me quidem certe sola recordatio pulcherimi status Patriæ dulcissimæ reficit. Quid enim, vel ad aspectum iucundius, vel ad securitatem tutius esse potuit, quam videre tot castrorum acies ordinatas, pro salute

¹ Hoc Claustrum est in Cisterciensium Catalogo: sed

Eremitas S. Augustini illud possedisse

anno 1499. ex Privilegio authentico constat.

* Num. 34.

² Possident Nobiles Tlukenses alias Dravetzki dieti.

³ Possidet Nobilis Nicolaus Fulo.

⁴ Possident nunc Nobiles Hedri et Beroldi.

⁵ Possidet Baltasar Horvath, alter Stansith

⁶ Idem Baltasar Stansith nunc possidet.

⁷ Possidet nunc M. D. Rakóczit.

⁸ Possident Nobiles Maríási.

⁹ Possidet familia Pogrányi.

¹⁰ Prætersupradictos Religiosorum Ordines, fuisse in Ungaria, etiam Cluniacen.

Grandimontens. Vallis Umbrosæ. Camaldulens. Item: Calatraven. ac Humiliatorum:

ex Literis Charnadini Archi- Episcopi Strig. constat Anno 1331.

¹ Non legibus Ungariæ excubantes, quot fuere Religiosorum cœnobia? Hi nimirum exclusi, sed oratione, lachrymis, ieuniis, et omnibus vitæ Religiosæ exerci-
metu irruentis Turcæ, a tre-
pidis fugienti-
bus vacua re-
licta Monaste-
ria. Et inter Regum pro Co-
rona pugnas, virorum examinibus, destructis Monasteriis, migravit una Dei
a Viris sæcu-
laribus occu-
pata ægre
nonnulla per Rogemus omnes, quæ ad pacem sunt patriæ, ac ut iuxta dies
Clerum recu-
peata. pristinos fiat nobis, Dei præpotentis clementiam exoremus.

APPENDIX TERTIA.

DE NONNULLIS PRIVILEGIIS ARCHI-EPISCOPI STRIGONIENSIS METROPOLITANI, PRIMATIS, LEGATI NATI.

Quæ Scripturis authenticis signata invenimus, de usu ac praxi
iurisdictionis Archi-Episcopi Strigoniensis, antea recensuimus; stu-
diose huc reservando Summorum Pontificum Diplomata, in Archivo
Archi-Episcopali asservata, robur ac lumen scripturis antea memo-
ratis afferentia.

Vide supra
pag. 622.

Et quoniam magnæ molis esset, in unum fascem colligere
Archi-Episcopi Strigoniensis Privilegia: Pauca e multis consignabo.

Nº I. Privilegia Iure communi Ecclesiastico attributa.

Et numero plurima, et amplitudine maxima sunt immunitatum,
ac prærogativarum examina, quibus a Iure Canonico, et generatim
Status Ecclesiasticus, et specialiter Episcopalis; ac Archi-Episcopalis
dignitas, exornantur. Quæ tamen universa missa faciens, notabo
duumptaxat nonnullas Metropolitani, Primatis, ac Legati functiones.
Nam de Archi-Episcopo quidem constat, ipsius esse, Suffraganeos
ad Synodum cogere; causas Suffraganeorum cognoscere; si vel
ob infantilem senectam, vel ob amissum totaliter rationis usum,
aut captivitatem, etc. quispiam Suffraganeorum omnino inhabilis
redderetur ad Ecclesiasticum regimen, cum consensu Metropolitani,
providere de Vicario, et Oecono, ne vel Ecclesia detrimentum
patiatur, vel Episcopus rebus necessariis destituatur.

METROPOLITANI prærogativa est, quod cogere possit omnes Eccle-
siarum totius Provinciæ Rectores, eundem in Psallendo tenere
Verba Iuris
sunt.

modum, quem in Metropolitana sede cognoverint institutum; nec aliqua diversitate cuiusvis ordinis, vel officii, a Metropolitana sede discrepare: contra facientes pænitentiæ censura corrigere: *Dist. 12. c. 13. de iis.* Præterea Episcopi ceteri nihil eorum, quæ ad statum communem pertinent, agere possunt sine præscitu Metropolitani: *Causa 9. quest. 3. can. 1. 2.* Ad hæc: Metropolitano non .conscio, Ordinatio Episcopi fieri non potest: *Dist. 64. can. 1. 5. 6.* Et si quis præter sententiam Metropolitani fiat Episcopus, non habetur Episcopus: *Ibid. can. 8.* Deinde: Metropolitanus est Iudex ordinarius omnium Episcoporum Provinciæ: *Glossa Dist. 99. can. 1.* Itaque: querelæ contra Episcopos ad Metropolitanum deferendæ, et Metropolitanus tenet eos coërcere: *Causa 10. qu. 3. cap. 6. Quia.*

Sunt verba
Iuris.

PRIMAS, ET PATRIARCHA, unam formam tenent, licet diversa sint nomina: ad Primatem appellant Episcopi: Metropolitani et Archi-Episcopi obedire debent Primi: *Dist. 99. can. 1.* Ubi Glossa hæc addit: *Metropolitanus est Iudex Ordinarius omnium Episcoporum provinciæ; Primas tantum Archi-Episcopi: unde secundum hoc maior est Patriarchis.* Absque Primatis consensu, Metropolitanus non potest ordinare Episcopum: *Dist. 65. can. 4. 5.* Causas etiam Episcoporum, quas Metropolitanus finire non potest, Primas definit: *Causa 6. qu. 4. can. 3.*

LEGATI prærogativam expressit Alexander III. *Lib. 1. Decretal. Gregorii, tit. 30. cap. 1.* ad Suffraganeos Archi-Episcopi Cantuariensis, hæc verba scribens: *Licet Archi-Episcopus Metropolitico iure audire non beat causas de Episcopatibus vestris, nisi per appellationem deferrantur ad eum: legationis tamen obtentu, universas, quæ per appellationem, vel querimoniam pervenient ad suam audiencem, audire potest, et debet; sicut qui in provincia sua vices nostras gerere comprobatur.*

Nº II. Privilegia Archi-Episcopi Strigoniensis, legibus Ungariæ expressa.

¹ Tripart. part. 1. tit. 2. et part. 3. tit. 2. Privilegia, quæ generatim Ecclesiastico statui, utpote digniori, legibus patriæ tributa sunt, longum esset recensere.

Archi-Episcopo Strigoniensi, hæc nominatim data:

I. Archi-Episcopus Strigoniensis, est Comes perpetuus Strigoniensis: *In fine Articulorum Ludovici I. anno 1351. §. 3. Et in fine confirmationis Decretorum Andreæ II. Regis, per Mariam Reginam, 1384. §. 12.*

II. Ex antiquis privilegiis Ecclesiæ Strigoniensis, Archi-Episcopus est Primas Ungariæ, Summus et Secretarius Cancellarius Regius, Personalis Præsentia Regiæ Majestatis: et unus ex Iudicibus Regni Ordinariis: *Art. 15. anno 1536.*¹ Circa quæ

Sciendum: quod cum Archi-Episcopus, negotiorum mole pressus, iudiciis assidue interesse non potuerit, prout Personalis Regiæ Maiestatis Præsentia interesse tenebatur: primo substituti sunt Locumtenentes, ut plurimum spirituales personæ;² quemadmodum habetur *Decreto 6. Matthiæ, art. 18. Decreto 1. Uladislai, art. 37.* Et in conclusione *Decreti 5. Uladislai, §. 4.* legimus Episcopum Sirmiensem, fuisse Locumtenentem Personalis Præsentiaæ. Postea, ut in causis criminalibus, et capitalibus sententiis proferendis, major esset libertas, statutum est, ut sacerdotalis persona eo officio fungeretur: *Decreto 6. Uladislai, art. 4. §. 2. Et Decreto 7. art. 55.* quod et hodie fit: vocaturque Personalis Præsentiaæ in iudiciis Locumtenens.

Sed et hoc non ignorandum: præter sigillum Annulare, habuere Reges Ungariæ quatuor sigilla: Bullam Auream, et sigillum duplex, Archi-Episcopus asservat:³ sigillum Iudiciale, Personalis Præsentiaæ Locumtenens: qui sigillum secretum in aula Regia habet, in veteribus privilegiis, et articulorum clausulis, Vice-Cancellarius nominatur, vel aulæ Cancellarius.

Sub sigillo dupli expediebantur insignia nobilitatis, immunitates, et donationes bonorum: quæ, statutione peracta, et nullo contradicte apparente, possidebantur. Unde in omnibus donationibus, sub sigillo secreto emanatis, hæc clausula addi solet: *Quas nos in formam privilegii redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae.* Huiusmodi enim literæ sub dupli sigillo expeditæ, vocantur privilegia. Ceterum diurna vacatio Archi-Episcopatus, effecit, ut minoris sigilli usus invaluerit. Præterea Nicolaus Istvánfi, qui Secretarius fuerat Archi-Episcopi Olahi, narrare solebat: quoties Archi-Episcopus Strigoniensis ad aulam Regiam ibat, actutum sigillum quoque secretum a Vice-Cancellario ad ipsum deferebatur, honoris causa.

III. Illud quoque legibus Ungariæ expressum est, ut duo homines Archi-Episcopi Strigoniensis, iudicio Tabulæ Regiæ intersint: *An. 1557. art. 13. An. 1567. art. 26.*

Præterea: ut Archi-Episcopus⁴ nunquam teneatur Personale iuramentum in iudicio deponere, sed per Officiales iuret: *An 1550. art. 64. nn. 11. et 13.*

¹ Idem habetur
Decreto 6.
Matthiæ, Art.
68. §. 1. et
Decreto 1. sive
maiori Uladis-
lai II. Regis,
Art. 42. §. 1.
² Vide Litt.
Archi-Episc.
Capsa X. n. 16.

³ Ita habetur
Decreto 3.
Matthiæ, art. 8

Adhæc: illud quoque inter leges Ungariæ habetur, ut Archi Episcopus, etiam in beneficiis in aliena Dioecesi existentibus, iuris dictionem secundum privilegia sua exerceat: *in fine edicti Ferdinandi I. An. 1560. §. 16.*

Denique legibus sancitum est, ne Rex noster patiatur vacare Archi-Episcopatum Strigonensem: *An. 1550. art. 18.*

IV. Decretum et illud est, ut Archi-Episcopus Pisetarium habeat Cremnicii: *An. 1522. art. 19. §. 2. An. 1553. art. 23. §. 3. An. 1557. art. 15. An. 1563. art. 73.*

Deinde, ut ex Dicis, Pisetum itidem accipiat a singulis Marcis: *Caroli I. Decreto, ad finem. §. 59.*

V. Ne subditi Archi-Episcopi Telonia solvant: *An. 1557. art. 16. §. 3. An. 1563. art. 59. §. 4.* sancitum.

VI. Nobiles Archi-Episcopales perinde, ac Nobiles alii a Tricesimarum, et Teloniorum solutione liberi pronuntiantur: *An. 1563. art. 59. §. 4.*

Nº III. Privilegia, Archi-Episcopo Strigoniensi, a Summis Pontificibus, et Regibus data.

Ingenti volumine opus esset, si cuncta Archi-Episcopatus Strigoniensis Privilegia excudenda forent: pauca e plurimis attingamus.

§. I. Privilegia circa Iurisdictionem.

In Archivo Archi-Episcopali asservatur Bulla Pontificis Bonifacii Noni, Sigillo Plumbeo pendentí munita: quæ ad verbum sic habet.¹

¹ Originalis
habetur Ca-
psula L. n. 15.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Etsi quibuslibet personis Ecclesiasticis, ex iniuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, assistere defensionis præsidio teneamur: ad illorum tamen Iurium et Privilegiorum conservationem præstans intendere nos convenit, qui in partem sollicitudinis assumpti, potioris sunt dignitatis titulo insigniti. Dudum siquidem ad nostram notitiam deducto, quod de antiqua, et approbata, et hactenus pacifice observata consuetudine, Péchvaradinense, et Sexardiense,² ac de Báta, et de Föld-vár, nec non de Kolos-Monostra, ac Sancti Andreæ de Iuxta Vissegrad, et Sancti Gerardi de Chanadino, et Tihaniense, ac Simigiense, nec non Szaladiense, et Sancti Job, ac de Beel; nec

² De Abate
S. Martini, et
Præposito Al-
bensi, Capsa
L. nn. 11. 12.

13.

non de Sambok, et de Chiut, et sanctæ Crucis de Lelesz, ac de Iászo,
et Sancti Stephani de Promontorio Varadinensi: sancti Benedicti,
et Praemonstratensis Ordinum Monasteria: nec non Demesiensis, et
Tituliensis, ac Orodiensis, et Veteris Budensis, ac Cibiniensis, Col-
legiatarum Ecclesiarum Præpositoriae: nec non sanctæ Mariæ
Virginis, et sanctæ Mariæ Magdalene de Castro; et sancti Petri
Martyris, nec non sancti Gerardi, de suburbio oppidi Budensis, alias
Novi Montis Pestiensis, et Pestiensis, ac Vaciensis, et de Keszü, ac
de Eürs prope Budam, et de Sasad, ac Alba Ecclesia sanctæ Mariæ
prope Veterem Budam, ac de Komáron, et de Vissegrad, ac de
Nagy-Patak, et de Apácza-Somlyo, necnon de Pápa, ac de Levöld,
et de Segesdino, ac de Uj-hely, et de Lampert-háza, ac de Szölös,
et de Aranyas, ac de Bereg, et de Nemeti, Parochiales Ecclesiae;
ac Cibiniensis prædictæ, et Brassooviensis Ecclesiarum Decanatus,¹ ¹NB. Enumerat Pontifex, quæ extra Strigoniensem Dioecesim subsunt Archi- Episcopo. Nam non erat dubium de Dioecesanis.

Quinque Ecclesiensis, Vesprimiensis, Agriensis, Varadinensis, Trans-
sylvaniaensis, Colocensis, Chanadiensis, et Iauriensis Diœcesium; cum
certis Parochialibus Ecclesiis, et Plebaniis, ac Decanatibus, quorum
nomina præsentibus haberi volumus pro expressis, in dicta Trans-
sylvaniaensi, olim Argensi Diœcesi; alias ubilibet consistentibus,
prædictis Decanatibus immediate subiectis, sub omnimoda iurisdi-
ctione in spiritualibus, Archi-Episcopi Strigoniensis, pro tempore
existentis, pleno iure fore dignoscebantur: et quod Prælati, ac per-
sonæ Monasteriorum, Præpositoriarum, Decanatum, et Ecclesiarum,
prædictorum, nullum alium, præter Archi-Episcopum in eorum
Superiorem habere, et recognoscere; et eidem Archi-Episcopo,
tanquam immediato Superiori, et nulli alteri, obedientiam, et reve-
rentiam debitas exhibere; ac ad Synodum eiusdem Archi-
Episcopi, quoties illa per ipsum Archi-Episcopum celebrari
contingeret, accedere; et pro procurationibus Legatorum, ac provi-
sionibus Nuntiorum Sedis Apostolicæ persolvendis, ac aliis oneribus
supportandis, contributionem debitam facere consueverant: et quod
tam Venerabilis frater noster Ioannes, quam prædecessores sui,
Archi-Episcopi Strigonienses, qui fuerunt pro tempore, in pacifica
possessione, vel quasi iuris exercendi Superioritatem, et iurisdictionem
huiusmodi, in Monasteria, Præposituras, Decanatus, et
Ecclesias, prædicta, eorumque personas, et loca, a tanto tempore
fuerant, cuius contrarii memoria non extabat. Nos consuetudinem
eamdem, sicut ab olim laudabiliter introductam, et extunc pacifice
observatam consistebat; et quæcumque inde secuta, rata habentes,

et grata, ea auctoritate Apostolica, ex certa scientia, per alias nostras literas confirmavimus, et ipsarum literarum nostrarum scripti patrocinio communivimus: supplentes omnes defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem; prout in ipsis literis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, ab aliquibus asseratur, Nos, aut aliquem prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, ad alicuius, seu aliorum instantiam, vel preces importunas, aliqua ex Monasteriis, Præposituris, Decanatibus, et Ecclesiis, Prælati seu personis huiusmodi, a iurisdictione et potestate Archi-Episcopi Strigoniensis pro tempore existentis, huiusmodi exemisse, et etiam liberasse, vel in posterum eximere, et etiam liberare; et contra præmissa, vel aliquod ipsorum, aliquas literas Apostolicas concessisse, ac etiam emanasse, seu delegasse: nos eidem Ioanni, et successoribus suis Archi-Escopis huiusmodi super his providere volentes: motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia, omnes et singulas huiusmodi exemptiones Monasteriorum, Præpositurarum, Decanatum, Ecclesiarum, Prælatorum, et personarum prædictorum; ac concessiones quascunque, si quæ a nobis, sive prædecessoribus nostris huiusmodi, aut de mandato nostro, vel prædecessorum nostrorum, in genere vel in specie, sub quacunque forma vel expressione verborum, etiam proprio nostro motu forsan emanaverint, vel etiam emanari contingere, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, in præsentibus, specialis et expressa mentio foret habenda; ac etiam literas quascunque, si quæ super ipsis exemptionibus, et concessionibus, ac delegationibus confectæ appareant, vel in posterum apparere contingat, motu simili, tenore præsentium revocamus, cassamus et irritamus, ac nullius esse volumus roboris vel momenti, perinde ac si exemptionum, et liberationum, ac delegationum literæ huiusmodi a nobis minime emanassent. Et insuper, ut Prælati, et personæ huiusmodi, in præmissis se erga dictum Ioannem Archi-Episcopum, et successores suos huiusmodi, eo fidelius et devotius gerere; ipsique Ioannes Archi-Episcopus, et successores huiusmodi, iurisdictionem eo quietius exercere possint, quo maiori fuerint libertate muniti: Prælatos, personas, Monasteria, Præposituras, Decanatus, et Ecclesiæ antedictas cum omnibus bonis spiritualibus et temporalibus, quæ in præsentiarum obtinent, et in futurum dante Domino iustis modis poterunt adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, subiecione, et visitatione Archi-Episcoporum, Episcoporum, et aliorum

ordinariorum Iudicum quorumcunque, præterquam dicti Ioannis Archi-Episcopi, et successorum suorum Archi-Episcoporum Strigoniensium pro tempore existentium, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, motu simili, totaliter de novo eximimus, et perpetuo liberamus, ac sub eorundem Ioannis Archi-Episcopi, et successorum protectione suscipimus, ac exemptos, immunes, atque liberos, ipsique Ioanni Archi-Episcopo, et successoribus suis huiusmodi, et nulli alteri volumus immediate subiacere; ita quod Archi-Episcopi, Episcopi, vel Iudices supradicti, aut alia quævis persona Ecclesiastica vel mundana, quacunque præfulgeat dignitate, præter Ioannem et successores suos Archi-Episcopos huiusmodi, in eos, et bona prædicta, utpote prorsus exempta, non possint excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententias promulgare, aut alias etiam ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua ageretur in Iudicio, vel extra, ubi cunque committatur delictum, vel ineatur contractus aut res ipsa consistat, iurisdictionem seu potestatem aliquam exercere; decernentes omnes et singulos processus, ac excommunicationum, suspensionum, et interdicti sententias, quos et quas, etiam forsan prætextu exemptionum supradictarum, vel alias contra huiusmodi nostræ revocationis et exemptionis tenorem promulgari contigerit, vel fuerint promulgati seu promulgatae, irritos et inanes, ac etiam ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, irritationis, voluntatis, exemptionis, liberationis, suspicionis, et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, Kalendis Maii. Pontificatus nostri Anno undecimo.

P. de Zambecariis.

Pius II. Anno 1464, Confirmavit litteras Bonifacii Noni, additis Originales habentur in Capsula K. n. 12. nonnullis scitu perquam necessariis.

Pius Episcopus Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. In supremæ dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino constituti, etsi quibuslibet personis Ecclesiasticis ex iniuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, defensionis præsidio assistere teneamur: ad illorum tamen, qui in partem sollicitudinis assumpti, potioris dignitatis titulo sunt insigniti, urium et consuetudinum

approbatarum, privilegiorum conservationem, præstantius intendere, eorumque honori et commodo opportune providere nos convenit, quo ipsi facilis multorum odia incurunt, et gravioros patiuntur insidias; cum Pastorale officium exercendo, nequeentes omnibus complacere, positi sunt tamquam signum ad sagittam. Nuper siquidem dilectus filius noster, Dionysius, tt. sancti Cyriaci in Thermis S. R. E. Presbytér Cardinalis, qui ex dispensatione Apostolica Strigoniensi Ecclesiæ præesse dignoscitur, nobis insinuare curavit; quod de antiqua, et approbata, hactenusque observata consuetudine, Péch-Varadinense, de Bátha, Sexardiense de Föld-vár, Madacha, Szebegen, et Búlch, Somogyvár, de Kolos-Monostra, sancti Iob, sancti Gerardi in Chanadino, Simigiense, Szaladiense, Tihaniense, de Beel in Bakon, et sancti Andreæ iuxta Vissegradum; nec non de Chút, de Sambok, Hatvan, sancti Michaëlis de Insula Leporum, de Iászo, S. Crucis de Lelesz, et sancti Stephani in Promontorio Varadinensi. ac sancti Antonii

¹ Sclavonice: de Darócz, ¹ in Scepus: sancti Benedicti et Præmonstratensis Ordinum Monasteria, et domus: Item Demesiensis, Posoniensis, Veteris Budensis, sanctæ Trinitatis de superioribus Calidis Aquis, Orodensis, Tituliensis seu de Erdöd, ac Scepusiensis, Cibiniensis, Collegiarum Ecclesiarum Præpositoriae: nec non Beatæ Mariæ Virginis, sanctæ Mariæ Magdalene in oppido Budensi, alias in Novo Monte Pestensi; sancti Petri, et sancti Gerardi Martyrum, in suburbii eiusdem; ac Beatæ Mariæ Virginis Pestini; nec non de Sásad, de Eürs, et de Keszü prope Budam; et Alba Ecclesia sanctæ Mariæ Virginis iuxta Veterem Budam, sancti Iacobi, ac de Vissegrad, sancti Martini de Marusio, de Zob, de Halemba, de Nagy-Patak, de Uj-hely, Lampert-háza, Bereg, Szőlős, de Nova villa, Tamás-Várallya, Aranyas, Galambok, Szatmár-Németi, de Segesdino, de Komáron in Szala, de Apácza-Somlyo, de Pápa, et de Leveld, Eürs, Tardos, Hereg, Boros-Ienő, Parochiales Ecclesiæ: ac

² Pontifex solum meminit Diœcesis alienæ, non Strigoniensis. Cibiniensis, et Brassoviensis Ecclesiarum Decanatus: ² Colocensis, Quinque Ecclesiensis, Vesprimiensis, Iauriensis, Vaciensis, Agriensis, Varadinensis, Transsylvaniensis, Chanadiensis, et Nitriensis, Diœcесium, cum aliis Parochialibus Ecclesiis, et Plebaniis, et Decanatibus, quorum nomina præsentibus habere volumus pro expressis in dicta Transsylvaniensi, olim Argensi et Milkoniensi Diœcesibus, et alias ubilibet consistentibus, prædictis Decanatibus immediate subiectis: quæ sub omnimoda iurisdictione in spiritualibus, Archi-Episcopi Strigoniensis, pro tempore existentis, de simili consuetudine, pleno

iure fore dignoscuntur, simul cum Ecclesiis eisdem subiectis: et quod illarum Prælati, et personæ Monasteriorum, Præpositoriarum, Decanatum, et Ecclesiarum, prædictarum, nullum alium præter dictum Archi-Episcopum (Romano Pontifice salvo) in eorum Superiorum recognoscere et habere, ac eidem Archi-Episcopo, tamquam eorum immediato Superiori, et nulli alteri, obedientiam, et reverentiam debitas exhibere; ac Synodus eiusdem Archi-Episcopi, quoties illam per ipsum Archi-Episcopum celebrare, aut celebrari facere contingeret, accedere; et procurationibus Legatorum, ac provisionibus Nuntiorum Sedis Apostolicæ persolvendis, ac aliis oneribus supportandis, contributionem facere consueverunt: et quod tam præfatus Dionysius, quam prædecessores sui Archi-Episcopi Strigonienses, qui fuerunt pro tempore, in pacifica possessione, vel quasi, iuris exercendi Superioritatem, et iurisdictionem huiusmodi in prædicta Monasteria, Præpositorias, Decanatus Ecclesias Parochiales, eorumque personas et loca, a tanto tempore fuerunt, prout præfatus Dionysius etiam actu existit, cuius contrarii memoria hominum non existit. Quam quidem consuetudinem, olim felicis recordinationis Bonifacius Papa Nonus, prædecessor noster, motu proprio, et ex certa scientia, per suas certi tenoris literas confirmasse dicitur, et etiam approbasse. Quare, pro parte dicti Dionysii Cardinalis, nobis fuit humiliter supplicatum, ut prædictam, et quascunque alias laudabiles consuetudines, et authoritates, et iurisdictiones, nec non omnia, et singula privilegia, concessiones, literas, et indulta, tam per Romanos Pontifices, quam Imperatores, et Reges, Ecclesiæ Strigoniensi, sub quacunque verborum forma concessa, in quorum pacifico usu et possessione, dictus Cardinalis, aut Ecclesia sua Strigoniensis existit, confirmare, et approbare, aliasque super hoc opportune providere, de benignitate Apostolica dignarentur. Nos igitur, pacem et quietem singulorum Christi fidelium continue procurantes, et cuiuslibet iura illæsa, quantum cum Deo possumus, præservare nitentes, huiusmodi supplicationibus inclinati prænarratam et quascunque alias laudabiles consuetudines, et authoritates, ac iurisdictiones, privilegia, concessiones, literas, et indulta, in quorum pacifico usu, et possessione, vel quasi, tam in spiritualibus, quam temporalibus, prædictus Cardinalis, aut Ecclesia sua Strigoniensis esse dignoscitur, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia ratificamus, confirmamus, et approbamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, ac perpetuam roboris firmi-

tatem obtinere decernimus, et illa de novo, ex simili scientia concedimus; decernentes ex nunc, omnes et singulos processus, contra consuetudines, privilegia, concessiones, indulta, et literas huiusmodi habitas, et promulgatas, aut habendas, et promulgandas, ac literas Apostolicas, per nos forsan, vel prædecessores nostros, sub quacunque verborum forma in contrarium concessas, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda esset præsentibus mentio specialis, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti. Non obstantibus præmissis, ac suppressionibus de huiusmodi dignitatibus, vel aliqua ipsarum, eadem auctoritate forsan factis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, confirmationis, approbationis, communionis, constitutionis, et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum: Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto. Pridie Idus Iunii. Pontificatus nostri anno sexto.

G. de Piccolomini.

¹ Circa annum 1448. Extat in eodem Archivo, ¹ Bulla Originalis Nicolai Quinti, in Capsula L. n. 16. Quod Archi-Episcopus Strigoniensis, tanquam Legatus Natus, in toto Regno Ungariæ, et partibus illi annexis, visitare, et reformatre possit in Spiritualibus et temporalibus, Monasteria, et loca Ecclesiastica, etiam exempta, in capitibus, et membris.

§. II. Privilegia circa Dignitatem Archi-Episcopi Strigoniensis.

I. Privilegium fuit; quod ipse, et non aliis, possit et debeat Reges Ungariæ coronare. Qua de re extat privilegium originale inter Archi-Episcopales literas, Capsula K. n. 30. Similiter, quando Regina coronanda est, Unctionem, et reliqua omnia, ex præscripto Pontificalis peragit Archi-Episcopus Strigoniensis; et Regiam Coronam (quæ capitibus foeminarum non imponitur) humero Reginæ applicat. Eodem vero tempore, Reverendissimus Episcopus Vespriensis, accedens ad Altare, imponit Reginæ Coronam, quam ipsa sibi Regina procuravit. Ita factum Sopronii, in Coronatione mo-

dernæ Maiestatis Reginalis; et Posonii, dum Regis Matthiæ secundi coniux coronaretur.

II. Magnus semper honor est habitus a bonis omnibus Ordini Ecclesiastico :¹ Quocirca legibus Ungariæ declaratum est, Ecclesiasticas personas sacerdotalibus digniores haberi. Sed et Sanctus Rex Stephanus,² post Regium fastigium, ac Ecclesiam, tertium dignitatis locum obtinere iussit Episcopos; quartum vero, Principes, Barones, Comites, ac Nobiles. Unde, usque in diem hodiernum, in Literis Regiis, quibus Nobilitas conceditur, vel publicæ Regni constitutiones roborantur, primo loco Episcopi collocantur.³ Neque unquam derogare existimatum est sacerdotali dignitati, si Sacerdotio honor haberetur. Unde et in sacro Romano Imperio, Electores Ecclesiastici, quacunque domo oriundi sint, Serenissimos Electores sacerdotiales, tot potentissimorum Imperatorum sanguine progenitos, absque ulla dignitatis imminutione, præcedere solent. Et in vicina Polonia Archi-Episcopus Gnesensis, Principes ac Palatinos, sine competentia, antecedit. Et, quod mirere, inter Sacramentarios Angliæ (quos nostri Calvinistas vocant) Cantuariensis Archi-Episcopus, Duces ac Principes omnes in Senatu Regio, ac Parlamentis, consessu et suffragio antecedit. Audi Saraviam Calvinistam Anglum, suis verbis loquentem, libro de diversis Ministrorum gradibus, cap. 24. *Archi-Episcopo Cantuariensi, Proædria ante omnes Principes, et magnos Regis Officiarios est attributa; et Primus Par Regni dicitur.*⁴

Idipsum Ius fuit Archi-Episcopi Strigoniensis. Et quia exemplis comprobari potest (ut apparuit postremis comitiis Soproniensibus, in facto oppignorationis Frakno et Kis-Marton,) Reges Ungariæ, in rebus gravioribus a se ordinatis, assensum quoque Summi Pontificis impetrare consuevisse. Idcirco a Nicolao quinto, Ladislaus Rex noster, approbari, et sub interminatione indignationis Divinæ, mandari petiit, ut hæc Archi-Episcopi Strigoniensis, tanquam Primatis Ungariæ, Prærogativa firmiter custodiretur. Cuius quidem approbationis, et mandati, verba hæc sunt:⁵

Nicolaus Episcopus, Servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Excellens Apostolicæ Sedis providentia, Ecclesiarum dignitatem, et merita considerans personarum, illas non indigne uberioris dono gratiae, et honoris prærogativa attollit, quas dignitatis præminentia, et vetusta consuetudo, cæteris efficit anteponi. Sane charissimus filius noster Ladislaus Ungariæ Rex Illustris,

¹ Tripart. part. 1. tit. 2.

² Decretum S. Stephani, Lib. 1. cc. 3. et 4.

³ Vide etiam art. 15. Anni 1536.

⁴ Vide Conzen, in Matth. 20. v. 25. quæst. 1.

⁵ Originalis habetur in Capsa A. n. 4. Transsumpsit Capitulum Strigoniense Anno 1504. quod habetur Capsa A. n. 18.

nobis nuper exposuit, quod licet Archi-Episcopus Strigoniensis, pro tempore existens, Primatiæ, et Legationis Natæ officio et honore fungitur; nosque iurisdictione Primatiæ, et Legationis prædictarum, auctoritate Apostolica approbantes et confirmantes, dilecto filio nostro Dionysio, tt. sancti Cyriaci in Thermis, S. R. E. Presbytero Cardinali, qui ex dispensatione Sedis Apostolicæ, etiam ipsius Ecclesiæ Strigoniensis Archi-Episcopus existit, suisque successoribus, quod in singulis Regni Ungariæ, et partium illi, de iure vel consuetudine subiectarum et subiiciendarum, Cathedralibus etiam Metropolitanis, et aliis licet exemptis Ecclesiis, circa earumque personas, ac eisdem quomodolibet subiectas et subiiciendas, tam Ecclesiasticas, etiam exemptas, quam mundanas, omnimoda potestate Primatiæ, et Legationis earumdem, tam in foro conscientiæ, quam contentioso, cum honoribus, oneribus, et prærogativis debitis et consuetis, perpetuis futuris temporibus uti, et gaudere, iurisdictionemque, et Legationem prædictas, libere et licite exercere valerent, eadem auctoritate concesserimus; prout in nostris superinde confectis literis plenius continetur. Quia tamen a nonnullis curiosis revocatur in dubium, an præfatus Archi-Episcopus, Primas, et Legatus Natus, extra suas civitatem et Diæcesim, crucem ante se deferri facere; et de causis, quæ ad ipsum, et Sedem Strigoniensem, præsertim per simplicem querelam deferuntur, cognoscere, illasque coram eo, et apud dictam Sedem verti facere possit: Nos, ad huiusmodi ambiguitatis dubium submovendum, modernum, ac pro tempore existentem Archi-Episcopum Strigoniensem, sicut post Regem præfatum, primus existit, ita etiam in Parlamentis, et quibusvis aliis actibus egregiis, post ipsum Regem, primum locum, et primam vocem obtinere debere: quodque infra limites suæ Legationis, cæteris Præsulibus, si quos adesse contingat, in ea re cessantibus, solus ubique ante se crucem deferri facere; ac de causis, quæ infra limites Legationis huiusmodi, etiam per simplicem querelam, coram eo, et apud dictam Sedem, moveri et verti contigerit, cognoscere, et cognosci facere, causasque huiusmodi committere, cæteraque omnia et singula, quæ auctoritatem, officium et honorem Primatiæ, et Legationis huiusmodi, de iure et consuetudine, aut alias quomodolibet concernunt, facere et exequi, ac ab universis et singulis personis, tam Ecclesiasticis, etiam Religiosis, licet exemptis, quam mundanis, infra dictos limites, pro tempore existentes, quod decreverit per Censuram Ecclesiasticam, auctoritate Apostolica, in hac parte sibi specialiter attributa, firmiter

observari facere posse libere et licite, tenore præsentium declaramus. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, exemptionibus, et indultis, quibusvis personis cuiuscumque status, gradus et conditionis fuerint, seu eorum locis, per Nos, aut Sedem Apostolicam concessis; quibus quoad hoc specialiter derogari volumus, et expresse derogamus, cœterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis DEI, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romæ, apud S. Petrum; Anno Dominicæ Incarnationis Millessimo quadringentesimo quinquagesimo secundo. Decimo Kalendas Maii. Pontificatus nostri Anno sexto.

Res accidit notatu digna, Anno 1622. Postquam enim Augusta Imperatrix diadematæ exornata esset: in epulo Regali, ad mensam Cæsareæ Maiestatis, Archi-Episcopus Strigoniensis, ex ordine Mareschalci Aulæ Cæsareæ, superiori loco ante Dn. Palatinum assedit (sicut et Posonii factum ante fuerat, cum post Coronationem felicissimam Ferdinandi II. ad mensam Regiam accumberetur.) Ægre fuit id Domino Palatino: et a Secretario (neque enim Cancellarius aulæ subscrispsit) decretum nomine Cæsareo extraxit; quo declarabatur; Palatinum deinceps locum præcedentiæ habere debere.

Scriptum hoc, capsulis, quibus diplomata Regni asservantur, clam inclusum fuit.

Ubi Cæsarea Regiaque Maiestas, non sine displicantia, decreti huius expeditionem, prorsus alienam a sua mente, cognovisset: sub sigillo Regio, per Dominum Cancellarium aulæ, declarationem de verbo ad verbum hic annexam, mihi consignavit.

Illustrissimo ac Reverendissimo in Christo Patri, Domino Petro Pásmány, Archi-Episcopo Strigoniensi, Locique eiusdem Comiti perpetuo, Primiati Ungariæ, Legato Nato, ac Summo per Ungariam Secretario Cancellario, nec non Intimo nostro Consiliario, sincere nobis dilecto.

Cum¹ in generalibus Regni Ungariæ Comitiis, peracta feliciter inauguratione Serenissimæ Romanorum Imperatricis in Reginam Ungariæ, postmodum in convivio Regali, ratione sessionis et præcedentiæ difficultatis aliquid incidisset, atque inde ad instantiam

¹ Decretum hoc, una cum Paribus Decreti prioris, in Archivo Archi-Episcopali, Capsa A. num. ult. habetur.

D. Comitis Palatini Regni Ungariæ, decretum e Cancellaria Regia emanasset, quo Cæsarea Regiaque sua Maiestas benigne declarabat, eam quæ isthic importune fuerat exorta controversiam sibi minime placuisse, neque mentem vel sententiam suam esse vel fuisse, ut illo actu, Palatinali dignitati et præminentia, quæ eidem competere posset, ullo modo præiudicaretur; idipsum vero decretum, per incuriam fortasse Secretarii, altis verbis, quam quæ sensui Maiestatis suæ Cæsareæ Regiæque hac in parte ad amussim responderent, conceptum, inde vero per D. Palatinum publicatum fuisset: unde Reverendissimus D. Archi-Episcopus Strigoniensis de tuenda Ecclesiæ suæ dignitate et prærogativa sollicitus, verisimiliter suspicari poterat, ne præmemoratum decretum, in diminutionem et præiudicium iurium, sibi, dictæque Ecclesiæ suæ Metropolitanæ competentium, etiam præter vel contra intentionem Cæsaream Regiamque futuro aliquando tempore, allegari contingret. Idcirco Sacratissima Cæsarea Regiaque sua Maiestas, Dominus noster Clementissimus, uniuscuiusque, præsertim vero Ecclesiasticorum et Ecclesiarum indemnitati sufficienter prospicere cupiens; ad posteritatis etiam memoriam, vigore huius decreti sui Cæs. mentis suæ sensum ulterius explicat: eum scilicet fuisse, semperque futurum, ut memorati Domini Archi-Episcopi, eiusque Sedis Archi-Episcopalnis Præminentia, et privilegia sarta tecta conserventur; neque illius iuribus fortasse melioribus, prout cunque sibi competit, aut competere possunt, ex verbis, vel sensu antedicti primi decreti, ullum sive nunc, sive olim præiudicium generetur.

*Per Sacratiss. Cæs. Regiamque Maiestatem
Sopronii, die 8. Mensis Aug. 1622.*

Valentinus Lépes etc. Aulæ Cancellarius.

S. III. Privilegia circa Proventus Archi-Escopales.

I. In Cameris omnibus totius Coronæ; in locis item, quibus pecunia cudebatur, ex qualibet marca auri et argenti, cusi vel non cusi, Pisetum unum (vulgo *Nehezék*,) hoc est, tertia pars unciæ, seu quadragesima octava pars unius Marcæ, Archi-Escopo Strigoniensi dabatur: *Ita in Capsa A. n. 2. et 20. Capsa B. n. 2. 4. 57. Capsa I. n. 1.* Itaque Ferdinandus Rex mandavit Cameræ Rivuli Dominarum, ut iuxta veterem fundationem, Archi-Escopo solvat Pisetum: *Capsa A. n. 7. 5. 6. 17.* Sigismundus Rex mandat Monetario Budensi, ut Pisetum pendat Archi-Escopo: *Capsa*

A. n. 20. 21. 26. Camera quoque Cibiniensis, Pisetum solvere consueverat: *Capsa A. n. 42.* Camera item Sirmiensis et Quinque Ecclesiensis: *Capsa A. n. 24.*

II. Bulla Aurea Matthiae Primi, *in Capsa A. n. 1.* habet: Ordinatione Sancti Stephani, et S. Ladislai, ac Apostolico mandato receptum esse, ut ex omnibus proventibus Regalibus, quoquomodo habitis, vel habendis, Rex decimam solvat Archi-Episcopo Strigoniensi. Idem habent alia Privilegia, *in Capsa A. n. 25. 27. 28.* sicut et *n. 9. 12. 13. 14. 16. 17. 19. 22. 23.* Et *Capsa B. n. 9. 10.*

Itaque præter Pisetum, etiam Decima solvebatur Auri, Argenti, Plumbi, Cupri: ut habetur *Capsa A. n. 39. Capsa B. n. 6. Capsa C. n. 46. 47.* Et declaravit Bela Rex, Decimas solvendas ex Lucro Cameræ, etiam ultra Dravum: *Capsa Y. n. 58.*

III. Quoties subsidium Regi præstandum (seu Dica) imponebatur per Regnum: ex bonis Archi-Episcopi Strigoniensis, non Regi, sed Archi-Episcopo, colliebatur eiusmodi subsidium: *Capsa A. n. 38.*

IV. Si quas Fodinas Auri, Argenti, in bonis suis Archi-Episcopus reperisset, eas ipse pro se laborari facere poterat: *Capsa O. n. 2. et 4.*

Cætera persequi longum foret: itaque hic finem facio.

LAUS DEO.

INDEX

ACTORUM ET DECRETORUM SYNODI DICECESANÆ STRIGONIENSIS.

	Pag.
Indictio Synodi Diœcesanæ	571
Literæ Patentes ad valvas Ecclesie Tyrnaviensis appensæ	571
Literæ III. Archi-Episcopi, seorsim ad singulos Abbat. et Præposit. etc. inscript.	573
Literæ III. Archi-Episcopi ad Præposit. Poson. et Scep, tanquam Archidiaconos Comitatus Poson. et Scepusiensis	574
Literæ, quas D. Vicarius, iussu Illust. D. Archi-Episcopi scripsit ingulis Archidiac.	575
Literæ, quas D. Vicarius, iussu Illust. D. Archi-Episcopi scripsit ad Plebanos exemptos . .	576
ACTA PRIMÆ DIEI	577
Oratio ad Synodum habita	577
ACTA SECUNDÆ DIEI	590
STATUTA ET DECRETA SYNOD.	590
Cap. I. <i>De Sacrament. administrat.</i>	590
Cap. II. <i>Quid in Parochiarum, et aliorum Beneficiorum adeptione et resignatione observandum</i> .	595
Cap. III. <i>Quibus in rebus Reformatio efficax requiratur</i>	597
Cap. IV. <i>De Visitatione Ecclesiarum</i>	607
ACTA TERTIÆ DIEI	610
Oratio Synodalnis, de Dignitate et Puritate Sacerdotum	610
Allocutio monitoria Archi-Episcopi ad Synodum	615
Nomina DD. Episcoporum, Abbatum, et Præpositorum, qui Synodo subscripserunt	619

APPENDIX PRIMA.

<i>De Diœcesi Strigoniensi</i>	621
Suffraganei Archi-Episcopi Strigoniensis	623
Capitulum Strigoniense	624
Beneficia extra Capitulum	624
Festa, quibus Archi-Episcopus Missam solemniter cantat	625
Nomina { Abbatum Ordinis S. Benedicti, et Cisterciensium, qui Synodo Diœcesanæ interesse solent	625
Præpositorum Regularium : Præmonstratensium, et S. Augustini	626
Præpositorum sœularium	626
Plebanorum exemptorum	626

	Pag.
Cathedrali, subiecti Plebani	627
Nitriensi, in Comitatu Nitra, Thurócz, Árva, subiecti Plebani	627
Nogradiensi, subiecti Plebani	628
Gönöriensi, subiecti Parochi	629
Hontensi (sub quo est et Liptoviensis Comitatus) subiecti Parochi	629
Citra et ultra Tibiscum Villæ Cumanorum	630
Barsiensi subiecti Parochi	630
Comaromiensi subiecti Parochi	630
Sasvariensi subiecti Parochi	630
Zoliensi subiecti Parochi	631
Thornensi subiecti 25 Parochi	631
Præposituræ Posoniensi, subiecti Plebani	631
Præposituræ Scepusiensi subiecti Plebani	632

APPENDIX SECUNDA.

<i>De Religiosis Ordinibus, qui olim in Hungaria floruerent</i>	635
Abbatiae Ordinis S. Benedicti	635
Abbatiae Ordinis Cisterciensium	637
Aliæ quædam Abbatiae	638
Præpositoriae Sæculares	639
Præpositoriae Regulares	640
Ordo Canonicorum Regularium S. Augustini	640
Præpositoriae Præmonstratensium	640
Ordo Canonicorum S. Sepulchri Ierosolymitanii	641
Ordo Carthusianorum	642
Ordo Cruciferorum S. Ioannis Ierosolymitani, qui et Hospitalarii dicuntur	642
Ordo Guilielmitarum	643
Conventus Dominicanorum	643
Monasteria Ordinis S. Francisci	644
Ordo Eremitarum S. Pauli I. Eremitæ	648
Ordo Eremitarum S. Augustini	652
Alia quædam Monasteria	653

APPENDIX TERTIA.

<i>De Privilegiis Archi-Episcopi Strigoniensis, Metropolitani, Primatis, Legati Nati</i>	655
Nro I. Privilegia Iure communi Ecclesiastico attributa	655
Nro II. Privilegia Archi-Episcopi Strigoniensis, Legibus Ungariæ expressa	656
Nro III. Privilegia, Archi-Episcopo Strigoniensi, a Pontificibus, et Regibus data	658
§. I. Privilegia circa Jurisdictionem	658
§. II. Privilegia circa Dignitatem Archi-Episcopi Strigoniensis	664
§. III. Privilegia circa Proventus Archi-Episcopales	668

DISSE^TRAT^O.

AN UNUM ALIQUID,

EX OMNIBUS LUTHERANIS DOGMATIBUS,


ROMANAEC^E ECCLESIAE ADVERSANTIBUS,

SCRIPTURA SACRA CONTINEAT.

RECENSUIT

IOANNES KISS,

IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



IMPRESSUM POSONII, ANNO DOMINI M DC.XXXI.

INSIGNE SOCIETATIS IESU, CUM TEXTU
„BENEDICTUM SIT NOMEN DOMINI.“

1. Timoth. 2. v. 4.

*Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt,
sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros, et ad
Fabulas convertentur.*

1. Timoth. 1. v. 3, 4.

*Rogavi te, ut denuntiares quibusdam ne aliter doce-
rent, neque intenderent Fabulis.*

Ibid. cap. 4. v. 7.

Aniles fabulas devita.

Libelli, qui „Dissertatio : An unum aliquid, ex omnibus Lutheranis dogmatibus, Romanæ Ecclesiæ adversantibus, Scriptura sacra contineat“ titulum gerit, argumentum titulo clare indicatur, occasio vero scribendi partim in dedicatoria epistola ad Casparum Illyesházi directa et opusculum præcedenti, partim in subsequenti Proloquo fuse exponitur. Cardinalis quippue Petrus Pázmány iuvenem quandam nobilem Confessionis Calvinianæ anno 1630. ad religionem Catholicam convertere intendens, eum provocavit, ut Cardinali theses assignaret, quæ a protestantibus docentur, a catholicis vero negantur, in Scripturis tamen Sacris aperte continentur. Iuvenis tres elegit propositiones, quas dein superintendentis quidam Hadik scripto defendit. Petrus Pázmány ad „Considerationem“ superintendentis similiter scripto „Responsionem“ dedit, hancque Hadik „Hyperaspyste“ refutare conatus est. Hanc „Hyperaspistem“ vult Pázmány per suam „Dissertationem“ perstringere.

Opusculum prodiit Posonii, anno 1631. Exemplaria extant in bibliothecis: Musei nationalis Hungarici Budapestini, Regiæ scientiarum universitatis Hungaricæ Budapestini, conventus ordinis scholarum piarum Nitriæ.

PETRUS,
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER
CARDINALIS PÁZMÁNY,
ETC.
SPECTABILI AC MAGNIFICO
DOMINO CASPARO ILLYESHÁZI,
ETC
SALUTEM A DEO OPTATISSIMAM.

Triginta prope anni sunt, Vir Nobilissime, ex quo ego te, et amavi semper et colui: nec ullam de te bene merendi occasionem intermittere, constitutum habui. Voluntati facultas defuit sæpius: nam tua conditio, meam operam magnopere non desideravit: sed tamen, quo tu mihi carior, eo tuæ salutis negotium in devexo præcipitii constitutum, maiores mihi sollicitudinis morsus dedit.

Opportune nunc, quem tuæ Religionis Anteambulonem habes, occasionem suppeditavit, meum in te amorem, hac scriptione contestandi. Et ut rem ab ovo ordiar; sic habeto.

Egeram ego nuper, cum Viro Nibili, Iuvene illo quidem, sed acris ac maturi iudicii, de Catholicæ Religionis veritate, a qua abhorrebat. Inter cetera, dixeram; Ex omnibus, quæ Lutheri vel Calvini-sequæ nobis adversantia credunt, nihil tantum, nihil tantillum, in Dei Codice, in scripto Dei Verbo reperiri: sed omnia, prorsus nullo excepto omnia, ipsorum propria, meras esse Fabulas; hoc est, humani ingenii cogitata, inanissimarum argutationum consequentiis cerussata. Hinc deducebam, Ter miserandos esse Lutheri sequaces: quippe qui immani Idololatria, humana inventa, Prædicantium fabellas nove confictas, pro Dei Verbo venerantur. Simul et illud adiiciebam; Si quis rem sequius habere existimet, periculum faciat, ac ex omni Lutherana paratura Catholicis contraria, seligat, quod in Scripturis Sacris maxime patenter contineri videatur. Et si quid unicum Scripturæ Sacræ verbis approbaverit, herbam referat.

Mira hæc Viro Nobili videbantur, non ante audita. Vocibus enim Prædicantium suorum, nihil crebrius decantatum audierat, quam ipsos, pura ac sola Dei Verba sonare: Cardinem disceptationis cum Ecclesia Romana in eo verti; quod ipsi quidem Dei Verbo nitantur, cuius autoritatem assertam irent; Papisequas vero (ita nos vocant,) Decretis Pontificum, humanis inventis fulciri, posthabito Dei Verbo.

Admirationem ut excuterem, quæsivi; An'ne uspiam in Scripturis legisset, *Non esse Purgatorium: Orationes pro Defunctis illicitas esse: Sanctos cum Deo regnantes, rogari non posse ut pro nobis orent?* An, inquam, hæc, aut unum aliquod aliud Catholicon placitum, dissertis Scripturæ verbis improbatum legisset in Bibliis? Si quid horum uspiam ipse reperit, quod aciem oculorum nostrorum effugisset, æterna gratitudine nos obligabit, digitum modo eo intendat: secuturos Scripturæ textum sancte recipimus. Nihil enim quod in Scripturis Divinis legitur, quantumvis exiguum (si quid in Dei Libro exiguum dici fas est), abiicimus.

Attonito similis audire visus est hæc Vir ille Nobilis. Et cum nihil sibi ex Scripturis Sacris occurrere diceret eorum quæ nominavimus: recepit, se suorum Doctissimos hac de re consulturum. Consuluit primi inter suos nominis et officii virum: qui Tres omnino selegit Articulos, Romanæ Ecclesiæ contrarios, eosque Scripto Dei Verbo probare adnitus est. Scriptioni eius respondi sine mora; ac Viro Nobili, cuius memini, calamo currenti fusam disceptationem communicavi; qua (ut ego quidem certo existimo) evidenter ostendebam, Nihil eorum quæ probanda sumserat, ex Scripturis Sacris demonstrata esse. Hodierna die * Hyperaspistem accepi, ab eo ipso qui ante responderat, productum.

Huic ego scriptioni, rebus vacuæ, verbis diffluenti, brevissima responsione occurrere volens, Tibi Nobilissime Baro, dicandum existimavi, hoc quicquid est laboris. Dignum enim, imo, nisi æternum perire velis, necessarium est diligenter anquirere; An Prædicantes tui, quod verbis iactant, reapse præstent; Purumque ac solum Dei Verbum doceant? vel Fabulas potius, ac sua cogitata, inanes merces, Agyrtarum more, venditent? Simul et illud attentius considerare debes, quam ad Dei tribunal rationem dare possis, si spreta veteris Ecclesiæ autoritate, posthabitoque Sanctissimorum, ac doctissimorum Patrum consensu, Novis hisce Prædicantibus, animam committas. Vale. Tyrnaviæ, 27. Decembris, Anni M.DC.XXX

* Anni
1830. Die 27.
Decemb.

PROLOQUIUM AD HYPERASPISTEM.

Agitur inter nos de re omnium gravissima: ex qua multorum æterna salus, aut ruina pendet. Dixeram ego, quod et nunc fidenter assero; Nihil eorum, quæ devota Luthero capita, Romanæ Ecclesiæ adversantia docent, Sacris Scripturis approbari: Omnia et singula, quibus dissident, humanorum inventa esse ingeniorum, quæ quisque sibi figulat; Divinorumque Oraculorum instar, Fabulas propinari.

Addideram: Si vel unicum Romanæ Ecclesiæ dogma, scripto Dei Verbo contrarium esse, evicerint Prædicantes: actutum, libere ac propalam, falsum esse pronuntiabo, quod aperto Dei Verbo adversatur. Æque enim certum est, eam Religionem falsam esse, quæ vel una in re, veritati a Deo revelatæ contraria est, atque Deum veracem esse, nec ulla in re mentiri posse.

Tu igitur Hyperaspistes, arbitrio tuo delegisti Tria vestræ Religionis capita: et credo selegisti, quæ præ ceteris maxime patenter demonstrari posse existimasti: eaque scripto Dei Verbo comprobaturum recepisti. I. Papam non esse Caput et Pastorem totius Ecclesiæ militantis. 2. Fide Sola iustificari peccatores. III. Quemlibet fidelem, de salute sua, ac remissione peccatorum, Certum esse posse, imo debere.

Respondi ego breviter, probationibus tuis: Ostendique clarissime, nihil horum te ex Scripturis probasse: Consequentias tui capitis efformasse; quarum caducum ac fragile robur, liquido monstravi. Ex quo, evidenter deduxi, litem vos movere Catholicis, non de Scripturæ Sacræ dogmatibus, sed de Consequentiarum vestrarum Bonitate: nec de iis controverti, quæ scripto Dei Verbo continentur (quis enim ei non penitus acquiescat? non adhærescat

Notate.

totus?) sed de iis solis, quæ vos humana ratiocinatione, argumentationumque Consequentiis, ex Scriptura deducere vultis, disceptari. Unde, qui sapit, facere conjecturam potest; tantine sit ponderis argutia vestra, ut vel unius digiti iactura, a bonitate Consequentiarum vestrarum suspendatur, nedum ut illis æternæ damnationis alea permittatur.

Tu vero, ne mutuisse videaris, Hyperaspistem producis: non Argyraspidem Alexandri, sed Cetrarum, straminea Cetra protegentem inanias Lutheranas. Et licet oblucteris Veritati: tamen, quemadmodum Balduinus tuus in Phosphoro, et sæpe et constanter fateatur; In Scripturis non haberi, *Quod non sit Purgatorium: Quod Missa non sit Sacrificium: Quod Sanctorum cœlitum opem implorare nefas sit*, et idipsum de reliquis omnibus ac singulis Catholicorum placitis, a vobis accusatis, rectissime dicere potuit: Ita tu, timide licet ac titubanter, concedis, ostendi Scripturæ Sacræ verbis non posse, quæ tu ostendenda sumsististi. Posteaquam enim, non sine stomacho mecum expostulasses, quod aperta Scripturæ verba a te requisiverim, quibus dicatur id quod tu asseris; Ita replicas: *Quid formalibus verbis opus est? Et quis umquam Theologorum in dogmatibus Fidei ad ea se per omnia obligavit?* Pergis: *Hæc Propositio, Sola Fides iustificat, quo ad literam, in Scripturis non extat, sed ex Scripturis Deduci potest: Discursum Syllogisticum, nusquam in Scripturis prohibitum lego.* Denique, Certitudinem propriæ salutis, *ais, per Consequentiam ex Scripturis probari.* Uno verbo: fateris, quod res est, Consequentiis Prædicanticis, deductionibus Syllogisticis, totam doctrinæ Lutheranæ fabulam niti. Quod perinde est, ac si palam edicas; Non maiorem esse certitudinem Lutheranorum dogmatum, quam certum sit bonas a Prædicantibus confici Consequentias: et in iis conficiendis, numquam illos errare aut falli posse. Itaque, æterna salus aut damnatio Lutheranorum, a bonitate Consequentiæ Prædicanticæ suspensa pendet, adeoque, Dei verbis annumerantur, quæ Prædicantes per Consequentias eruunt e Dei Verbo. Si hoc est sapere, nescio equidem quid sit despere? Nam, quod per Consequentias ex Scriptura deducitur, eius veritas, non solo Dei Verbo nititur: sed bonitati Consequentiæ, seu ratiocinationis humanæ discursui, inædificatur. Nisi igitur de bonitate Consequentiæ divinitus edoceamur, veritas Conclusionis, Divina autoritate non constabit.

Quamvis igitur nihil veterius disputandum videatur de mea

Thesi; quam tumet admittis, dum vestra dogmata non Scripturæ Sacræ verbis, sed humanis Deductionibus ac Consequentiis probari asseris: Ut tamen res ipsa evadat clarior, videamus porro singula, quæ in Hyperaspiste, præsentem Quæstionem tangunt. Nam alio spectantia, non attingam: Sarcasmos, et male-feriati pectoris mephitim, quam ubique spiras, tacitus negligam, et contemtu vindicabo. Constitutum enim mihi est, ceteris omnibus resecatis, in gradu, quo pedem fiximus, pugnare.

Caput I.

ANTILOQUIUM HYPERASPISTAE EXCUTITUR.

Multa tu quidem otiosa, et vana spargis: sed quid opus omnes invectivarum tuarum ineptias flagellare? Pauca ad rem spectantia videamus.

PRIMO, Iustificationis nostræ coram Deo Causas recenses: Aisque, *Causam Efficientem principalem esse Gratiam Dei: Causam Formalem positivam, Meritum Christi nobis applicatum: Causam Formalem privatam, Remissionem peccatorum: Causam Instrumentalem, apprehendentem Meritum Christi, Fidem.* Quas Causas subsequitur *Renovatio, tamquam Effectus Iustificationis.* Atque hæc omnia, Scripturis manifestis probari asseris. Cetera in his merito castiganda, taceo: Illud fidenter dico, horum nihil in Scripturis Divinis haberi. Dic, enim, amabo, Ubi in Bibliis mentio *Causæ Efficientis, Causæ Formalis positivæ, Causæ formalis privativæ, Causæ Instrumentalis, apprehensionis Meritorum Christi?* Ubi hoc ordine et nexus, hæ Causæ Iustificationi attributæ? Ubi *Renovatio Effectus Iustificationis* esse pronuntiatur? Horum nihil usquam in toto Dei Codice reperitur. Tuas ego hic Consequentiarum Fabulas non requiro: sed, quod promisisti, *Manifestas Scripturas*, expecto.

SECUNDO: Quereris, nec uno loco, Me sola Inficiatione Argumentationes tuas elevasse. Contendis vero, Negationes meas, aliter locum non habere, *quam si ad oculum ostendam, Argumenta tua non valere.* Sed erras plurimum. Accusatio omnis, sola negatione sufficienter diluitur, ni ab accusante evidenter probetur accusatio. Non igitur accusato, sed accusanti incumbit probatio. In reali et pacifica possessione fuit Ecclesia Romana eorum Dogmatum, ob

quæ Lutherus vester illam accusare cœpit, et palam traducere, quod ea contra expressum Dei Verbum, in Fidem invexerit. Melior semper fuit conditio possidentis: nec excludi possessione quispiam potest, nisi evidenti documento, possessionis iure deturbetur. Quid? Non' ne probaturum te recipisti, Dogmata vestra Scripturis Sacris contineri? Tibi igitur probatio incumbit. Quamquam non ego nuda negatione Consequentias tuas everti: sed apertas Instantias, malæ Consequentiaæ indices, ubique profero.

TERTIO: Priore Scriptione, dixerat fidenter *Hysperaspistes*; Secundum Ius Canonicum, *Quod non est verbum Dei, Papam facere posse ut sit Verbum Dei; Dist. 19. Cap. In Canonicis.* Ego effusam hanc fingendi pruriginem perflicui. Nihil tale Capite illo haberi; Augustini verba de Canone Scripturarum recitari, dixi. Sed et Contradictionem involvi, ut Verbum Dei sit, quod Dei verbum non est, liquido commonstravi.

Hysperaspistes contendit, *Communitatis insigni plagio, ac fraude Papistica, Augustini verbis, Capite In Canonicis, Epistolas Paparum Decretales Canoni Scripturarum inseri. Quod non est aliud, quam quæ Dei verba non sunt, Dei Verba facere.* Sed errat, errore grandi, *Hysperaspistes*. Primo enim, fateor immutasse *Gratianum* verba S. Augustini. Sed ut omnia apud Catholicos integra fide agi intelligent universi, Ecclesiastica diligentia factum est, ut quemadmodum in quamplurimis aliis *Gratiani* et *Glossæ* lapsibus: ita hic quoque, notata sit *Gratiam* in alienis verbis commutandis temeritas. Editionibus igitur, iussu Gregorii XIII. recognitis, sugillata est *Gratiani* licentia, fideliterque excusa totidem Augustini verba, quod in eius Tomis leguntur. Secundo: Verba *Gratiani*, Epistolas Pontificum, Canoni Scripturarum non inserunt: Illud solum habent; eas Epistolas (Apostolorum scilicet nomina præferentes), Canonicas esse: quas Romana Ecclesia recepit, et ab ea velut Matre, cetefæ Ecclesiæ recipiendas acceperunt. Iste est clarissimus *Gratiani* sensus, perperam a Prædicante eo detortus, quasi Epistolæ a Pontificibus scriptæ, Canoni inserantur. Catholicorum enim sensus est;¹

¹ Bellarm. lib. 4. de Pontif. c 14 Decretales Pontificum Epistolas, non solum Canone Scripturarum excludi, sed interdum, privatis Pontificum opinionibus adspergi, quas improbare liceat. Si qui vero Decreta Conciliorum, sicut

² Ita Bellarm. lib. 2. de Con- cil. c 12. Evangelia recipi debere dixerunt; ² Similitudinem, non æqualitatem designarunt: quemadmodum Christus illis verbis; estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est.

Sed ut errore grandi, quo Prædicantes universi innatant, aliquando liberentur: Quicquid a quopiam Catholicæ Scriptore, sua ex penu promtum, ac in chartas coniectum est, cave existimes, id confessim Catholicæ Ecclesiæ dogma esse; nobisque necessitatem incumbere id omne defendere, et ab errore vindicare. Collegerunt Primipili Prædicantium, quidquid uspiam, etiam in obscurissimis Scriptoribus Catholicis, libere, vel incaute, vel etiam false scriptum reperere: Minorum gentium Prædicantes, libros omnes farciunt rerum huiusmodi commemoratione: et omnes omnium opiniones, Catholicæ Ecclesiæ dogmatibus accensent. Quæcumque igitur uspiam ab ullo protrusa est opinatio, incerta licet, ambigua, falsa, in invidiam Romanæ Fidei trahitur: Inclamat, hanc esse Catholicorum Fidem, hunc sensum Ecclesiæ Romanæ. Quo nihil potest fieri inconsideratus. Catholicæ enim Fides, nullius omnino, quantumvis Catholicæ Doctoris, privatis opinionibus, aut speculationibus alligatur. Nihil igitur officit Catholicæ veritati, quidquid *Gratianus*, vel eius *Glossator*, multis sæpe erroribus implicati, scripserint: quidquid Iurisconsultorum nonnulli iudicarint: quidquid etiam quisvis aliorum dixerit scripseritve privato sensu. Neque enim ex horum dictis vel scriptis, sed ex Universalis Ecclesiæ consensu, ac Generalium Conciliorum Decretis noscendum, quæ sit de re quopiam Ecclesiæ Catholicæ sententia. Frustra igitur estis, Prædicantes, cum peculiares nonnullorum opiniones corraditis. Concilii Tridentini Decreta, de omnibus fere huius ævi Controversiis, ad manum habetis: inde sensum Ecclesiæ Romanæ haurire licet. Opiniones enim etiam Doctissimorum, quia opiniones sunt, non moramur: nec ad earum defensionem adstringi nos patiemur. Utinam hæc alta mente reponant Prædicantes: peribunt innumera Scriptionum dorsuala, quibus orbem funestant, et prægravant.

Caput II.

PAPAM NON ESSE CAPUT ECCLESIAE; DOCETNE SCRIPTURA?

Totus probationis Prædicanticæ nervus est; *Christum vocari*¹ in *Scripturis* ¹*Fundamentum*, ²*Caput*, ³*Pastorem*, *Sponsum Ecclesiæ*: ^{Coloss. 1.v.18.} Ergo ea nomina Papæ non quadrant. Ego Antecedente admisso, ³*Ezech. 34. v. 23.* ^{Ioan. 10. v. 11.}

¹ Cor. 3.v.11.

Isai. 28. v. 16.

² Ephes. 1.

v. 22

Ca. 4. v. 15.

Cap. 5. v. 28.

v. 23

Consequentiam negavi. Hic iam tota inter nos controversia, non de Sacrae Scripturæ doctrina, sed de sola Prædicantium Consequentia, vertitur. Et quamvis (ut ante monui) sola Negatio ad retundendam accusationem sufficere videatur: tamen inanissimæ Consequentialiæ vanitatem, valide demonstravi. Sublimi illo, ac Deo Redemptori proprio modo, soli Christo convenit, Fundamenti, Pastoris, Capitis Ecclesiæ nomenclatura: Infra Christum, intra ordinem Ministrorum, suo quodam inferiore modo, aliis quoque hæc nomina congruunt. Nam, ut cetera taceantur, Apostoli, Fundamenta vocantur, *Ephes. 2. v. 20. Apocal. 21. v. 14. 1. Timoth. 6. v. 19.* Ecclesiæ Pastores nominantur sæpius alii post Christum; *Ephes. 4. v. 11. 1. Petri. 5. v. 2. Actor. 20. v. 25.* Quid? An non Paulus Apostolus, cum se

¹ *1. Cor. 4. v. 15.* ¹ Patrem eorum nominavit, quorum Mater est Ecclesia, Sponsum Ecclesiæ nominavit? Addebam: *Fridericum Balduinum*, in Præfatione *Phosphori*, ab Universitate Vittebergensi, vocari *Generalem Pastorem*.

² *Gal. 4. v. 19.* ² *In Ministerio Ecclesiæ, unum qui negotia Ecclesiæ dirigit, reliquorum Caput dici.* Hinc evidenter deducebam; Ex eo, quod Christus sit Pastor et Caput Ecclesiæ, consequens non esse, aliis ea nomina non convenire.

² *Phosphori, fol. 929.* ² *In Ministerio Ecclesiæ, unum qui negotia Ecclesiæ dirigit, reliquorum Caput dici.* Hinc evidenter deducebam; Ex eo, quod Christus sit Pastor et Caput Ecclesiæ, consequens non esse, aliis ea nomina non convenire.

Quid ad hæc *Hypaspistes*? Fatetur, *formalibus Scripturæ verbis* probari non posse, quod Papa non sit Caput et Pastor Ecclesiæ. Fatetur, posse infra Christum, *Capita et Pastores esse particularium Ecclesiarum*. Ceterum, tribus in punctis victoriæ spem figit, vel potius, vanitatum suarum tricas nectit.

Nota. PRIMO: Frigidissime profert Argumenta quædam; quasi Catholici iis probatum velint, Petrum fuisse primum inter Apostolos. Verum, non id nunc agitur, ut dispiciamus, quibus Argumentis Catholici probent Primatum Petri: sed in eo cardo controversiæ vertitur, An vos Lutherani et Calvinistæ, ex Scripturis probare possitis aliquid eorum, quæ nobis adversantia creditis ac docetis? Et tu *Hyperaspistes*, probaturum te ex Scriptura recepisti; Quod Papa non sit Caput et Pastor Ecclesiæ militantis. Id age. Nec de nostris probationibus labores. Non diffugio, et de hoc, de quovis alio Catholici dogmatis punto, toto robore congregredi: modo ordine pugnemus, et prius unum quod excutere cœpimus, ad finem deducamus. Quæ enim utilitas, et quis finis, si inchoata, et necdum finita abrumpentes, ad alia excurramus? Vel igitur fateare, quod res est, Te ex Scriptura nullum Lutheranæ Fidei dogma proprium probare posse; vel, si quid potes, Unicum aliquid, ex tota illa

opinationum vestrarum catasta, in Scripturis Sacris commonstra: Tunc demum, me volente, cetera discutiamus. Vagari enim ad alia, quantumvis invidiose a te exaggerata, nolo, nisi hoc primum, quod anquirimus, finiatur.

SECUNDO: Arguit me *Hyperaspistes*, quod ex mediis terminis ipsius, Argumentum extruxerim *truncatis ac supressis*, *Summi, Generalis, Oecumenici, Universalis Capitis et Pastoris, nominibus*. Optassem ego, vel nunc, metipse, ex tuis mediis terminis Argumentationem confecisses, ut constaret quid oppugnandum foret. Non fecisti, suggestisti tamen, quid Argumentationi additum velles. Tentabo, an nunc saltem, ex tua mente, Argumentum struere possim: *Scriptura Sacra, Solum Christum dicit esse Summum, Generalem, Oecumenicum Pastorem, et Caput totius Militantis Ecclesiæ. Sed Papa Romanus non est Christus: Ergo nec Summus, Maximus, Oecumenicus Pastor.* Vellem ad salivam tuam hæc Argumentatio faceret. Sed audi porro, quam stulta sit ista deliratio. Principio: Tametsi Christus in Scriptura, Pontifex, imo et ¹*Magnus*¹Hebr. 4.v.14. *Pontifex, 2 Pastorum Princeps, 3 Sacerdos Magnus* dicatur: nusquam²1. Petri 5.v.4. tamen Summus, Generalis, Oecumenicus, Universalis Pontifex,³Heb. 10.v.21. Pastorve, exerte nominatur. Vel, Cedo locum in quo hæc Christo tributa legisti? *Maior* igitur illa, Scripturæ non est. Secundo: Fac Christum in Scriptura, Summum et Universalem Pastorem dici: nusquam tamen, Solum Christum his nominibus appellandum legisti; nusquam vetitum, ne infra Christum, inter alios Summum ac Universalem Pastorem nominemus. Tertio: Esto; diceret Scriptura, Solum Christum esse Summum, ac Universalem Pastorem totius in terra Militantis Ecclesiæ: Inde consequens non esset, inferiorem Christo ministrum, suo post Christum ordine, Summum Pastorem esse non posse, licet sublimi illo, et Deo-homini proprio modo, Solus Christus sit Summus Pastor. Nam in Scriptura, Solus Deus dicitur ⁴*haberi immortalitatem*; ⁵*Soli Deo dicitur honor* deberi et gloria; ⁶*Solus Deus bonus* audit: Tamen et Angeli, et Anima nostra, immortalitatem habent, gradu licet inferiore quam Deus: ⁷*Gloria etiam ac honor competit, omni facienti bonum.* Denique; si nomen Dei, ceteris augustius, hominibus ⁸cumminicatur: si Moyses, Mediator, *Deuteronomii 5. v. 5. Galat. 3. v. 19.* imo et Redemptor, *Actorum 7. v. 35.* si Ioseph ac Othoniel, Salvator, *Gen. 41. v. 45. Iudicum 3. v. 9.* audit in Scriptura: quidni, post Christum, Caput et Pastor Ecclesiæ dici possit aliquis?

⁴ 1. Tim. 6.
v. 16.

⁵ 1. Tim. 1.
v. 17.

⁶ Lucæ 18.
v. 19.

⁷ Rom. 2.v.10.
⁸ Ioann. 10..
v. 35.

Illud ridiculum, quod Iurisconsultos, nunquam ipsi lectos (nam nec transcribere eorum nomina novit), recenset *Hyperaspistes*; qui, vel per Oratorias Hyperboles; vel, si ita lubet, per adulationum palpos, de Pontificis Maiestate, duris interdum Metaphoris exaggerata, dicunt. Quasi vero dogma Catholicum esset, quidquid uspiam Iurisconsultorum aliquis protulit. Quæ Generalia Concilia, quæque totius Ecclesiæ concors sententia, de Romano Pontifice docuere, reverenter amplectimur: Quidquid inter Catholicos libere disputatur: quidquid ab aliquo nimium dicitur, Fidei Decretis non inferimus: Iurisconsultorum placita, opinata Theologorum, propugnare, nostri muneris non putamus.

Tertio: Convictus *Hyperaspistes*, ex Scriptura Sacra probari non posse, Papæ detrahenda Capitis, ac Pastoris insignia, ad Fabulas convertitur: *Quod Scriptura tacet id negat. Tacet vero de Papæ dignitate Scriptura: Ergo*. Extrema hæc est, desperati hominis præcipitatio. Nam, ut alia taceam, quibus Axiomatis allati falsitas evincitur: in tota Scriptura Sacra, nusquam legitur; Sintne aliqua, Quid sint, Quot sint, Quæ sint, Novæ legis Sacraenta: Concludat igitur *Hyperaspistes*, hæc a Scriptura negari: Baptismumque ac Cænam, Sacramentorum albo deleat.

Caput III.

EVINCINE EX SCRIPTURA POSSIT, SOLA FIDE IUSTIFICARI HOMINES?

Plurima hic prætereo, merito arguenda. Id enim unicum disputatione deliberatum est; An aliquod Lutheranæ, vel Calvinianæ doctrinæ proprium dogma, Sacris Scripturis contineatur?

Ut clare constet, quid inter nos controversum sit; Tamquam

¹ 1. Ioan. 2. certum Fidei fundamentum supponi debet, Christum ¹ pro salute v. 2. Rom. 11. omnium se obtulisse; Mortem pro omnibus subiisse; æterno Patri v. 15. 2. Cor. 5. v. 19. etc. copiosam pro totius humani generis reatibus Satisfactionem exhibuisse: Attamen, non omnes, pro quibus mortuus est et satisfecit,

² Matth 25. v. ad æternam salutem pervenire; sed multos inferorum ² pœnis 41. etc. adiudicari. Ex quo illud consequens est: Ad fructum Redemptionis Christi consequendum, aliquid requiri, quod homines agant, vel quod in illis fiat, quo Meritum ac Satisfactio Christi ipsis applicetur.

Neque enim aliunde provenire potest dicta differentia, quam quod, præter actiones et passiones a Christo exhibitas, aliquid fieri ex parte nostra necessarium sit, quo infinitus valor thesauri Redemtionis Christi, nobis applicetur.

Illud quoque certum est, Fidem dogmatum Christianæ Religionis, velut fundamentum ædificii spiritualis, necessariam esse ad Iustificationem: *Sine fide enim, impossibile est placere Deo. Credere* Hebr. 11. v. 6. *enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se renumerator est.* Et aperta est Christi sententia: **Qui non crediderit, condemnabitur.* Atque in his, non dissentire Protestantes existimo.

**Marc. 16.
v. 16.*

Controversia igitur in eo vertitur; An ad applicationem Meritorum Christi, et consequenter ad Iustificationem et salutem, Sola fides sufficiat? vel potius aliquid præterea una cum Fide requiratur?

Principio igitur, disertis verbis, ingenue fatetur *Hyperaspistes*: *In Scripturis non extare hanc Propositionem; Sola Fide iustificamur.* Addit; *Id ex Scripturis deduci.* Iam igitur, non de Scriptura nobiscum disceptant Lutherani, sed de suæ Deductionis et Consequentiae bonitate: adeoque totum Doctrinæ nervum, in sua Deductione figunt. Et, quod hinc consequens est, tacite admittunt, non maiorem esse Lutheranorum dogmatum certitudinem, quam certum sit, Prædicantes in suis ex Scriptura deductionibus, errare non posse. Nam si in hisce Deductionibus errare possunt, quis fidem, et æternam salutem, tuto committat ipsorum Deductioni?

Sed videamus porro Deductiones. Duo probaturum se ex Scripturis, recipit, noster: I. *Solam Fidem esse Causam Instrumentalem Iustificationis, ex parte nostra, qua scilicet apprehenditur et applicatur Meritum Christi.* II. *Causam Formalem Iustificationis esse Iustitiam in Christo hærentem, vobis per Fidem imputatam, non infusam.*

Primum illud, de Sola Fide, fatetur, in Scripturis, non haberi: Ubi enim in Scripturis *Causæ Instrumentalis?* ubi *Soli Fidei?* ubi *Apprehensionis?* ubi *Applicationis meritorum Christi*, mentio in Dei Libro? Consequentias igitur audiamus.

I. *Non iustificatur homo ex operibus Legis, nisi per Fidem;* Galat. 2. v. 16. *Æquipollentia sunt hæc duo: Nisi per Fidem; et Sola Fide:* Ain'vero hæc æquipollere? Ut stuporem tuum mireris ipse, vide hæc similia. Non conservari vitam tuam, nisi cibi refractione, nisi aëris respiratione, verissime dicimus: Audebis dicere,

hoc perinde esse; ac, sola refectione, respirationeque vitam conservari? Id si ita est: potio, somnus, iniuriarum aëris, ac lethalium vulnerum remotio, non erunt ad vitam conservandam necessaria. Similiter: Aptæ ac vere dixeris; Scamnum non confici, nisi manu: Dicisne tu id perinde esse, ac solam manum sufficere? securim, asciam, dolabram, terebrum non requiri? Denique, non fiunt vestimenta nisi acu: Concludes tu hinc credo; præparandæ vesti, nec fila, nec forfices, nec reliquum apparatus sartorium necessaria? Apage cum his Consequentiarum, et Equipollentiarum ineptiis, quibus animam qui committit, insanit. Apostolica veritas est, Sine fide, Opera Legis, non iustificare: nec aliud allatis verbis S. Pauli continetur.

II. Omne opus excludit Scriptura a Iustificatione nostra: Nam dicimur *Iustificari per Fidem, sine operibus Legis*; Rom. 3. v. 28. Alibi saepius, *Non ex operibus*; Rom. 11. v. 6. Galat. 2. v. 16. Ephes. 2. v. 9.

¹ Iac. 2. v. 20. Respondeo: Iustificari nos Fide (non ¹*mortua* illa quidem,
^{26.} sed ²*charitatem operante*,) nemo negat, quemadmodum enim recte
² Gal. 5. v. 6 dicimus; Medicum hunc me sanasse; licet non sine pharmacis,
diæta, et exercitio: ita Fides præscribens Opera pœnitentiæ et
charitatis, sanare dicitur animam; non sola tamen, sed etiam per
fructus a se productos ac præscriptos.

Sine Operibus iustificari hominem, non dixit absolute Apo-
³ Rom. 3. v. 28. stolus, ad Romanos scribens: sed restricte, ³*Sine Operibus Legis*,
^{Gal. 2. v. 16.} Naturæ scilicet, ac Scriptæ. Seclusa enim Fide et Gratia, Opera
ex Legis dictamine, et Naturæ viribus facta, ad Iustificationem
non pertingunt: licet Opera ex Gratia facta, quæ ab Apostolo
⁴ 2. Thess. 1. vocantur ⁴*Fidei Opera*, disponant ac præparent peccatores ad Iusti-
^{v. 11.} ficationem.

⁵ Gal. 2. v. 16. Ex aliis locis Scripturæ ⁵quæ adferuntur, manifeste liquet,
⁶ Ephes. 2. v. 9. non solum Legis opera, sed quidquid omnino Operis nomine ⁶
Fides est opus Dei designari potest, excludi aliquo modo a Iustificatione. Nam, ut
⁷ Ioann. 6. v. 29. Tridentinum Concilium definit; ⁷*Neque Fides, neque Opera, ipsam*
⁷ Trid. sess. *Iustificationis gratiam promerentur*. ⁸*Meritoria enim Iustificationis*
^{6. c. 8.} ⁸*Ibid. c. 7.* *causa, est Dominus noster IESUS Christus*. Itaque Iustificatio, non
⁹ *Ibid. c. 9.* ex Operum nostrorum merito datur, ut Merces: sed ⁹*Gratis, Dei*
misericordia propter Christum: vel, ut Apostolus loquitur, *Gratis*
per gratiam Dei; *Roman. 3. v. 24. Dei enim donum est*; *Ephes. 2. v. 8.* Si autem Gratia, *Iam non ex operibus*: *alioqui Gratia*

iam non est gratia; Rom. 11. v. 6. Gratis ergo dari Iustificationem, idem est, ac Non ex merito nostro dari: Donum enim gratuitum, Merito opponitur.

Quæstio superest; An omni alia ratione, omnique modo excludantur Opera a Iustificatione, ita ut nullo omnino modo ad Iustificationem requirantur, ne quidem ut dispositiones? Et clarissimum est, non penitus ac omnimode excludi. Nam ad Iustificationem ita necessarius est Timor Dei, ut *Qui sine timore est, non possit iustificari; Eccli. I. v. 27.* Ita Charitas requiritur, ut *Qui non diligit, maneat in morte; I. Ioann. 3. v. 15.* Ita Pœnitentia adesse debet, ut *Qui pœnitentiam non agit, pereat; Luc. 13. v. 5.* Ita denique, ut cetera taceam, Iniuriarum condonatio exigitur, ut sine ea, *Peccata nobis a Deo non dimittantur; Matth. 6. v. 14.* Quid? nonne Iacobus Apostolus, ¹*Ex Operibus iustificari dicit hominem,* ¹*Iac. 2. v. 24.* et *non ex Fide tantum?* Nonne ²*Factores Legis iustificari,* docet S. ²*Rom. 2 v. 13.* Paulus? Nonne idem ipse Apostolus, ³*Omnem Fidem sine Chari-* ³*Cor 13. v. 2.* *tate nihili æstimat?* Et tamen, si Fides sine Charitate Iustitiam Dei obtineret, magni etiam sine Charitate æstimanda esset.

Verbo concludam: Elige fac, unum ex his duobus: vel ad Iustificationem nullo-modo sunt necessaria Bona opera; vel modo aliquo necessaria sunt. Si primum dicas: Ergo absque ulla Decalogi cura, Iustificatio constare potest: atque; ita Idololatræ, Periuri, Adulteri, Homicidæ, Iusti erunt Lutheranis. Si modo aliquo ⁴*Opera* ⁴*2. Thess. 1. v. 11.* *Fidei,* quæ scilicet Fides dictat faciendo, requiruntur ad Iustitiam: Ergo Fides Sola, sufficiens non est ad Iustificationem. Lumine enim naturæ constat, Id non esse sufficiens ad aliquem effectum, ad quem aliud necessarium est. Concludo igitur, Apostolum Paulum, verbis recitatis, non omnem Operum necessitatem excludere, sed aliquam determinatam, a Tridentina Synodo declaratam. Et male Lutheranos argumentari, *A dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.* Sicut ergo, aliqua christi cum Patre æqualitas, excluditur, quando ⁵*Pater maior illo* dicitur: omnis tamen naturæ ⁵*Ioan. 14. v. 28.* æqualitas non negatur. Aliqua notitia, Christus ⁶*Nescire* dicitur ⁶*Marc. 16. v. 32.* *Iudicii diem:* non tamen Divinæ scientiæ amplitudo arctatur. Ita Opera, modo aliquo ad Iustificationem non concurrere dicuntur: omnimoda tamen Operum necessitas, per hoc non excluditur.

III. Ita argumentaris: *Soli Fidei competit apprehendere Iustitiam in Verbo oblatam.* Sed quæso, ubi hoc in Scripturis? Ex Scripturis probationem promiseras; verba Scripturæ nulla recitas.

Fide credimus quæcumque Deus dixit: sed quod Fide Sola Deo adhærescamus, Scriptura non docet: imo Charitate, ac Obedientia mandatorum, Deo nos adhærere, sæpius docet; *Deuter. II. v. 22. Cap. 13. v. 4. Cap. 30. v. 20. Iosuæ 22. v. 5.*

Patres nominas, qui sola Fide iustificari homines dicunt.

¹ Hodegus
fol. 919.

Id, quo sensu recte dictum, in Hodego ¹invenies. Neque hic de Patribus agimus: sed, Quid tuorum dogmatum ex Scriptura probare possis, investigamus. Quæ de S. Iacobi verbis attexis, refutata invenies ²contra Balduinum. Alio enim digredi nolo: sed in eo solo hærere, Quid tu ex Scripturis monstrare possis? Et credo, tumet vides, nihil te ex Scripturis concludere: inanibus ratiunculis, Fabulas vestras fulcire.

SECUNDO: Probandum sumseras; Formalem Iustificationis Causam esse, Iustitiam Christi imputatam. Id vero hunc in modum probas:

³ Rom. 4. v. 5. Scriptura docet; ³*Credenti in Deum, Fidem eius imputari ad iustitiam.*

Si imputatur (inquis:) *Ergo non infunditur.* Ridiculus es. Fidem credentis imputari dicit Apostolus ad Iustitiam: Iustitiam Christi imputari, et ut Causam Formalem Iustificationis imputari, verbulo non innuit. Ita, quod probandum sumseras, non attigisti. Deinde, evidenter ostendi potest, iuxta Scripturæ phrasim, Id quod a Deo imputatur, inesse ei, cui imputatur: 1. *Fides eius, qui credit,*

⁴ Rom. 4. v. 5. imputari dicitur ad Iustitiam. At *Fides eius, qui credit,* inest credenti: Ergo quod inest, imputatur. 2. *Fides,* quia Abraham

⁴ Rom. 4. v. 3. ⁴*credidit, reputata* est ad Iustitiam. At Fides qua Abraham credidit, et 9. inerat ipsi, neque enim credere quisquam potest fide, quæ ipsi non inest. 3. Si, quod imputatur, non inest homini: Ergo peccata non insunt delinquentibus. Nam *Deuter. 23. v. 21. Cap. 24. v. 15.* in Peccatum reputari dicuntur, perperam facta: quod et *Rom. 8. v. 8. Psal. 33. v. 2.* innuitur.

Ex his liquido apparet: nihil eorum, quæ ex Scripturis probanda sumserat *Hyperaspistes*, in Scripturis reperi. Cetera ad quæ excurrit, non attingo: Id enim unum hic examino, An Lutherani, aliquid suorum dogmatum, in Scripturis reperiant?

Caput IV.

CERTITUDO PROPRIAEE SALUTIS ET IUSTITIAE, AN
DEI VERBO CONSTET?

Quæ sit hac de re Catholicorum sententia, disertis verbis exprimit Concilium Tridentinum. Nam, posteaquam explicasset de Dei promissis dubitandum non esse; subdit: ¹ *Nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum efficacia dubitat: dum vero propriam infirmitatem respicit, timere potest, cum nullus scire valeat Certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se Gratiam Dei esse consecutum.* Item: ² *Nisi ex speciali revelatione, scire non potest, quos Deus sibi elegerit.* Deinde: ³ *De Perseverantia, nemo sibi certi aliquid, Absoluta certitudine pollicetur: tametsi in Dei auxilio, firmissimam Spem collocare omnes debent.*

Hinc apparet: Salutis et Iustitiae propriæ, Solam Fidei certitudinem, Solam Certitudinem Absolutam, excludi a Catholicis; Firmissimam Spem non excludi.

Primo igitur; Certitudinem salutis propriæ Conditionatam, Fide Divina, cui falsum subesse non possit, credimus omnes: Eam enim Deus in Scriptura revelavit: ⁴ *Si permanserimus in bonitate, Dei bonitatem in salute experiemur; alioqui excidemur.* ⁵ *Si Spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus.* ⁶ *Si compatimur, et conglorificabimur.* Servator noster; ⁷ *Vos amici mei estis, inquit, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Mille aliis Scripturæ locis, ⁸ Conditionatæ promises extant. Itaque, Dei Verbo nixi, Firmissime credimus, nos salvos, nos Iustos, si facimus quæ Deus exigit; si perseveramus ad finem.

Secundo: Firmissimam ⁹ *Spei anchoram* constanter apprehendimus, et certitudine Spei acquiescimus in Christi mèritis, in misericordia Dei, ac fidelissimis promissis; quod qui cœpit opus bonum, perficiet, ac suæ nos felicitatis compotes reddet. Hac ¹⁰ *Spe gaudemus:* scientes, quia ¹¹ *Spes non confundit.* Et quamvis aliquo propriæ infirmitatis metu tangimur (nam Spei semper metus adnexus est:) non tamen eo hic metus spectat, ut fluctuemus, et ancipiti anxietate distrahamur: sed, ut ad assiduam vigilantiam, ac sollicitudinem vitæ sanctioris excitemur: ut indefesso studio, Dæmonis, Carnis, ac Mundi tentationibus obluctemur: ut vere coram Deo humiliemur, ac de nostris viribus diffidentes, opem

¹ Trident.
Sess. 6. c. 9.

² Cap. 12.

³ Cap. 13.

⁴ Rom. 11.
v. 22.

⁵ Rom. 8. v. 13.

⁶ V. 17.

⁷ Ioannis 15.

v. 14.

⁸ Vide 2.

Timoth. 2.

v. 12.

Hebr. 3. v. 14.

Deuter. 4. v. 29.

⁹ Hebr. 6.

v. 19.

¹⁰ Rom. 12.

v. 12.

¹¹ Rom. 5. v. 5.

gratiæ Divinæ imploremus. Sic itaque, Spei firmitatem retinendo, summo animi gaudio, et tranquillissima firmitate, felicitatem æternam præstolamur, suaviori sensu, quam qui a Lutheranis gustari possit.

Verbo dicam: Catholica Religio, Absolutam salutis et iustitiæ Certitudinem excludit, non Conditionatam. Fidei certitudinem semovet, non Spei firmitatem. Christi meritis, Deique misericordiæ ac promissis, haud titubanter adhæremus: sed propriæ infirmitatis conscientia nonnihil animum terret, et metu ipso excitat sollicitudinem in Salute quærenda.

Quidquid contra hæc Tridentina Decreta, a quopiam, scriptum, dictumve, id Catholicæ Ecclesiæ Fidem non attingit.

Responsi. ad Phosphor. fol. 437. Quod in *Baldino* notavi, id in nostro *Hyperaspiste* animadverto: Adeo ad veritatem Catholicam inclinat, ut re ipsa, discrepare non videatur.

Fatetur, I. *Multos renatos, ac fideles, gratia Dei excidisse: Scientes enim voluntatem Domini, et non facientes, a Christo aversos esse.* Hoc si ita est; evidenter sequitur, Numquam illos Fide Divina credidisse salutem suam: Numquam Dei verbis assecuratos fuisse de salute adipiscenda. Nam, quod Scriptura docet, quod Fide Divina credi debet, falsum esse non potest. Sed Lutheranum fidelem salvum fore, falsum esse potest. Ergo Lutheranum fidelem, salvum fore, Scriptura non docet, Divina Fide credi non debet. Si igitur multi fideles Lutherani, excidere possunt, imo exciderunt: quid ni possint alii, simili Fide prædicti? Certe, si fideles Lutherani qui exciderunt, Divina Fide non crediderunt salutem propriam, sed sola persuasione falsitati exposita: ceteri quoque Lutherani, simili Fide ac fidelitate conspicui, fallaci credulitate adhærescunt suæ salutis Certitudini.

1. Corinth. 10. v. 12. Fatetur, II. *Hyperaspistes;* Non eam esse in ipsis Salutis certitudinem, quæ timorem filialem excludat: *Semper enim, inquit, in oculis habemus illud, Qui stat, videat ne cadat, timemusque propter carnis infirmitates et tentationes.* Id ipsum nos contendimus. Et hinc, evidenter deducimus, Fide Divina salutem nostram credi non posse. Nam Divina Fides, Dei Verbis nititur, et id solum Fide Divina credi potest, quod Deus revelavit. Timeri autem non potest, ne ita non sit quod Deus dixit; nisi timeatur, ne Deus vel falli possit ignorantia, vel fallere velit mendacio. Uno verbo: Divinæ Fidei repugnat, ut falsum sit quod ea creditur: vel timeri possit, ne secus accidat quam creditur.

Fatetur, III. Certitudinem salutis esse, *Donec; id est, quamdiu, sectamur Iustitiam.* Si aliud nihil Lutherani velint, quam ut certo credamus, et nos, et alios Deo gratos esse, quamdiu sectantur iustitiam; non reluctamur. Nam apertum Dei Verbum est, *Iustum*^{1. Ioan. 3. v. 7.} *esse qui facit iustitiam.* Hæc tamen Certitudo non absoluta, sed Conditionata est; quam et nos ultiro profitemur.

Liquet ex his, Novos Lutheranos, se ipsa non aliud docere, quam quod Catholici affirmant: Nam et quibus Spem erigunt, Dei Verba, ac promissa, suo loco relinquimus universa.

Videamus porro, Verene *Hyperaspistes* dicat, *quoad literam, multis Scripturœ testimoniis probari, Salutis propriæ certitudinem.* Absolutam scilicet, et Fidei certitudinem, nam de certitudine Conditionata, deque Spei certitudine, non litigamus.

I. Argumentum: *Promittit, imo iurat Deus, Credenti, et paenitenti peccata remitti: Et eum, ¹qui sermonem Dei servat, mortem non visurum.* Ergo cum Deus verax sit, acquiescendum eius promissis. Respondeo: Promissis Dei, immota fide assentimur. Credimus, eum, qui Viva Fide, et per Charitatem operante (de hac enim Fide, loqui se, Deus ²ipse declarat) credit; quique, ut oportet, paenitentiam agit; ac sermones Dei servat: salvum fore, ³Si ad finem usque perseveret. Hinc tamen nihil-dum, de te *Hyperaspistes*, concludi potest; nisi hanc *Minorem* subsumas, quam silentio involvis: *Sed ego Viva Fide credo; Sermones Dei servo, et ad finem usque perseverabo:* Hinc demum inferre potes; *Ergo ego salvabor.* Verum *Minor* illa, in Scripturis non habetur: Neque tu eam nobis persuadere potes. Vides ergo, hic quoque, non de ulla veritate Scripturis Sacris expressa, sed de tua *Minore* litem esse. Quam ne tu quidem ipse veram esse credis: nam, secundum Fidem tuam, Sermones Dei tu non servas; quippe qui Præcepta Dei servare non potes. Deinde, ⁴et si tibi conscius de nullo esses,⁴ 1. Cor. 4. v. 4. non ex hoc Iustum te credere posses: qui enim iudicat, Dominus est: et cor humanum adeo ⁵inscrutabile est, ut nemo nisi Dominus illud plene norit. Hinc illa Scripturæ verba: ⁶Delicta quis intelligit? ⁷Quis potest dicere, Mundum est cor meum; purus sum a peccato? Et sæpe fit, ut ⁸Via viri recta sibi videatur, appendit ⁸Prov. 25. v. 2. autem corda Dominus. Sed etsi aliqua conjectura veritas *Minoris* constare posset: Conclusio tamen quæ infertur, veritatem Fidei non haberet. Notum enim est, ex primis Dialecticæ rudimentis, Conclusionem sequi debiliorem partem præmissarum. Quamobrem,

² Iacob. 2.
v. 20. 26.
Galat. 5 v. 6.
³ Matth. 24.
v. 13.

⁵ Jerem. 17.
v. 9.
⁶ Ps. 18. v. 13.
⁷ Prov. 20. v. 9.
⁸ Prov. 25. v. 2.

id ex Scriptura probari, et certo probari, nemo sanus credet, quod ex præmissarum altera incerta, ac ancipiti, deducitur.

¹Galat. 3. v. 27. II. Argumentum : ¹*Qui Baptizati sunt, Christum induerunt.*

²Ioan. 20. v. 23. ²*Quorum peccata remittuntur a Ministris Ecclesiae, remittentur eis.*

Atqui, ego Baptizatus sum, et privata Absolutione, privatim annuntiari audivi remissionem peccatorum : Ergo, etc. Doce, ut cetera. Qui igitur ex Lutheranis, omni flagitio se mersit; imo qui Turca factus sit, Argumentum hoc usurpare potest. Neque ego existimo id velle *Hyperaspistem*, ut, qui Baptizatus est, quique semel a Prædicantibus Absolutus, ac Coena refectus, eum tota deinceps vita, quidquid agat, Certum de salute esse, nam et ipsem affirmat, *Multos vere renatos, et fideles, vicissim gratia Dei excidisse.* Solvenda igitur et ipsi est hæc Argumentatio. Ad rem itaque dico: Promissiones Dei, conditionem locis aliis explicatam, tacite annexam habent; Si Sanctitati Baptismi, reliqua vita consentanea fuerit. Si cetera, quæ alibi ad salutem necessaria declarantur, ad finem usque constanter præstentur. Hoc igitur sensu accepta *Maiore*, ut aliquid concludatur, *Minor* illa subsumi debet: *Sed ego, cetera ad Iustitiam et Salutem necessaria præstiti hactenus universa, ac porro deinceps constanter ad finem usque præstiturus sum.* Hanc *Minorem*, si quis Lutherorum ex Scripturis probaverit, vicit. Agite itaque, locum edicite, in quo, magnifica hæc, nominatim de unoquoque vestrum legeritis; quæ nec ipsimet de vobis credetis, cum certi sitis, nullam Præceptorum Dei particulam, a vobis servari posse.

III. Argumentum: *Spiritus Sanctus testificatur interius in Cor-*

³Ioan. 1. v. 2. *dibus nostris, quod sumus filii Dei.* Respondeo: *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus.* Sed amabo; quo Scripturæ testimonio comprobabis, hoc tibi a Sancto Spiritu dari testimonium? Nam quod de quibusdam in Scriptura dicitur, id de te nominatim intelligi, unde constat?

⁴Ioan. 16. v. 23. IV. *Quidquid a Deo petimus, dabit nobis. Petimus remissionem peccatorum, dum Orationem Dominicam recitamus?* Ergo, etc. Si quis tota vita semel Orationem Dominicam recitarit, cetera proflique malus, aut etiam Turca factus; hoc argumento, certam sibi peccatorum remissionem vendicabit? o Stupor! Quod igitur antea dixi, itero: Generales hasce promissiones, annexam semper habere Conditionem, Si cetera a Deo requisita adsint: Hæc si desint, frustra Generalibus missis nos lactamus. Neque enim unicum aliquid a nobis Deus exigit, cum *ex integra causa bonum consurgat, malum ex*

quovis defectu. Sed aperte edicit: *Quicumque totam Legem servaverit,* ^{Iacob. 2. v. 10.} offendat autem in uno, factus est omnium reus. Sicut et illud, Iacobo Apostolo docente scimus; ¹ *Multa peti a Deo, quæ non obtinentur.* ^{1 Iacobi 4. v. 3.}

V. Argumentationem hanc in forma adfert: *Quicumque per veram Fidem Christo adhærent, illos non patitur bonus Pastor eripi. Ego renatus, adhæreo Christo per veram Fidem: Ergo non patitur me bonus Pastor Eripi.* Vedit Adversarius, dici ad hoc posse, *Multos vere renatos, ac fideles, Gratia excidisse;* ideoque subdit, *Illos destinata malitia cecidisse. Ego vero, ait, constanter adhærebo Deo meo.* At quis non videt, ex Scripto Dei Verbo probari non posse, *Constanter te Deo adhæsurum?* Quis enim te de hac constantia certum reddidit? Quod aliis tibi similibus, hoc est, fidelibus Lutheranis accidere potuit, licet æque certi de salute sua fuerint, ac tu; quid-ni possit et tibi evenire? Forte-an, cum Pharisæo dices; *Non sum sicut ceteri hominum?* Vides hic quoque, non de Scripturarum doctrina, sed de tua *Minore* litem esse; quæ in Scripturis non est; Fabula tua est.

Sed, ut ad Argumentum directe respondeam, Maior illa quam ponis, eo dumtaxat sensu vera est, quo Deus ipse in Scripturis ^{Iacob. 2. v. 20.} explicavit: videlicet, Qui viva, et per Charitatem operante Fide, ^{26. Gal. 5. v. 6.} Deo adhæret, nec sponte avellitur a Deo, non rapietur, alias, ^{2 Qui} ^{2 Lucæ 8. v. 13.} *ad tempus credit, et in temptatione recedit,* perire potest. Iam si audes, subiunge Minorem: *Sed ego viva, et per Charitatem operante Fide credo; nec umquam sponte mea a Deo avellar.* Et, si vir es, ubi hoc in Scripturis habeatur, ostende: actutum fatebimur, Certum te de Salute tua esse debere. Fatemur itaque, *Dei dona* ^{Rom. 11. v. 29.} *sine paenitentia esse:* Fidelitatem, ac potentiam Dei, firma fide credimus: Illud solum veremur, ne nos ex parte nostra, vel non præstiterimus hucusque, vel porro deinceps præstituri non simus, quæ a nobis requirit Deus: Spe tamen firma, ac voluntate obfirmata, Dei benignitati innitimus; nec metus filialis anxie fluctuantem animum relinquit. Sed ³ *Spe gaudentes, gloriamur in Spe filiorum Dei;* ac, ⁴ *Multam fiduciam habentes,* futurae beatitudinis ^{3 Rom. 12. v. 12.} ^{cap. 5. v. 2.} ^{4 1. Timot. 2. v. 13.} expectatione erigimur.

Stultiæ plena sunt omnia, quæ ad calcem Scriptionis *Hyperaspistes* blatit. Nescit, qua ratione Catholici Deum nominent Patrem, ac in Symbolo Peccatorum remissionem profiteantur, nisi de Salute sint certi. Quasi vero, omnes qui filii Dei audiunt, ^{1. Ioan. 3. v. 2.} salvandi sint: Et, qui Rémissionem peccatorum credit a Deo dari

recte pœnitentibus; absolute, et absque conditionibus Scripto Dei verbo expressis, remissionem promiscue dari credat. Nescire se et illud fatetur *Hyperaspistes*, quem usum habeat filialis ille Metus, quo salutis securitatem amputamus. Sed iam diserte diximus, metu isto, sollicitudinem curandæ salutis exacui, diligentiam excitari, libertatem carnalem refrenari: uno verbo, id effici, quod Apostoli

^{Philip. 2. v. 12.} monent, *Ut cum metu et tremore salutem nostram operemur.*
^{1. Petri. 1.v.17.}

Subnectit *Hyperaspistes*; Multa esse Catholicorum placita, quibuscum cohærere non possit incertitudo salutis propriæ. Sed mera nugamenta dicit. Docent Catholicæ, per gratiam Dei Legem impleri posse: Sed hunc, vel illum certo de se scire posse, quod impleverit, et ad finem vitæ perseveranter implebit, nemo nostrum docet.

^{1 Ps 18. v. 18.} Identidem enim animo obversantur, Dei Verba; ¹ *Delicta quis intel-*
^{2 Prov. 20. v 9.} *igit? 2 Quis potest dicere, Mundum est cor meum?*

Originis peccatum, per Baptismum tolli dicimus: At post Baptismum te non deliquisse, nec porro deinceps ruiturum, qui scias?

Facienti cum gratia Dei, quod in se est; Deus miseretur: At quis te certum reddet, nullo prætermisso, omnia fecisse, quæ cum gratia Dei fieri a te debuerunt?

Si quis Deum diligit, charitate quam Deus exigit, ex toto corde scilicet, et ex tota anima, ex omnibus viribus; certum est,

^{3 Ioan. 14.v.21.} *eum diligi a Patre.* Dic tu sodes, quis certum reddet, te, vel illum, hoc gradu Deum amare? Declaravit Christus, quis ille sit

^{4 Ioan 14.v.21.} qui diligit Deum; ⁴ *Qui servat mandata mea, ille est qui diligit me.* Aude dicere, te talem esse.

Opera supererogationis, reperiri in Dei servis quibusdam, non abnuimus: Sed quis ille sit, qui et debita expletat integre, et adiicit quæ præcepta non sunt, solus novit, qui corda novit.

Ingressus in Religionem, Indulgentiarum externa usurpatio, sine vera ac perfecta Charitate et Pœnitentia, peccata non relaxant.

Pro veritate Catholicæ Religionis, libenter animas oppignoramus, eo quod, Catholicæ veritatis certitudinem, immota fide credimus: ex eo autem, propriæ Salutis certitudo Absoluta, colligi non potest; Conditionata potest: Si nimis Fidei conformiter vivatur.

Ob excellentes virtutes, ac miraculorum gloriam, in Sanctorum Catalogum quidam referuntur: ex quo, nullo colore sequitur, quemlibet de salute sua certum esse.

Quod Iesuitæ, de Societate Iesu esse dicantur, quid mirum? Commune id est omnibus Christianis, quos Sanctus Paulus, in

Societatem Iesu vocatos asserit: nec inde tamen recte inferas, 1. Cor. 1. v. 9.
Christianos omnes de Salute certos esse.

Attuleram verba illa S. Pauli. ¹*Ego castigo corpus meum,* ^{1. Cor. 9.}
et in servitutem redigo: ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse
reprobus efficiar. Dicebamque fas non esse, in iis quæ Fide divina
credimus, particulam (*Forte*) usurpare. Nam, ut Augustinus ait,
²*Salva Fide dicere possumus, Forte talem habuit faciem Maria:* ^{2 August. lib. 8.}
Forte autem de Virgine natus est Christus, nemo salva Fide Chri- ^{de Trinit. c. 5.}
stiana dixerit. Nemo Christianus dicet: Forte erit Resurrectio mor-
tuorum; Forte erit Iudicium. Et qui de salute sua Divina Fide
certus est, metuere non potest, ne forte damnetur. At inquit:
Papistæ multi, Paulum ex peculiari revelatione certum fuisse dicunt ^{Vide in 1. Cor.}
de salute sua. Scio quosdam ita sentire: Sed et illud scio, S. Gre-^{9. v. 27 Corne-}
gorium, aliosque ex hoc ipso loco colligere, Paulum non habuisse
revelationem de salute sua. Locum vero Rom. 8. v. 38. 2. Timoth.
4. v. 7. de Spe certa explicare. Sed esto, concedamus Sanctum
Paulum peculiari Dei revelatione de salute sua edoctum: nihil
minus de salute sua loquens, particulam (*Forte*) addere potuit: Vel
quia, non quid ipse ex peculiari revelatione noverat, sed
quid ex communi et ordinaria Lege timere poterat, consideravit,
et expressit: Vel quia, idæam boni Pastoris in seipso exprimere
volens, aliorum personam in docendo induit; et ex eorum per-
sona, quid unicuique faciendum sit, indicavit.


Insulsum vero est, quod ultima Scriptoris suæ linea *Hyper-*
aspistes monet, *Ut cum Lutheranis, Pater noster concludamus: Quia*
tuum est Regnum, et potentia, et gloria in sæcula sæculorum. Amen. Nam, In primis; Ex Lutheri, et Concordiæ Lutheranæ præscripto,
totum illud ab Oratione Dominica excludendum. Extat in Libro
Concordiæ Maior ac Minor Cathechismus Lutheri; In utroque,
finalis illa clausula expungitur. Et licet Iureiurando sese Prædi-
cantes Lutherani, qui apud nos degunt, Libro Concordiæ addicant;
tamen contra eius normam recitant eam Orationis Dominicæ
appendicem. Deinde; Licet post Lutheri exortum, in quibusdam
Latinis S. Matthæi versionibus, addita sit illa clausula: Hodieque ^{Matth. 6. v. 13.}
tamen, apud S. Lucam, in nulla omnino editione, appendix illa ^{Lucæ 11. v. 4.}
habetur. Eam igitur non excludimus, quasi falsam, vel Deo indi-
gnam: sed quod Lucas Evangelista excluderit; quod ante Luthe-
rum, omnia Latina exemplaria, imo Beza teste, etiam Græca non- ^{Beza, in Matth.}
nulla, eam expunxerint apud Sanctum Matthæum. ^{6 v. 13.}

CARDINALIS PASMANNI
AD
PONTIFICEM URBANUM VIII.
ANNO M.DC.XXXII.

LEGATI CÆSARII ORATIO

PRO SUPPETIS CONTRA SUECUM ET SAXONEM;
UBI IUXTA
DE CAUSSA VERA BELLI IN GERMANIA, ID EST, DE IURISDICTIONE PONTIFICIS IN
SEPTENTRIONE RESTITUENDA ET STABILIENDA.
ADIECTA EST AD CALCEN EPISTOLA EIUSDEM AD BORGESIUM ET ALIOS CARDINALES
APOLOGETICA, PRO SUSCEPTA HAC AD AULAM ROMANAM LEGATIONE CÆSARIA.

RECENTUIT
IOANNES KISS,
IN THEOLOGICA FACULTATE UNIVERSITATIS BUDAPESTINENSIS
PROFESSOR



BUDAPESTINI
TYPIS REGIÆ SCIENTIARUM UNIVERSITATIS
MDCCCCIV

Quando in bello triginta annorum ex parte Saxoniæ, Borussiæ, Pomeraniæ et Brandenburgiæ, præcipue vero Adolphı Gustavi regis Sueviæ cum Galliæ rege Ludovico XIII. fœdere iuncti et sacro imperio Romano, et domui Habsburgianæ, et ipsi rei catholicæ in Germania maximum imminebat periculum, Ferdinandus II. imperator et Hungariæ rex anno 1632. cardinalem Petrum Pázmány archiepiscopum Strigoniensem qua legatum extraordinarium ad pontificem Urbanum VIII. misit, ut ab eo iuvamen materiale amplum et auxilium morale potens efflagitaret. Cardinalis in hac causa 6. Aprilis dicti anni a pontifice receptus, ad eundem orationem instituit, quæ hic publicatur.

Quoniam vero cardinales Romani dignitatem cardinalitiam cum munere legati cuiuscunque, etiam primi inter omnes principis sacerdotalis incompatibilem iudicarunt, ideo Petrus Pázmány 14. Aprilis ad omnes cardinales Romæ degentes epistolam direxit, in qua munus suum defendit. Hæc epistola orationem ad pontificem habitum sequitur.

Oratio et epistola publicabantur linguis Latina et Germanica, mox solummodo Germanica, anno 1632., sine loci indicatione. Exemplaria ambos textus continentia custodiuntur in museo Bruckental Vratislavii et in bibliotheca civitatis Vratislavii; dein exemplar cum textu Germanico solo in eiusdem civitatis bibliotheca.

Sanctissime Pater.

Cæsaria Maiestas et de præsentibus Germaniæ, imo Catholicæ religionis et ordinis Ecclesiastici in Septentrione calamitatibus et immimenti mole tempestatum certiorem antea reddidit Sanctitatem Vestram. Quoniam tamen immane quantum indies crescunt pericula, quibus nisi in tempore occurratur, medicinam paulo post vix admissura videantur: Quocirca Sanctitatem Vestram tanquam universalem oivilis Christi pastorem non solum de ruinis impendentibus diligenter et ex fundo informare, verum etiam instanter rogare voluit, ut paternas solicitudinis curas ad defensionem Septentrionis extendere velit. Licet enim Maiestas sua, imo cum Rege Catholico tota domus Austriaca opes et vires omnes impendere non dubitent, ut mala imminentia caveantur: eo tamen progressa videtur Acatholicorum totius Septentrionis arctis foederibus sociata potentia, ut nisi Sanctitas Vestra modis extraordinariis remedia haud ordinaria admoverit, principumque Catholicorum animos et vires ad communem defensionem authoritatis suæ pondere flexerit, metuendum videatur, ne in Septentrione Catholica religio et ordinis Ecclesiastici dignitas pessumdetur. Inprimis enim duodecennario superiorum annorum bello, quod Acatholicorum conatibus reprimendis et avitæ fidei propugnandæ impensum est, usque adeo Cæsarium ærarium sumtus magnitudine attenuatum, regna etiam et provinciæ hereditariæ exhaustæ sunt, ut ad imminentis belli molem nullo modo sint suffecturæ, bellum etiam atrox, si unquam antea, et formidabile geritur cum hostibus victiorum magnitudine insolentissimis, occupatarum provinciarum divitiis opulentissimis. Nam et omnes omnino totius Septentrionis Acatholici in hiis belli societatem coierunt, et vero tot ac sane amplos principatus Ecclesiasticos huc usque occuparunt, ut solis

illorum opibus bellum continuare posse videantur. Siquidem Moguntinus, Bambergensis, Heribolensis, Paderbornensis, Wormatiensis, Spirensis, Fuldensis, Aichstetensis, Magdeburgensis, Pragensis, Halberstadiensis, Hallensis, et quamplurimi alii Principatus una cum amplissimis dominiis Magistri Teutonicorum (ut de quamplurimis Abbatii, Præposituris, collegiis cæterisque minoribus Sacerdotiis nil dicam) prædæ hostium cesserunt, et tanta quidem religionis Catholicæ clade, ut ubi antea sola fides Catholicæ florebat, ibi nunc Acatholici palam blasphement. Et licet in his initiis non adeo immaniter sæviatur in Catholicos, ut spiritus hæreticus sævit, nec penitus exercitium Catholicum amoveatur, id tamen consueto artificio fieri dubitare nemo potest, qui genium hæresis noverit, quod, ubi pedem fixerit, id ipsum factura sit, quod huc usque fecit, quando clavum tenuit. Quid? quod potentissimus hostis suis non contentus viribus Turcas, Tartaros, Moscum ac Transsylvania magna spe obiecta, solicitat importunissime, ut Cæsar's provincias invadant a tergo, vires Christianas distrahanter vastitate provinciarum, et Cæsar's opes attenuent. Id quod futurum non sine fundamento viri prudentes augurantur. Denique ne quid ad summam fraudem desiderari possit, armatae potentiae cuniculos infigendo, Catholicæ quoque Imperii membra et a se mutuo et a capite separare hostis laborat, quo facilius singulos opprimere possit, quos non superasset universos. Neutralitatem enim Suecus offert Principibus Catholicis, sed et iniquissimis omnino conditionibus, et ad certum tempus, donec ulterior tractatus constituatur. Quem sane tractatum non nisi rebus sub potestatem redactis instituere volet, et in eo tractatu, nisi Catholicæ præscriptas ab hoste conditiones subeant, hoc est, nisi renuncient Episcopatibus, collegiis, monasteriis, et quod ius habent, nisi ad Ecclesias Cathedrales Lutheranos admittant, nisi Lutheranis conscientiam permittant, haud dubie retractabit, abnuentes ad arbitrium coget, efficietque ut ad nutum superbissimi victoris Ecclesiasticorum Principum authoritas subigatur, et domus Austriaca, quam solam metuunt, deprimatur. Quod si (quod Deus nolit!) perfecerit hostis, verendum, ne veterum Gallorum * et Vandalorum more, hi quoque Galli et Vandali, qui nunc Germaniam vastant, eo furore excurrant, quo et instinctus se suus trahit, et non levibus indicis cognita destinatio illos impellit. Certe quod in nupero Helvetiorum conventu Badensi

* fortasse
Gothorum.¹

¹ Adnotatio hæc marginalis in editione d. 1632. legitur. Dr. K. I.

Suecus postulavit, non obscure indicat, Italiam ipsum cogitare, adeoque vulgo notum est, Suecum passim iactitare, restituturum se Romani Imperii sedem, si Rex Romanorum nominaretur. Atque ut superstitione populorum ardor inflammetur, passim circumferuntur veterum prædicantium prædictiones, quibus ad annum M.DC.XXXVI. sedi Apostolicæ denunciarunt cladem. Quæ, etsi nullius in se momenti, animis tamen rudis populi spe et furore imbuendis mirum quam deserviant. Quæ omnia quo tendant, nemo non videt. Et certe fractis et subiugatis Catholicis Germaniæ (absque ulla cuiuspam læsione dictum sit), nulla est ullius nationis gens, quæ conspirantjum populorum Germaniæ impetum frangere possit. Probe novit Maiestas Cæsaria non deesse homines, qui affectibus in transversum acti existiment, atque aliis etiam persuadere laborent, bellum hoc Germaniæ mere politicum esse, cui caussa religionis connexa non sit, seu, quod idem est, ad solam domus Austriacæ potentiam infringendam bellum geri, salva omnino religione. Quæ non alio fine dicuntur, quam ut eos, qui caussam communem potenti auxilio iuvare possent, imo deberent, ociosos publicarum calamitatum spectatores efficiant. Verum qui confederati huius belli originem ac progressum, qui domus Austriacæ in Germania oppressionem, ad quam hostis anhelat, animo pensitaverit, facile huius figmenti vanitatem deprehendet. Nam in primis Dux Saxionæ et eius foederati ea vel sola, vel præcipua caussa arma sumserunt, eo consilio Suecum evocarunt, ut turbarent Edictum Cæs. Mai. a Sanctitate Vestra tantopere laudatum, quo Ecclesiasticorum bona per vim erepta repetebantur. *Pacatum Imperator Germaniam habere poterat, si Edictum illud publicare supersedisset. Caussa itaque concitati belli, religionis fuit caussa.* Progressus belli quid aliud, quam ruinam Ecclesiastici ordinis, hoc est, ipsius Catholicæ religionis oppressionem induxit, prout Episcopatus occupati testantur. Hoc enim bellum hæresium propugnatores Catholicis templis intulit, religiosas familias sedibus exclusit, facultates Ecclesiasticorum occupavit; quid futurum existimamus, si domus Austriaca in Germania prematur? Austriacæ provinciæ si recte aestimentur, mediam Germaniæ partem constituant, omnes per Dei gratiam hæreticis Doctoribus purgatae sunt, subditi fere omnes Catholica fide imbuti, sed nondum satis firmati. Qui ne rursus relabantur, si domus Austriaca pressa fuerit, vehe menter pertimescendum.

Quæ cum ita sint, Sanctitatem Vestram, de *cuius iurisdictione Ecclesiastica in Septentrione vel amittenda vel stabienda agitur*, Cæs. Maiest. omni qua par est, veneratione per me orat, ut maximis hisce periculis paterna solitudine præsens medicamen admoveat. Meminerit Sanctitas Vestra, quid in talibus imo longe inferioribus periculis pii et solliciti Pontifices ante Sanctitatem Vestram præstiterint, quas suppetias et arma ad defensionem religionis et populi Christiani contulerint, quæ fœdera contraxerint. Dignum sublimitate animi Sanctitatis Vestræ, dignum sanctissimo zelo, dignum laudata omnibus prudentia opus erit, si Sanctitas Vestra in quorum locum et sedem successit, eorum gloria vestigia premat, et cum per latus Imperatoris et Principum Catholicorum sedibus pulsorum iugulum Sponsæ Christi Ecclesiæ petatur, ad hunc omnium infidelium coniuratorum impetum retundendum vires omnes impendat.

Ut vero clare et distincte loquar, sicut Cæs. Maiest. de sincero Sanctitatis Vestræ zelo ita persuasa est, quod nihil illorum intermissura sit, quæ in tam arduo et difficiili negocio ab ipsa proficisci poterunt, ita vicissim nihil a Sanctitate Vestra petit, quod ab ea non posse fieri existimet. Primo igitur impense Sanctitatem Vestram orat Sua Maiest., ut pro rei magnitudine competentes sumtus bello subministrare velit. Hanc enim Catholicæ religionis et Principum Ecclesiasticorum gerendo defensionem contra infideles, unam ex iis caussis iudicat Mai. Sua, in quibus non solum abditi et ad gravia pericula sepositi thesauri, sed et initia Ecclesiæ vasa merito impendi possint. Et quemadmodum antea, ubi voluntas non defuit, adfuit semper piis Pontificibus facultas in similibus: ita de summa Sanctitatis Vestræ Sapientia persuasa est Cæs. Mai., ut si ullus alias, certe Sanctitas Vestra inventura sit vias succurrendi expeditas et periculo pares, præsertim cum merito timeri possit, ne si tarda et infirma adhibeantur medicamenta, malum evadat immedicabile. Secundo revocat in memoriam Mai. Cæs. Sanctitati Vestræ ea, quæ iam ante sæpius dixerit, qualiter Rex Christianiss. post pacificationem Ratisbonensem, fortalitium, Pignarolium dedi sibi curavit, passus Rheticos et Mayenvicum occupavit, fœdere cum Rege Sveciæ inito, quomodo consilio et authoritate sua progressus ipsius adiuverit, et, quod gravissimum est, etiamnum Catholicos S. Rom. Imperii Principes et Status variis modis solicitat, ut contra fidem iuramenti, quo Cæsari obstringuntur, cum Sueco transigant, operam et auxilium Cæsari denegando. Rogat igitur

Mai. Cæs., ut Sanctitas Vestra sollicitudinem suam eo convertat, ut Rex Christianissimus a perniciose foedere Suecico divellatur, et pax Ratisbonæ conclusa inviolata per omnia custodiatur; denique, si par sit ratio, ut honestis et religioni Catholicæ et Suæ Mai. non præiudicantibus conditionibus universalis et tuta pax firmetur, Sanctitas Vestra ad eam conficiendam paternam curam admoveat. Tertium illud quam poterit diligentissime a Sanctitate Vestra Cæsar petit, ut authoritatis suæ pondere Reges et Principes, Respublicasque Catholicas eo flectat, ut, quemadmodum Acatholici omnes ad exitium Rom. Imperii, adeoque Catholicæ religionis coniurarunt, ita vicissim Catholici omnes una cum Sanctitate Vestra tanquam capite defensivum fœdus ineant. Fuit hoc semper in usu positum, ut in communibus periculis pii Pontifices nominis sui authoritate Principes Catholicos ad iusta fœdera excitarent, adeoque ipsimet inter fœderatos primum locum obtinendo cæteros exemplo promoverent. Ad idipsum faciendum ut Sanctitas Vestra semet-ipsam exorari patiatur, maiorem in modum Cæsar optat. Formulas fœderis, quas Maiest. Sua et Rex Catholicus ineunt, Sanctitati Vestræ repræsento. Et quemadmodum cæteros Principes Catholicos ad societatem huius fœderis Sua Mai. invitat, ita Sanctitatem Vestrā rogat, ut fœderis huius author esse, exemploque et salutariibus monitis ad illud alios excitare velit: Interea vero dum hæc animorum et virium coniunctio tractatur, præsentibus necessitatibus præsentem opem Sanctitas Vestra conferre velit.

Hæc sunt, Beatissime Pater, quæ Sanctitati Vestræ fideliter referenda Mai. Sua mihi commisit, de quibus omnibus uberiorem informationem datus sum, si necessitas exegerit. Nunc vero quod oretenus Sanctitati Vestræ exposui, scriptotenus etiam exhibeo, ac Sanctitati Vestræ iterato filialis observantiæ venerationem Suæ Mai. nomine quam humillime defero, etc.

EPISTOLA

EIUSDEM AD BORGESIUM CARDINALEM.

Eminentissime ac Reverendissime Domine, Patrone
observandissime.

Intermittere non possum, quin molestum animi mei sensum
Eminentiae Vestrae detegam. Nunquam enim in mentem mihi venit,
ut hic meus ad urbem adventus vel Sanctitati Domini nostri Papæ,
vel Cæs. Mai. aliquam molestiam sit creatorus, sed nescio quo
meo infortunio, certe non errore vel studio contrarium accidisse,
vehementer doleo. Res ita habet. Cum Sanctitati Suæ literas Cæs.
Mai. redderem, Sanctitas Sua dixit, se acceptare et aperire literas
Cæsaris non posse, si in iis ego legatus appeller, siquidem infra
dignitatem Cardinalitiam sit, ut legatione fungar. Sed ex meo
scripto, quod ut summarium legationis meæ Sanctitati Suæ exhibui,
legationis nomen, me spectante, calamo delevit Sanctitas Sua.
Ego ad hæc nihil aliud dixi, quam antea quoque usitatum fuisse,
ut a Magnis Principibus Cardinales mitterentur ad Sedem Apo-
stolicam. Cum vero Sanctitas Sua subiunxisset, ignorantes fuisse,
qui id fecerint, Ego nihil aliud respondi, quam me non esse mis-
sum a Sua Mai., ut hac de re disceptarem, sed ut pericula Ger-
maniæ exponerem et opem Sanctitatis Suæ implorarem. Horum
aliquid ego nulli mortalium significavi, imo ne alicui disgustus
nasceretur constitutum habui, tantisper silentio rem tegere, donec
relatio legationis meæ facienda foret. Cæterum ubi hac ipsa de
re passim sermones in Aula Pontificia seri audivi, imo per Secre-
tarium S. Consistorii denuntiatum itellexi Eminentissimis Dominis

Cardinalibus, ne me pro legato Cæsario agnoscerent, vehementer fui perplexus, cum una ex parte singularis mea in Sanctitatis S. Veneratio alti silentii dissimulationem suadebat: altera ex parte verebar, ne honoris mei (quem vitæ antepono) iacturam faciam, Cæsarisque indignationem incurram, si præpostero silentio rem transigam.

Quo circa ad Eminentiam Vestram recurro, eandemque impense rogo, non tantum ut Ego tanto dedecore non afficiar, verum etiam ne Cæsaris authoritas circumscribatur. Innumera extant exempla, non solum quod Cæsares, sed et quod Reges alii legatos sive Oratores sive Ambasciatores (neque enim de nomine hic laboratur) ad sedem Apostolicam Cardinales destinaverint, atque etiam de facto in Curia Romana Regis Catholici legatus sive Ambasciator Cardinalis est. Neque vel a Cæsare mitti, vel ad Sanctitatem Suam pro negotiis gravissimis expediri quicquam habet indecorum, et dignitate Cardinalitia indignum. Vidi mus Cardinales Vice-Reges, Vidi mus Regum nomine gubernatores provinciarum, vidimus consiliarios, vidimus pacis conficiendæ commissarios, et, quod mirabilius est, vidi mus Cardinales nomine Regum Generales belli duces, et quidem contra Principes Catholicos, utpote in bello, de cuius iusticia quæri potest. Quod si hisce functionibus læsa non videatur dignitas Cardinalitia, cur lædetur, si Cardinalium opera utantur Cæsar et Reges, ut suo nomine sedem Apostolicam convenient, informent et orent? Consideret quæso Eminentia Vestra, ideo Cardinales nationales ceu vasallos suos a Cæsare et Regibus nominari, ut opera illorum uti possint in gravissimis et maximis functionibus. Consideret, quam delicata res sit, magnorum principum authoritatem circumscribere velle in iis rebus, quarum usum exempla maiorum ipsis concedunt. Consideret, quam importuno tempore odiosa hæc nec unquam antehac mota quæstio excitetur, efficiatque ut alio tempore hæc discutienda reponatur. Certe variis et quidem mundi interpretationibus expositu erit, cur hoc tempore, hac occasione lis hæc excitetur, de qua præmoniti antea principes non fuerunt, cur ab executione, cur cum dedecore Cardinalis et Primatis Hungariæ incoëtur.

Ego quidem iam ad Suam Maiestatem hac de re scripsi, statim atque publicationem ex aula Suæ Sanctitatis factam intellexi. Quicquid Sua Maiestas hac in re mihi iniunxerit, punctualiter exequar. Interim nunc coram Eminentia Vestra protestor, me

nihil indignum commisisse, ob quod legatione a Cæsare mihi commissa Cardinalitio exui merear: sed neque me consentire posse, aut debere, ut authoritas Suæ Maiestatis ex eo imminuatur, quod usus et exempla Cæsarum et Regum roborarunt. Atque iccirco me tantisper pro Cæsare legato vel Oratore, vel Ambasciatore (hæc enim omnia idem significare, usus probat) gerere velle, donec a Sua Maiestate Cæsar. contrarium fuerit ordinatum: Neque existimo Suæ Maiestati ingratum fore, si seorsim coram singulis Eminentissimis Dominis Cardinalibus hæc eadem repetiero, quum aliter nec honori meo consulere, nec Cæsaris indignationem evadere possim. De cætero

Eminentissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Vestræ

servus humilius

CARDINALIS PASSMAN.

INDEX.

IN TERTIAM PARTEM SUMMÆ THEOL. SANCTI THOMÆ AQUINATIS
SEU DE SACRAMENTIS IN SPECIE: DE BAPTISMO, CONFIRMATIONE
ET EUCHARISTIA.

	Pagina
QUÆSTIO LXVIII. De suscipientibus Baptismum	5
ARTICULUS I—VIII. An et quomodo Baptismus sit necessarius Adultis?	5
" IX. An pueri ante usum rationis sint baptizandi?	10
" X. An filii infidelium invitatis parentibus possint baptizari?	16
" XI—XII.	24
QUÆSTIO LXIX. De effectibus Baptismi	24
<i>Dubium I.</i> Quis sit effectus baptismi Christi et Ioannis?	24
" <i>II.</i> An recedente fictione Baptismus gratiam conferat?	31
QUÆSTIO LXX. De circumcitione	35
" LXXI. De cærimonii Baptismi	38
" LXXII. De Sacramento Confirmationis	40
" LXXIII. De Sacramento Eucharistiæ secundum se	47
ARTICULUS I. An Eucharistia sit Sacramentum?	51
<i>Dubitatio unica.</i> Quid sit id, cui proprie convenit Sacramenti Eucharistiæ ratio?	52
ARTICULUS II. An Sacramentum Eucharistiæ sit unum specie?	59
" III. An Eucharistia sit necessaria ad salutem	65
" IV. et V. An institutio huius Sacramenti fuerit conveniens?	77
" VI. An agnus Paschalis fuerit præcipua figura huius Sacramenti?	80
QUÆSTIO LXXIV. De materia Eucharistiæ	83
ARTICULUS I—IV. An panis triticeus, azymus determinatae magnitudinis sit materia huius Sacramenti?	83
<i>Dubium I.</i> An triticeus panis sit materia huius Sacramenti?	83
" <i>II.</i> An panis, qui est materia Eucharistiæ, debeat esse azymus	90
ARTICULUS V—VIII. An vinum vitis aquæ mistum sit materia Sanguinis Domini?	100
<i>Dubium I.</i> An aqua convertatur in sanguinem?	103
" <i>II.</i> An præceptum divinum sit unam speciem sine alia non consecrare?	105
" <i>III.</i> De præsentia et magnitudine materiæ consecrandæ	109

	Pagina
QUÆSTIO LXXV. De conversione panis et vini	112
ARTICULUS I. An in hoc Sacramento sit vere corpus Christi ?	112
<i>Dubium I.</i> An vere et realiter præsens sit Christi corpus in hoc Sacramento ?	113
" <i>II.</i> Quando incipiat in Eucharistia esse præsens corpus Christi ?	140
" <i>III.</i> An unum corpus in pluribus simul locis possit constitui ?	148
ARTICULUS II., III., IV., V., VI. De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi	159
<i>Dubium I.</i> An tota substantia panis et vini desinat esse, convertaturque in corpus Christi ?	159
" <i>II.</i> Quæ sint necessaria ad veram conversionem ?	177
" <i>III.</i> An terminus formalis actionis conversivæ substantiæ panis sit aliquid substantiale ?	184
 LIBELLUS APOLOGETICUS PRO SOCIETATE IESU HUNGARICA AD PROCERES REGNI HUNGARIÆ	189
 PENICULUS PAPPORUM APOLOGIÆ SOLNENSIS CONCILIABULI	197
 <i>Prologium ad prædicantes, apologematis architectos</i>	201
<i>Candido lectori salutem</i>	204
CAPUT I. Origo et status controversiæ, cum elenco rerum tractandarum	206
CAPUT II. Augustana confessione absentiente, electi a cæteris abrogatis Ministris, Superat- tendentes	213
CAPUT III. Prædicantes, sine legitima vocatione, ultronea arrogantia, in ecclesiam irrepssisse, profanos esse	221
Tria argumenta vanitatis novi ministerii novatorum	224
CAPUT IV. Rectissime ab illustris. Cardinali dictum, spissis erroribus docendis adstringi Superattendentes	243
Primus error Concordiæ	245
Secundus Concordiæ error	249
Tertius Concordiæ error	252
CAPUT V. Contra Divina ac humana iura egisse Prædicantes, cum Censu Cathedralicos, etc. ad se derivarunt	255
De illegitima Concilii inductione	255
De Censu Cathedratico interverso	259
De Causis fori Ecclesiastici usurpatiis	263
CAPUT VI. Nihil ab illustriss. Cardinali contra leges perpetratum	266
APPENDIX. In qua, anonymi Sycophantæ glomeratae criminaciones, infabre comissæ fabellæ, in Pontificem Max. e triviis compotabilibus mutuatæ, ac rhythmis Pannonicis cantitatæ, iugulantur	272
Tria mendacia, quæ suffundat narrationi Anonymus	273
Mendacia de Consiliis Papæ	278
Mendacia circa necem Bocskai	286
 LOGI ALOGI	286
 <i>Anicambulum ad lectorem, cum ordine dicendorum</i>	291
PROLUSIO. Querelæ, vulpinationesque prædicantice lævi spongia detersæ	294
§. 1. Querela duplex	294
§. 2. Triplex Vulpinatio	300
PENICULI PROLOGIUM ad prædicantes, apologematis architectos	307
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	309

	Pagina
PENICULI CAP. I. Origo et status controversiae, cum Elencho rerum tractandarum	311
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	319
PENICULI CAP. II. Augustana Confessione abstinentie, electi a cæteris abrogatis Ministrii Superattendentes	332
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	340
PENICULI CAP. III. Piædicantes, sine legitima vocatione, ultronea arrogantia, in Ecclesiam irrepsisse, profanos esse	351
Tria argumenta vanitatis novi Ministerii Novatorum	354
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	372
§. 2. Primum Argumentum Vanitatis Lutherani Ministerii	376
§. 3 Secundum Argumentum Lutherani Ministerii	382
§. 4. Tragica Lutheri cum Diabolo Monomachia	386
Disputatio Diabolica	387
§. 5. Tertium Argumentum Vanitatis Lutherani Ministerii	392
PENICULI CAP. IV Rectissime ab Illustrissimo Cardinali dictum, spissis Erroribus docendis adstringi Superattendentes	405
Primus Error Concordiae	407
Secundus Error Concordiae	411
Tertius Error Concordiae	415
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	417
§. 1. Mendacia Concordiae	418
§. 2 Antilogiae Concordiae	422
§. 3. Primus Error Concordiae	425
§. 4 Secundus Error Concordiae	432
§. 5. Tertius Error Concordiae	436
PENICULI CAP. V Contra Divina ac humana iura egisse Piædicantes, cum Censu Cathedra- draticos, etc. ad se derivarunt	438
De illegitima Concilii inductione	438
De censu Cathedratico interverso	442
De causis fori Ecclesiastici usurpatis	446
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	449
§. 1 De Indictione Synodi	449
§. 2. De Censu Cathedratico	452
§. 5. De Causis fori Ecclesiastici	455
§. 6. Fœda Lutheri	456
PENICULI CAP. VI. Nihil ab Illustrissimo Cardinali contra Leges perpetratum	460
<i>Logi alogi malleatoris repressi</i>	465

FALSÆ ORIGINIS MOTUUM HUNGARICORUM SUCCINCTA REFUTATIO.

469

VINDICÆ ECCLESIASTICÆ.

521

Ferdinando II Romanorum Imperatori Augusto, Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc regi etc. vita, victoria, felicitas	527
Vindicæ Ecclesiasticæ	530
CAPUT PRIMUM Consilii mei rationes in hac scriptione	530
CAPUT II. Quæ iura Ecclesiarum eversa Betlenii sanctione?	534
CAPUT III. Defectu competentis iudicis ac legislatoris, statuti Betleniani nullitas evincitur	541
CAPUT IV. Defectu legitimi processus, constitutionis Betlenianæ vanitas comprobatur	546
CAPUT V. Defectu iustitiae, sententia Betleniana eliditur	548
CAPUT VI. Ob falsas et insufficientes allegationes decreta Betleniana exploduntur	551

ACTA ET DECRETA SYNODI DIOCESANÆ STRIGONIENSIS.	Pagina 567
---	---------------

(Indicem huius operis particularem vide in paginis 670 et 671.)

DISSERTATIO. AN UNUM ALIQUID, EX OMNIBUS LUTHERANIS DOGMATIBUS, ROMANÆ ECCLESIAE ADVERSANTIBUS, SCRIPTURA SACRA CONTINEAT.	673
--	-----

<i>Epistola auctoris ad Illyesházi</i>	677
<i>Proloquium ad hyperaspistem</i>	680
CAPUT I. Antiloquium hyperaspistæ excutitur	681
CAPUT II. Papam non esse caput Ecclesiae; docetne Scriptura?	684
CAPUT III. Evincere ex Scriptura possit, sola fide iustificari homines?	686
CAPUT IV. Certitudo propriæ salutis et iustitiae, an Dei verbo constet?	691

CARDINALIS PASMANNI AD PONTIFICEM URBANUM VIII. ORATIO.	699
---	-----

<i>Epistola eiusdem ad Borgesium Cardinalem</i>	708
---	-----